BIBLIOT. NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 I
28

IOSEPHI A COSTA, SOCIETATIS IESV,

DE NATVRA NOVI ORBIS LIBRI DVO.

ET

DE PROMVLGATIONE EVANGELII APVD BARBAROS,

ſiue,

DE PROCVRANDA INDORVM ſalute, Libri ſex.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In officina Birckmannica, Sumptibus Arnoldi Mylij.
cIↃ. IↃ. XCVI.
Cum gratia & Priuilegio S. Caſ. Maieſt.

PHILIPPO SECVNDO HISPANIARVM ATQVE INDIARVM REGI Catholico

IOSEPHVS A COSTA Salutem & fœlicitatem D.

QVI diuturna peregrinatione longè poſitas regiones obierunt, ſolent ij, cùm ad patriam redeunt, rara aliqua atq; inuſitata deferre ſuis, quos vel ipſa nouitate delectent. Quod ſi ſelecta etiam ac pretioſa videantur, non aliâs putant melius collocari poſſe, quàm oblata Principibus. Horum potentiſſime Rex, inſtitutum mihi quoque imitandum exiſtimaui: qui à maioribus ad Noui orbis nouum excolendum Chriſti agrum iampridem miſſus, vniuerſam propemodum Indiam Occidentalem obierim, imperij certè tui ampliſſimi neq; mediocrem neq; parum locupletem portionem. Itaque inde in Europam

reuocatus poſt annos in Peruano regno exactos quindecim, in Mexicano & Inſularibus duos, nihil habui quod pro inſigni in Societatem noſtram à te collata gratia, tantæ Maieſtati ſupplex offerrem, niſi fruges quaſdam, vt opinor, nouas, ex illa ſanè tam remota terra deuectas, atque induſtriæ laborisq; noſtri tenuitate collectas: hoc eſt, libros de Natura Noui orbis duos, & de procuranda Indorum ſalute, ſex. Quos ego cùm in illis adhuc regionibus agerem, elaboraram, complecti cupiens tum quod ad ſtudium cognoſcendi attinet, quæ vetus philoſophia minus eſt aſſecuta, tum quod ad cauſam Christi promouendam confert, quæ vocationem innumerabiliũ gentium ad Euangelium illuſtrant. Quæ ſi fideliter ac prudenter, vt Dei diſpenſatores decet, à nobis tractentur, magnos ſine vlla dubitatione in Chriſti cognitione & cultu progreſſus facturæ ſunt. Scio equidem munus maximo principe minimè dignum: ſed inopiam excuſat atq; eleuat ipſum muneris genus, quod ad ſtudium ſapientiæ ſpe-

tiæ ſpectat. Sapientiæ porrò vel exigua pars, quemadmodum beatus Iob cenſet, non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonyco pretioſiſſimo, vel Saphyro, non adæquabitur ei aurum. Neque enim ad diuinam illam atque altiſſimam ſapientiam cognoſcendam parum conferre putanda eſt rerum admirabilium contemplatio, quarum author eſt ipſa: neque verò ſtudium pietatis non vehementer accendet atque inflammabit ſalutis gentium bene explorata ratio, cùm conditor omnium idemq; redemptor perſpicuè declaret, velle ſe omnes ſaluos eſſe, atque ad agnitionem ſui ſancti nominis peruenire. A qua tanta diuinæ bonitatis largitate, minimè aliena putanda eſt gens Indorum, hominum profectò genus docile, manſuetum, obſequens. Te verò, Rex maxime, tot auitis regnis cumulatum, etiam vtriuſq; Indiæ Deus imperio auxit, totiuſque orbis tanquam annuli gemmam effecit, vt Catholicæ tuæ Maieſtatis & fides ſyncera, & pietas in Deum ardens ad omnes mor-

tales manet ac deriuetur. Vtinam tuum iſtum tam præclarum zelum in tuenda Dei Eccleſia, in propaganda Chriſti gloria, in expugnandis, ac debellandis Fidei hoſtibus, Rex ille Regum fecundet, atque æterna fœlicitate proſequatur. Vale Rex maxime, & Societatem noſtram, noſque ipſos, ac noſtra omnia tuere tuo patrocinio. Madriti decimotertio Kalendas Februarias. Anno ſalutis noſtræ 1588.

EGo Aegidius Gonçalez Dauila Prouincialis Societatis I E S V in prouincia Toletana, pro data mihi ad hoc facultate à reuerendo admodum noſtro patre Generali Claudio Aquauiua, poteſtatem facio, vt typis excuſſi in lucem edantur libri duo patris Ioſephi Acoſta presbyteri noſtræ Societatis, De natura noui orbis, & ſex de procuranda Indorum ſalute, quos diligenter legerunt, & approbarunt patres Benedictus Pereyrus, & Cyprianus Suarez Theologi eiuſdem Societatis. Precorq́ Deum Opt. Max. bonorum omnium authorem, vt id redundet in eius gloriam, & Indorum ſalutem, ac totius ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem. Compluti, in noſtro Collegio. Decimotertio Kalendas Februarij. Anno 1584.

AEgidius Gonçalez Prouincialis.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRORVM DE NATVRA NOVI ORBIS.

Capita Libri Primi.

Cœlum noui orbis quoſdam de rerum natura abſtuliſſe. Cap. I. pag. 1.

Cœleſte corpus omni ex parte eſſe rotundum, & in ſeipſum volui. Cap. II. pag. 3.

Quod ſacræ quoq; literæ terram in medio mundi eſſe atteſtentur. Cap. III. pag. 6.

Reſponſio ad ea, quæ contra cœli rotunditatem ex ſacris literis afferuntur. Cap. IIII. pag. 9.

De facie cœli Antarctici. Cap. V. pag. 11.

Quod mundus ad vtrumq; Polum terras æquè ac maria obtineat. Cap. VI. pag. 12.

Lactantij opinio negantis eſſe Antipodes confutatur. Cap. VII. pag. 16.

Quæ ratio impulerit B. Auguſtinum, vt negaret Antipodas. Cap. VIII. pag. 18.

Ariſtotelis ſententia de habitatione alterius orbis, & qua in re aberrauerit. Cap. IX. pag. 21.

Quod eadem Plinij & complurium veterum ſententia fuerit. Cap. X. pag. 25.

Notitiam alterius orbis apud veteres inueniri. Cap. XI. pag. 27.

Platonis ſententia de India Occidentali. Cap. XII. pag. 30.

Quod quidam Ophir in ſacris literis eſſe noſtrum Peru opinati ſint.Cap.XIII.pag.31.

Quidnam Tharſis & Ophir in ſacris literis ſignificet. Cap.XIIII.pag.33.

Quid de hoc nouo orbe Abdias vaticinatus ſit iuxta quoſdam.Cap.XV.pag.36.

Quomodo primi homines ad Indos venire potuerint: & quod non venerint certa nauigatione. Cap. XVI.pag.39.

De Magnetis admirabili efficacia & vſu ad nauigandum veteribus ignoto.Cap.XVII.pag.43.

Reſponſio ad eos, qui volunt olim nauigatum Oceanum, vt hoc tempore nauigatur. Cap. XVIII. pag.47.

Probabile eſſe primos huius orbis habitatores tempeſtate præter votum ad has regiones eiectos. Cap.XIX.pag.48.

Longè probabilius eſſe primos huius noui orbis habitatores terreſtri itinere huc perueniſſe. Cap.XX. pag.50.

Quomodo beſtiæ & pecudes ad hunc nouum orbem ex altero peruenerint.Cap.XXI.pag.54.

Quod non venerit genus Indorum per Atlantidem, vt quidam opinantur. Cap.XXII.pag.57.

Quod falſo multi Indos ex Iudæorum genere deſcendere aſſirment.Cap.XXIII.pag.59.

Cur prima origo Indorum ſciri non poſſit. Cap. XXIIII.pag.62.

Quid de origine ſua Indi tradant. Cap.XXV.pag. 63.

Capita

Capita Libri Secundi.

DE æquinoctialis natura diſſerendum eſſe.Cap. I.pag.66.

Cur veteres Philoſophi regionem Torridam eſſe inhabitabilem pro certo duxerint. Cap.II.pag. 66.

Quod regio Torrida humidiſſima ſit contra veterum opinionem.Cap.III.pag. 68.

Quod extra Tropicos humoris copia ſolis receſſu maximè fiat, contra quàm in regione Torrida. Cap. IIII.pag. 70.

Quod intra Tropicos imbres æſtiui ſint, & de ratione hyemis & æſtatis.Cap.V.pag. 71.

Quod Torrida aquis,pabuliſq; abundet,quicquid Ariſtoteles contradicat.Cap.VI.pag. 73.

Redditur cauſa, cur intra Tropicos ſolis præſentia humorem efficiat, extra Tropicos ſiccitatem. Cap.VII.pag.76.

Quatenus,quæ de Torrida dicta ſunt,accipienda ſint. Cap.VIII.pag. 80.

Quod Torrida regio non ſit vehementer calida, ſed mediocriter calida.Cap.IX.pag. 81.

Regionis Torridæ æſtum temperari tum multitudine imbrium,tum æſtiuorum dierum breuitate.Cap. X.pag.83.

Alias quoq; eſſe peculiares cauſas temperandæ Torridæ, atque in ijs Oceani propinquitatem. Cap. XI.pag.86.

Terras quò altiores,eò frigidiores eſſe, & quæ ſit huius cauſa. Cap.XII.pag.88.

Ventorum maximè beneficio regionem Torridam temperari.Cap.XIII.pag.90.
Sub regione media ſuauiſsimè vitam degi.Ca.XIIII. pag.93.
De varietate ventorum & cauſis.Cap.XV.pag.94.
In Torrida Zona quoſdam eſſe ventos perpetuos Oceano.Cap.XVI.pag.96.

INDEX CAPITVM LIBRORVM DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE.

Libri primi Capita.

*QVod non ſit deſperanda ſalus Indorum.Cap.I.pag.*112.
*Cur videatur multis difficilis, & parum vtilis prædicatio apud Indos.Cap II pag.*116.
*Quod difficultas prædicationis non debeat terrere Chriſti ſeruos, & qua ratione ſunt animandi. Cap.III.pag.*122.
De eadem re.Cap IIII *pag.* 127.
*Quod gentes Indorum, quantumuis Barbaræ, auxilio tamen gratiæ ad ſalutem deſtitutæ non ſint.Cap.V.pag.*132.
Quod Indos Deus iam vocet ad Euangelium. Ca VI.pag 138.
*Quomodo Indorum ingenia tractanda ſunt, vt Chriſto lucrifiant Cap.VII.pag.*144.
*Barbarorum ineptitudinem non tam à natura, quàm ab educatione & conſuetudine proficiſci Cap.VIII.pag.*149.
Quod linguæ difficultas non deterrere debeat ab Euangelij propagatione. Cap. IX pag 153.
*De habitatione inter Indos.Cap.X.pag.*156.
Quod Euangelij Miniſtri curare debeant, ne impedimentum Euangelio ponant.Cap.XI pag 158.

De

De caſtitate & Abdicatione neceſſaria ab Euangelizandum. Cap XII. *pag.* 162.

Quantum officiat Fidei violentia. Cap. XIII *pag.* 165.

Qualis in religione Chriſtiana *magna ex parte ſit natio* Indorum Cap. XIIII. *pag.*167.

Nihilominus veræ Fidei ac ſalutis apud Indos *ſpem eſſe magnam, alienumq́; eſſe à Dei ſpiritu contra ſentire.* Cap. XV. *pag.*168.

Quòd etiam in præſentia labore miniſtrorum fructus animarum ſit longè maior. Cap XVI. *pag.* 171.

Patientia, & labore effici, vt copioſi fructus ex hoc agro Dominico colligantur. Cap XVII. *pag.* 176.

Quod non ſolùm futuri fructus ſpes ſit; ſed præſentis etiam ſatis magni certa documēta teneantur. Ca. XVIII. *pa.* 184.

Libri ſecundi Capita.

Difficile eſſe rationem tradere prædicandi barbaris Euangelium. Cap I *pag.* 188.

Propter Infidelitatem *etiam pertinacem non licere barbaros debellare.* Cap. II *pag* 191.

Quod quibuſdam viſum ſit propter crimina naturæ contraria licere noſtris barbaros debellare. Cap III. *pag.* 194.

Confutatio ſuperioris ſententiæ. Cap. IIII. *pag.* 199.

Reſponſio ad obiectiones pro expugnatione Barbarorum Cap. V. *pag.* 204.

De bello propter defenſionem innocentium, qui à barbaris trucidantur Cap. VI. *pag.* 209.

Quod omnia iam dicta de bello aduerſus Indos *non ſolùm diuina, ſed etiam regia lege firmentur.* Cap. VII. *pag.* 212.

Veterem & Apoſtolicam Euangelizandi rationem non poſſe exactè ſeruari inter barbaros. Cap. VIII. *pag.* 213.

Cur miracula in conuerſione gentium non fiant nunc, vt olim, à Chriſti prædicatoribus. Cap. IX. *pag.* 218.

Quod etiam exiguo merito prædicatorum, ſignorum parcitas aliqua ex parte attribuenda ſit. Cap. X. *pag.* 224.

De Prædicatione inter eos qui Fidem iam receperunt. Cap. XI. *pag* 227.

De expeditionibus neceſſarijs ad prædicandum barbaris Euangelium.Cap.XII.pag. 230.

*Quo iure Chriſtiani expeditiones facere poßint in regna barbarorum.Cap.XIII.pag.*232.

Quid in terris barbarorum Chriſtianis liceat. Cap.XIIII. pag 235.

*Quando liceat barbaris infidelibus bellum inferre. Cap.XV. pag.*238.

De officio prædicatoris Euangelici erga ſocios itineris. Cap. XVI.pag. 239.

Qualem ſe præſtare debeat Chriſti ſeruus in conuerſione infidelium Cap.XVII. pag. 242.

*De tribus impedimentis, quæ conuerſioni gentium maximè obſtant.Cap.XVIII. pag.*246.

*Epilogus dictorum Cap.XIX.pag.*250.

Libri tertij Capita.

*Non eſſe quæſtiones omnes tractandas, ac deinceps de ciuili adminiſtratione differendum. Cap.I pag.*252.

*Barbaros Fidem ſuſcipientes ad curam, ditionemque Principum Chriſtianorum pertinere. Cap.II.pag.*254.

*Non oportere falſos titulos comminiſci dominationis Indorum.Cap III.pag.*259.

Quales adminiſtratores res Indicæ poſtulent. Cap.IIII.pag. 261.

Quam ob cauſam difficile inueniantur idonei rebus Indicis præfecti. Cap.V.pag. 267.

*Non eſſe iniquum tributa Indos pendere adminiſtratoribus ſuis.Cap.VI pag.*271.

Improbantur tria genera tributa taxandi.Cap.VII pag. 274.

Vulgaris ratio tributa imperandi expenditur. Cap.VIII.pag. 278.

*An propter reuocandos ab otio barbaros tributa grauiora imperanda ſint.Cap.IX pag.*280.

*Quis modus in tributis taxandis tenendus.Cap.X.pag.*284.

Cauſæ,ob quas Hiſpanis Indi commendati ſunt. Cap. XI.pag. 288.

Quod

Quod doctrinam fidei, & moribus ſufficientem Patroni Indis ſuſceptis præbere teneantur Cap. XII. pag. 293.
Quid erga nondum baptizatos Indos Patronis liceat. Cap. XIII *pag* 298.
De temporali prouidentia Patronorum in ſuos. Cap. XIIII. *pag.*302.
Quàm circumſpectè onerosæ leges fortunis Indorum *indicendæ. Cap.XV.pag.*303.
*Quid in confeßionibus Patronorum audiendis ſacerdoti prouidendum. Cap XVI pag.*305.
*De ſeruitio perſonali Indorum. Cap. XV*II *pag.*309.
*De metallorum operatione. Cap. XV*III. *pag.* 319.
Quibus modis ſalus Indorum *per ſeculares miniſtros procurari poßit. Cap. XIX. pag.* 324.
De ebrietatis malo Barbaris *familiari. Cap. XX. pag.* 326.
Quæ mala ex ebrietate oriantur. Cap. XXI. Pag. 330.
Quibus modis ab ebrietate Indi *compeſci queant. Cap. XXII. pag.* 336.
De Prætoribus Indorum *Cap. XX*III *pag.*343.
*Mores Indorum Chriſto non repugnantes permittendos eſſe, & de concordia Prætoris cum ſacerdote. Cap. XX*IIII. *pag.*346.

Libri quarti Capita.

De excellentia ſacerdotalis officij. Cap. I. *pag.*350.
Inter Indos *maximè ſacerdotes præſtare oportere. Cap. II. pag.*355.
Contra eos, qui Indorum tarditatem accuſant. Ca. III *pag.*357.
Contra eos, qui peruerſitatem morum Indorum fidei non receptæ cauſam aſſerunt. Cap. IIII. *pag.* 361.
*Meſſem eſſe copioſam, modò operarij idonei non deſint. Cap. V pag.*366.
De peritia Indicæ linguæ neceſſaria. Cap VI. pag. 369.
*De Parochis Indici ſermonis ignaris. Cap. VII. pag.*372.
*Quod quidam non rectè inſcitiæ ſermonis Indici conſulant. Cap. V*III. *pag.*377.
Quod oporteat ad Indos venientes prædicatores Indicum *idioma diligenter diſcere. Cap. IX. pag.*381.

De

De ſcientia ſacerdoti neceſſaria Cap.X pag. 387.
Oportere in nouo orbe aliquos eſſe præſtantes Theologos. cap. XI. pag. 391.
Vitæ probitas in miniſtro Euangelij, quòd & à Deo, & ab hominibus requiratur. Cap. XII. pag. 393.
Quod ij, qui inter barbaros verſantur, humanis ad virtutem auxilijs ſint deſtituti. Cap. XIII pag. 398.
Quæ libidinis & auaritiæ incentiua occurrant. Cap. XIIII. pag. 400.
Contra abuſus Indicorum Parochorum. Cap. XV pag. 402.
De orationis præſidio Euangelizanti neceſſario. Cap. XVI. pag. 405.
De vitæ exemplo. Cap. XVII. pag. 410.
De beneficentia. Cap. XVIII. pag. 414.
De correptione & diſciplina. Cap. XIX. pag. 419.
Quid obſeruandum in correptione Indorum. Cap. XX pag. 424.
De catechiſmo & catechiſtæ tedio leuando Ca. XXI. pa. 426.
De fructu ex catechizandis Indis ſperando. Ca. XXII. pa. 431.
Quid reſtet de catechiſmo dicendum. Cap. XXIII. pag. 435.

Libri quinti Capita.

Finis doctrinæ, Chriſti cognitio & dilectio. Cap. I. pag 436.
Chriſti annuntiandi curam præcipuam eſſe debere. Cap. II. pag. 438.
Contra opinionem eorum, qui ſine Chriſti notitia poſſe aliquem ſaluum eſſe volunt. Cap III. pag. 441.
Contra errorem illius, qui Chriſtianos rudiores ſine fide explicita Chriſti, aſſeruit poſſe ſaluari Cap. IIII. pag. 451.
Quòd præcepto cætera myſteria, quæ continentur in ſymbolo, ſcire omnes Chriſtiani conſtringantur. Cap. V. pag. 457.
De myſterio Trinitatis omnibus tradendo Cap. VI. pag. 460.
De myſterio Eccleſiæ tenendo. Cap. VII pag. 464.
Quid in extremo mortis diſcrimine Indi docendi ſint, vt baptizentur. Cap. VIII. pag. 466.
De præceptis Decalogi, & de idololatria barbarorum. Cap. IX. pag. 468.
Contra idololatriam remedia. Cap. X. pag. 479.

De

De euertendis idolorum ſignis & templis Cap XI.*pag.* 481.
*De recta dilectione ſui.Cap.*XII.*pag.*483.
*De dilectione proximi.Cap.*XIII.*pag.*487.
De Catechiſmo vulgo Indorum *neceſſario. Ca.*XIIII *pa.*490.
In inſtructione Indorum *diu eſſe perſeuerandum Ca.*XV.*pag.* 491.
An expediat Parochias Indorum regularibus committi. Cap. XVI *pag.*494.
Salutem Indorum *ſocietati* Ieſu *pro viribus eſſe procurandam Cap.*XVII.*pag* 497.
Cur multis videatur ſocietas Parochias Indorum *debere ſuſcipere.*Cap.*XVIII.pag.*499.
Quæ rationes à ſuſcipiendis Parochijs Indorum *ſocietatem deterreant,*Cap.XIX.*pag.*501.
Quæ in ſuſcipiendis Parochijs moderatio adhibenda ſit. Cap. XX.*pag.*503.
*Miſſionum vſus in Eccleſia antiquus & frequens,*Cap.XXI. *pag.*506.
Miſſionum vtilitates inter Indos. *Cap.* XXII.*pag.*509.
Quod Parochi Miſſiones vtiliter & libenter accipiant. Cap. XXIII.*pag.*511.
*Quid cauere oporteat in Miſſionibus.*Cap.XXIIII.*pag.*512.

Libri ſexti Capita.

*Quatenus modò de Sacramentis agendum.*Cap.I.*pag.*518.
Multa in his regionibus contra Eccleſiæ *conſuetudinem geri. Cap.*II.*pag.*519.
De voluntate Baptiſmo neceſſaria.Cap III *pag.*521.
De Fide & Pœnitentia ad baptiſmi gratiam neceſſaria. Cap. IIII.*pag.*526.
De ijs,qui ſe baptizatos vel negāt,vel mētiuntur.Ca.V.p 527.
De Sacramento Confirmationis *& illius materia. Cap.VI. pag.*529.
De Euchariſtia percipienda diuinum eſſe præceptum. Cap. VII pag. 530.
*Quod quamuis diuinum præceptū ſit de communicando, poßit tamen Eccleſia pro iudicio ſuo communionem negare.Cap. VIII.pag.*534.

Quod

Quod omnino expediat priore conſuetudine emendata, Indos fideles communicare. Cap. IX. *pag.* 539.
Confutatio opinionis contrariæ. Cap. X. pag. 545.
De neceſſitate Confeſſionis. Cap. XI *pag.* 550.
Confeſſionis vſum Indis in ſua ſuperſtitione fuiſſe. Cap XII. *pag.* 553.
De peritia Indicæ linguæ Confeſſionibus audiendis neceſſaria. Cap. XIII. *pag* 555.
De prudentia Sacerdotum & tolerantia. Cap. XIIII. *pag.* 557.
Quod Cõfeſſiones non ſynceræ fiant, potius ſacerdotum, quàm Indorum *fieri culpa. Cap XV. pag.* 559.
Contra errorem illius, qui ſcripſit confeſſiones ab Indis *eſſe tollendas. Cap XVI. pag.* 560.
Quas ſatisfactiones Indis iniungere oporteat. Cap *XV*II. *pag.* 562.
*De extrema Vnctione. Cap XV*III. *pag.* 563.
De Sacerdotio. Cap. XIX. pag. 565.
De ritibus matrimoniorum apud Indos *Cap. XX. pag.* 567.
Quid agendum ſit de coniugiis infidelium, cùm ad fidem Catholicam *conuertuntur. Cap* XXI. *pag.* 571.
De matrimonijs explicandis, & iuuenibus collocandis. Cap. XXII. *pag.* 575.
Quibus ex rebus Indorum *ſalus maximè pendeat. Ca.* XXIII. *pag.* 577.

DE NA-

DE NATVRA NOVI ORBIS, LIBER I.

COELVM NOVI ORBIS quoſdam de rerum natura abſtuliſſe. Cap. I.

NOVI huius Orbis gentes vſque adeò ab opinione veterum abfuiſſe videntur, vt pleriq; ne terram quidem hac parte eſſe putarent, nõnulli (quod amplius eſt) ipſum hoc cælum, ſub quo nunc agimus, etiam de rebus auferrent. Et ſi enim plurimi atque optimi philoſophorum cælum (vt eſt) totum ſphæricũ & terram vndique ambiens tradiderunt, tamen ex noſtris auctoribus neque pauci, neque obſcuri contra ſenſerunt mundum hunc vniuerſum domui potius ſimilem fabricantes, cui tectum ex vna tantùm parte non quaqua verſus immineat. Neque enim terræ molem grauem in medio aëre ſuſpendi rationem pati. Atq; alium eſſe cæmenti, alium culminis locum. Ac Ioãnes quidem Chryſoſtomus in commentarijs Epiſtolę ad Hebræos non ſemel eos prouocat ac laceſſit, qui cælum ſphæricum ponunt, cùm ſcriptura potius tabernaculum à Deo fixum commemoret, quo loco motum quoque omnem cælo adimit, ſolem verò & aſtra cætera ferri, vt volucres, cùm per aërem ſeſe mouent, non ſicut radij voluuntur in rota. B. Chryſoſtomo etiam Theodoritus Cy-

Chryſoſt homi. 14. et 27. in Epiſt. ad Hebr.

Hebr. 8.

Idem hom. 6. & 13. in Geneſ. & Hom. 12. ad pop. Antioch.

Theodorit. & Theophil. in commē. ad Hebr. 8.

renſis in hac parte aſſentitur, vt Theophylactus vbique. His omnibus antiquior Lactantius in libris diuinarum inſtitutionum Philoſophos

Lactan. 3. li. diuin. inſtit. ca. 24.

Peripateticos, & Academicos de cæli figura & ambitu irridet ratione iam dicta, magiſque Epicuri probat ſententiam, qui terram ad chaos quoddam immane definit; quod attingere

Hieron. li. 2. in Epiſt. ad Ephe. in c. 4.

quoque videtur Hieronymus, vbi ſcribit, Phyſicus perſcrutator oculos trans cælum leuat & vltra profundum terrarum & abyſſi quoddam inane demergit. Porrò Ariſtotelis ſententiam

Sixtus Senen. lib. 5. Biblio. annot. 3.

de cæli & figura & motione circulari ſacræ Scripturæ contrariam Procopius in Commentarijs Geneſeos pro certò affirmare narratur. Nam ego eius ſcripta non legi. Sed quicquid auctores hi ſenſerint, equidem non magnoperè admiror, quos video grauioribus ſtudijs intentos, demonſtrationes Philoſophicas non admodum perſpexiſſe. Diuum Auguſtinum fortaſsè quis miretur, qui cùm ſæcularis literaturæ peritiſſimus fuerit, & Phyſicen atque Aſtronomicam non mediocriter nouerit, tamen vtrum

Auguſt. lib. 2. de Gen. ad lit. ca. 9.

terra cælo vndique contineatur, vbique dubius hæret. Quid ad me pertinet, inquit, vtrum cælum ſicut ſphæra vndique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex vna parte deſuper velut diſcus operiat? Quo in loco coniecturis potius, quàm vlla ſolida demonſtratione teneri cæli figuram ſphæricam vult,

Auguſt. in Pſal. 135.

quèmadmodum de cæleſti quoque circuitione, & ibi & aliâs tanquam de re dubia videtur ſcribere.

Cæleſte

Cæleſte corpus omni ex parte eſſe rotundum, & in ſeipſum volui.

CAP. II.

SED facilè condonandum eſt patribus, ſi cùm cognoſcendo colendóque creatori toti vacarent, de creatura minus aptè aliqua ex parte opinati ſunt. Sæculi verò ſapientes, qui tantum valuerunt, vt poſſent ſęculum æſtimare, vt ſcriptura loquitur, id eſt vniuerſi huius ordinem certá ratione deprehendere, eo profectò infeliciores habendi ſunt, quod operibus attēdentes, aut nō cognouerunt, quis eſſet artifex horum, aut certè cognitum non perinde atque oportuit, glorificauerunt, ſed euanuerūt in cogitationibus ſuis. Certè Ariſtoteles, & cæteri Peripatetici Stoicis hac parte conſentientes ea de cæli figura & conuerſione tradiderunt, quæ nos hic terrarum poſiti apertius oculis intuemur, quā Philoſophica vlla argumentatione didicimus. Sphæricum eſſe cęlum, & terram vndequaque concludere, dubitare nō ſinimur, qui portionem illius veteribus nunquam viſam ex obuerſa hac orbis parte ſpectamus, qui vtrumque cardinem, id eſt, polum Arcticum & Auſtralem, de quo dubitat Auguſtinus, nauigatione vltra æquinoctialem circulum procedente, ſubinde notamus, qui gradus denique ſexaginta vltra citraq; mediam lineam com meauimus, vt omittam interim, quæ alij certius explorare potuerunt vſq; ad ſeptuageſimum ad Antarcticum gradum immēſa nauigatione progreſſi. Vna nauis victoria prorſus inclyta de toto terrarū orbe, ſimul de veterum immēſo inani triumphauit, Oceani magnitudinem curſu ſi- emenſa, minoremq; terrę quantamcunq; n- [illegible]

Sap. 13.

Rom. 1.

Plutar. de Placitis Philoſ. lib. 2. c. 2.

Aug. 2. lib. de Gen. ad lit. c. 10.

vel ipſis veſtigijs hominis exemplo nouo declarans. Eſt igitur cæli figura perfecta atq; rotunda. Eſt terræ vniuerſæ atq; aquæ ſeſe mutuo complectentis globus omni ex parte definitus. Quod ſanè & Philoſophica & Aſtronomica ratio non ſuadere tantùm, verùm abundè etiam demõſtrare poteſt. Nam vt omittam illa ſubtiliora, quò perfectiſſimum corpus deceat figura perfectiſſima, quod motus in orbem non poſſit eſſe æqualis & cõſtans, ſi in angulos incidat, id quod prorſus neceſſe eſt fiat, ſi ſol & reliqua aſtra non voluerentur omni ex parte, ſed inflecterentur alicubi, profectò vel vna luna videtur mihi eſſe teſtis in cælo fidelis, quæ tunc tantummodo deficit, eclypſimq; patitur, cùm globus terræ ex diametro ſolis radios intercipit, quod fieri non poſſet, niſi terræ moles eſſet in medio cæleſtibus orbibus vndique concluſa. Quãquam & illud ipſum in dubium reuocant quidam, vtrum luna à ſole luceat, verùm id nimium eſt. Noctem verò quid efficit aliud, quàm ſolis abſceſſus ex terræ vmbra? Quod ſi ſol terram nõ ſubit, ſed idem eſt occidere & ad angulum cõuerti, quòd omnino ſequitur, ſi cælum in modum diſci terram tantùm operiat, ac nõ ſicut pila complectatur, profectò longiores breuioreſq; noctes, alicubi ſemper æquales efficere nullo modo poſſet. Nam quod idem B. Auguſtinus, omnes & conuerſiones & oppoſitiones & depreſſiones & aſpectus & quæcũque ſunt aliæ ſyderum affectiones ſcribit poſſe ſeruari, etiam ſi cælo ipſo immoto aſtra tantummodo moueantur, planè mihi ad intelligendum non eſt difficile, ſi modò fingendi licẽtia ſit. Etenim ſi ab Angelo quopiã putetur vniuſcuiuſq; aſtri

Aug. epiſt. 109. c. 4.

Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 10.

aſtri corpus ferri, quis non videt omnes eiuſmodi varietates pro diuerſo mouentis arbitrio poſſe contingere? Sed ratio non patitur, ſi regio illa cæleſtis elementaris ſit & corruptioni obnoxia, per quam aſtra feruntur. neq; enim per inane feruntur, quin & ipſa aſtra ſint natura corruptioni obnoxia & tempore ipſo tranſmutentur atq; afficiantur, quod illorum æternitati, quæ vt Pſalmus habet, ſtatuit Dominus in æternum, & vniuerſi huius ordini & conſeruationi contrarium eſt. Sed rationi oculos quoque teſtes adhibere licet, cùm cernamus nõ ſolùm manifeſta aſtra volui, ſed partes etiam integras cæli non ſolùm lucidas illas, qualis eſt lactea via, verùm etiã quaſdam alias obſcuras atque atras. Sunt enim inſignes prorſus maculæ in cęlo, quas, in Europa cùm eſſem, nuſquam ita notaſſe me memini, eæ lunæ laborantis atrorem prorſus referunt, quas perpetuo tenore cum ipſiſmet aſtris, quibus ſunt intermixtæ volui manifeſtiſſima experientia deprehendimus. Vnde autem illa veluti maculatio cęli contingat, ego aliud cogitare non poſſum, quàm vt denſiora cęli luce accepta galaxiam efficiunt, ita contra rariora magiſq; diaphana, quia nihil lucis reddunt, atriora apparere. Quacunq; autem ea ex cauſa ſint, certè eſſe & cum ſtellis ipſis immobiliter ferri attentiſſima ſæpè obſeruatione perſpeximus. Cęleſtes ergo orbes, & terram perfectè omni ex parte concludere, & perpetuò in ſeipſos reuolui non oportet amplius controuertere. *Pſal.148.*

Quod ſacræ quoque literæ terram in medio mundi eſſe atteſtentur.

CAP. III.

DIVINAE autem ſcripturæ nullo modo cõtrarium eſt, ſed omninò conſentaneũ, quod de ſitu terræ & cæli ambitu oculata fides teſtatur. Nam vt prætercam, quòd orbis terrarum ſæpè appellatur, quod quicquid eſt corporum cæli ambitu contineri ſignificant ſacræ literæ, illud certè Eccleſiaſtæ ſatis perſpicuum eſt: Oritur, inquit, ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus & in circulos ſuos reuertitur. Vbi Gregorij ſiue Nazianzeni ſiue Neocæſarienſis paraphraſis habet; Sol tota terra decurſa ad eundem rurſus terminum, punctumq́; circũuoluitur, quòd fieri ſanè non poſſet, ſi terra cælo aliqua parte eſſet excluſa. Itaque D. Hierony. in Epiſtolam ad Epheſios ſcribens. Quoniam à pleriſque, inquit, iuxta Eccleſiaſten cælum affirmatur rotundum, & in ſphæræ modum volui, nulla autem rotunditas latitudinem & longitudinem habet, altitudinem quoque & profundum, ſed ex omnibus partibus coæqualis eſt, &c. Vult igitur Hieronymus pleroſq; ſacros interpretes mundum, vt eſt, rotundum potius iuxta ſcripturam exiſtimaſſe, quàm id ſcripturæ eſſe contrarium. Nam Baſilius, & huius ferè interpres Ambroſius in Hexameron libris quanquam hærent aliquantum, in mundi tamen rotunditatem ipſi quoque propendent, niſi quod Ariſtotelis quintam illam ſubſtantiam cælo attributam Ambro-

Eccl. 1. (margin, beside "pè appellatur")

Hier. lib. 2. in Epiſt. ad Epheſ. c. 3.

Baſi. hom. 1. Hexa. prope finem.

ſius inſectatur. De terræ autem ſitu, & firmitudine mirabile eſt quàm eleganter, quàm iucundè ſcripturæ loquantur, vt ineffabilem conditoris potentiam atq; ſapientiã noſtræ & admirationi & voluptati excellenter exponant. Iam enim columnas ſe terrę confirmaſſe Dominus narrat, vt tantę molis pondus diuinæ potentię manibus ſuſtentari intelligatur, quemadmodum commodè exponit Ambroſius. Nã & cęlo & terrę ſcriptura columnas quaſdam ſupponit, non illas Athlãticas poëtarum; ſed has verbi Dei omnia ſua virtute portantis. Iam verò vt terram elemento aquæ hęrere, & plurima ex parte ab illo contineri, ſapientiſſimè inſinuet. Frmauit, inquit, terrã ſuper aquas, & rurſus orbem terrarum ſuper maria fundauit. Ac licet B. Auguſtinus ne ex ſacris literis certum dogma reputetur terrã aquis immixtam in medio mundo pendere, illud ſuper aquas aliter conetur exponere, tamẽ planiſſimus ſenſus eſt, quem ſonat Pſalmus, vt nulla alia terræ fundamenta cogitentur quàm aqua ipſa, fluens alioqui & facilè cedens, quæ per ſapientiam ſummi opificis tam vaſtam terræ machinam immobiliter continet. Super aquas autem & maria terra fundata deſcribitur, cùm re vera potius ſit ſubter aquis, quòd more cogitationis noſtræ, id quod ex altera parte terrę à nobis habitatæ reſpondet, non niſi ſubtus terram eſſe videatur, atq; ita aquas & mare immenſum terrę oppoſita veluti infra iacere omninò imaginamur, cùm tamen ipſum infra vbiq; nihil ſit aliud quàm orbis medium. Ita ergo loquitur ſcriptura, vt nos vulgo cogitare ſolemus. Quod ſi vltra quæras, cuinam fundamento innitatur tã vaſta & terrę,

Amb. lib. 1. Hexa. c. 6.
Pſal. 74.
Lib. 1. Hexa. c. 6.
Iob. 9. & 26.
Heb. 1.
Pſalm. 135.
Pſalm. 23.
Auguſt. in Pſalm. 135.

& aquarum moles, vt cum maiori admiratione copioſius ſatisfaciat, alio loco ſcriptura reſpondet: Extendit aquilonem ſuper vacuum, & appēdit terram ſuper nihilum. Elegāter prorſus, ſuſpenſa enim videtur in nihilo, cùm terra aquæ commixta in medio aere ſtare perhibetur, vt re vera ſtat. Quod mentis humanę miraculum ipſe Dominus apud eundem Iob auget interrogans. Quis poſuit menſuras terræ ſi noſti? aut ſuper quo baſes illius ſolidatę ſunt? Deniq; vt huius totius opificij ratio patefieret, eximius diuinorū operum contemplator & cantor Dauid in eo Pſalmo, quem de his ipſis pulcherrimè cecinit, ſic habet. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatē ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſęculi. Hæc, inquit, cauſa eſt, cùm terra tam grauis in medio aere locata ſit, neque tamen vel corruat vel nutet, quòd fundamenta certè habeat firma naturalis ſtabilitatis ſuæ, quam illi ſapientiſſimus conditor attribuit, vt in ſe ipſa conſiſteret, neque alio indigeret firmamento. In quo humana cogitatio multum fallitur ex humanis operibus diuina metiens. Nihil ergo verēdum eſt, ne quamuis in medio ſuſpēſa videatur, huc illúc ve ruat. Non enim inclinabitur, inquit, in ſæculum ſæculi. Meritò prorſus poſt inſignem tantorum operum commemorationem, diuinam magnificentiam celebrat carmine Dauid. Lętabitur, inquit, Dominus in operibus ſuis, & quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Et quidem quoties peregrinatione varia, vel immenſa illa Oceani ſpatia, vel hanc adeò vaſtam atq; diſſimilem terrarum machinam intueri contigit, non potui, non magnam ex eo

Iob. 26.

Iob.38.

Pſalm.103.

Pſal. 103.
Ibidem.

ſpecta-

ſpectaculo iucundiſſimo voluptatem capere, vt præ diuinæ ſapientię & amplitudinis argumentis humana omnia quamuis regia, quamuis exquiſita vileſcerent. Sæpè dicere venit in mentē; Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Ac re vera neſcio, quid habent intus latentis & arcanæ elegantię, artis diuinę opera, vt ſępius ſpectata nouam ſemper voluptatem pariant. Contra humana omnia quouis artificio compoſita, facilè ſpectandi aſſiduitate vileſcunt, & faſtidio ſunt. Hortos amœniſſimos, templa auguſtiſſima, arces ſuperbè conſtructas, ſtatuas ingenioſiſſimè effictas, vbi bis aut ter contemplatus ſum, vix poſſum oculos prǫterea tenere, veluti faſtidium reſpuentes: idem marę quoties intueor, aut pręcelſam aliquam ac prominentem rupē, aut campos naturali copia floribuſq; virentes, aut fluuij rapidum & inexorabilem vorticem cum ſaxis perpetuò concertantem, atq; frementem, cæteraq; naturæ ſpectacula, noua ſemper reperio, nouamq; ſine faſtidio voluptatem capio: vt occultæ profectò cuiuſdam ſapientię atq; inexhauſtę ſplendidum quoddam conuiuium eſſe videatur. *Pſal. 91.*

Reſponſio ad ea quæ contra cæli rotunditatem ex ſacris literis afferuntur.

CAP. IV.

SED redeo ad mundi faciem, quem non eſſe omni ex parte rotundum, neq; in ſeipſum conuerti neſcio ex quibus ſanctarum ſcripturarum verbis ſuſpicari nonnulli potuerint. Nam quòd Paulus tabęrnaculum vocat cælum, quod fixit Deus, & non homo, quid eo pertineat, nō video. *Hebr. 8.*

Neque enim quia tabernaculum fixum à Deo audimus, more tentorij vna tantùm ex parte, atque in ea immotum, terram operire putare debemus. Sed cùm veteris tabernaculi ſimilitudinem Apoſtolus pertractaret, noui Teſtamenti tabernaculum cęlum eſſe docuit, in quod ſummus ſacerdos Ieſus Chriſtus in ſuo ſanguine ſemel introierit, quod tantum veteri pręſtat, quantum inter huius auctorem Deum, & illius hominem intereſt. Quanquam ne illud quidem tabernaculum ſine Dei ſapiētia, quæ Beſeleelum illum impleuit, peractum eſt. Neque verò ſimilia, aut parabolas, aut allegorias neceſsè eſt omni ex latere quadrare, vt B. Chryſoſtomus verè & eruditè admonet. Quòd præterea B. Auguſtinus ex quorundam ſententia profert contra cæli rotunditatem teſtimonium. Qui extendit cælum ſicut pellem, vnde non ſphęricum, ſed planum ſupernè volunt ſignificari, facilè ab eodem ſancto Doctore refellitur, quod ijs verbis, non tam cęli figura, quàm facilitas fabricandi indicata ſit, vt tam facilè Deo fuerit immenſum illud cęlum efficere, quàm facilè nobis pellem complicatam extendere: vel certè inſinuata eſt diuinę habitationis maieſtas quędam, vt quod nobis tabernaculum è pellibus eſſe ſolet, hoc Deo ſit cęlũ, vſque adeò pulchrum atque durabile, quod quidam poëta [illegible]ganter ſimul & breuiter dixit. Nitidi tentoria cęli. Illud etiam. Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, ſi Anthropomorphitæ eſſemus, non leuem quæſtionem afferret, quomodo cùm omnia Deus impleat, terram habeat pro ſcabello pedum, ſi in medio mundi ſita eſt, oporteret enim cōtrarios

Exod. 36.

Chryſo. in ca. 20. Matth.

Pſal. 103.
Aug. 2. de Gen. c. 9.

Eſai. 66.

ſibi eſſe Dei pedes,& caput non vnum, ſed plurima cogitare,quæ quoniam ad nugas potius & riſum pertinēt, quàm ad ſeriam diſputationem, ſatis ſit in ſcripturis non occidentem literam quærendam eſſe,ſed ſpiritum. 2.Cor.3.

De facie cæli Antarctici.

CAP. V.

QVALIS autem facies ſit cæli huius Auſtralis, multi quærunt in Europa, quod apud veteres Aſtrologos nihil legere poſſint, qui & ſi eſſe certò deprehenderũt, cuiuſmodi tamen eſſet,aſſequi minimè potuerunt. Quanquam & ſydus Canopum ingens & clarũ illi celebrãt apud nos,& ſi qui peritiores huc nauigarunt, magna quædam de hoc cælo ſcribere ſolent,quod aſtris ſplendeat crebris & grandibus. Solent enim remota facilè amplificari. Ego verò & maiora & nitidiora circum Polum alterũ ſpectari opinor, neque ſeptentrionibus atq; Vergilijs noſtra hæc præferenda exiſtimo. Illa tamen eſt præclariſſima ſpecies in hoc cælo,quam Cruciferum appellamus,hoc eſt ſydus quatuor clarioribus ſtellis ex ęquo ferè diſtantibus Crucis formã pulcherrimè effingens. Hunc Polum eſſe Antarcticum imperiti reputare ſolent,quòd videant Naucleros ad illum rationem nauigationis expendere, ſicut vltra æquinoctialem ad Polum Arcticum faciunt. Sed hoc propterea fit, quod nulla ſtella fixa Polus hic Antarcticus demonſtretur, atque ita coguntur naturæ proximam quęrere, quam Cruciferi pedem vocant,quę tamen à vero Polo, vt à viris peritis accepimus, gradu trigeſimo diſtat. Itaq; difficilior eſt menſurę in hoc Hemiſ-

Plinius lib. 6.c.22.

phęrio

phęrio ratio, quod ſtella illa dirigere curſum nequeat, niſi cùm ſupernè recta iacet, quod ſemel in nocte contingit, & vario anni tempore variũ ſitum habet, & quod eſt moleſtius, multam anni partẽ nocte tota nõ pertingit ad verticem. Quãobrem peritiores nauium gubernatores ex meridiano ſole iuxta Aſtrolabicum inſtrumentum, vt nauticè dicamus, punctum notant: cuius artis peritia Luſitani ſine vlla dubitatione cæteros mortales longè ſuperant, quod & ingenio peracuti ſint, & nauigationibus ſupra omnes longiſſimis ac difficillimis aſſuefacti ſunt: alia etiam quædam ſydera præclara & pulchra, quæ Elicæ & Cynoſuræ poetarum quodammodo reſpondere videantur. Lacteæ quoq; viæ excurſus longè ſplendidiſſimus, atq; ijs quas ſupra dixi maculis quadam ex parte diſtinctus. Cætera alij accuratius aut obſeruabunt, aut tradent. Nobis ſufficient hæc pauca de multis.

Quod mundus ad vtrumque Polum terras aquè ac maria obtineat.

CAP. VI.

BENE habet, quòd oſtenſum eſt cælum non Europę ſolùm, & Aſię, atq; Africæ diuinitus eſſe conceſſum, ſed nos quoq; vt omnia tegere. Quod planè aduerſus eos, qui Hiſpaniã hîc ſuſpirant, & patriam ſemper habent in ore, noſq; illius charitate parum tangi, vel mirantur, vel indignantur, opportunè vſurpare ſolemus. Propterea nos de reditu in Europã nihil cogitare, quod æquè propinquum Americæ cælum atq; Europæ eſſe videamus. At quamuis cælum vndiq; orbem claudat, non continuò terram etiam vndiq; extare

Et de Hieroſolymis, et de Britania æqualiter patet aula cæleſtis. Hiero. ad Paulinum.

tare conſequitur. Nam cùm ex duobus elementis terra & aqua vnus efficiatur globus, quod & veterum doctiſſimi cenſuerũt, & apertis demonſtrationibus conſtat, intelligi ſanè poteſt ad Polum Antarcticum mare quaqua verſum eſſe diffuſum, neq; vſpiam terræ locum reliquiſſe, quẽadmodum B. Auguſtinus contra Antipodum aſſertores argumentatur. Non attendunt, inquit, etiam ſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, ſiue aliqua ratione monſtretur, nõ tamen eſſe conſequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda ſit terra. Rectè prorſus: non enim illud neceſſariò ex mundi rotunditate conſequitur. Sed tamen neq; contrarium demõſtratur ratione, & hoc iam tandem experientia ipſa patefecit. Et ſi enim multò maximam eius globi partem aquæ obtinent, tamen ita terræ viciſſim cedunt, vt non tota huius congeries hinc, tota illarum inde ſe teneat, ſed mutuis excurſionibus ſeſe per omnia complectantur. Qua in re mirabilis conditoris ars obſeruantibus apparere ſolet. Sacris quidem literis tradentibus didicimus aquas initio congregatas eſſe in locum vnum, & terram protinus apparuiſſe: eædem tamen æquè nos docent congregationes aquarum vocata eſſe maria, quæ ſine dubio plura ſunt. Neque mediterranea ſolùm maria multa ſunt, vt Euxinum, Caſpium, Erythræum, Perſicum, Heſperium, & reliqua tot penè nominibus diſtincta quot ſpatijs. Verùm etiam Oceanus ipſe in diuina ſcriptura Abyſſi vocabulo appellari ſolitus, quanuis re vera vnus ſit, multiplex tamen eſt, vt in hac America. Alter eſt Oceanus Borealis, alter Auſtralis, alius etiam in Oriẽte eſt Indicus, alius

Plut. lib. 3. de placitis Philoſ. c. 9. 10. & 11.

Auguſt. lib. 16. de Ciuit. ca 9.

Gen. 1.

alius Synenſis. Illud autem ego in ijs, quæ hactenus partim nauigatione, partim aliorum narratione habeo explorata, notare potui, quod vix vſquam terra diſtat à mari amplius quā viginti quatuor millia ſtadiorū, id eſt, leucas Hiſpanicas mille, ſed vbi vis maxima Oceani ſpatia eā menſuram haudquaquam ſuperant. Nō equidem nego latius longè Oceanum nauigari, cùm probè ſciam Luſitanicam claſſem quadruplo plus itineris maritimi ſolere conficere, quin potius Oceanum ipſum in orbem cingi poſſe, noſtra ætas ipſis rebus agnouit. Sed illud affirmo hactenus recta linea continentem à cōtinente aut inſulis, terram denique à terra qua parte ſe ſe proximè reſpiciunt aut nuſquam, aut vix amplius quàm ijs ſpatijs diſtare eſſe compertum. Nam ab extrema Europa, & Africa Inſulæ fortunatæ cæteræq; innumerę illo ſitu protenſæ tercentum leucis propemodum abſunt: ab ijs ad Occidentalē Indiam venientibus, poſt nōgentas plus minus occurrunt Inſulæ illæ, quas Dominicam, & Virgines, & Beatam cæteraſque vocamus, hæ longo ordine excurrunt vſque ad eas, quas Barlouenti nautæ appellant. Ab his continens bis centum, aut paulò amplius abeſt. Vbi Floridæ regna vſq; ad Patagonum regiones infinitis ſpatijs viſuntur. Hoc autem altero Oceano Auſtrali à freto Magallanico vſq; ad Promontorium Mendocinum eodem modo terra longiſſimè tenditur, ſed nuſquam latior quàm hoc ipſo Peruano loco, in quo nunc agimus, cui ex altera parte reſpondet regio Braſiliæ quater & vicies mille ſtadijs à nobis diſſita. At in hoc Oceano Auſtrali Sur vulgò appellato, quamuis Occidentem verſus nullus

certus finis habeatur: tamen non ita pridem Inſulæ quædam & multæ & magnæ, quas Salomonis vocant, noua nauigatione explorata ſunt, octingentas leucas ab America remotæ. Et quoniam totius orbis obſeruatione compertum eſt, Inſulas tum frequentes, tum magnas nuſquam ſolere occurrere, quin continens in propinquo ſit, & multis aliis & mihi ipſi perſuaſum prorſus eſt, ab illis Inſulis Salomonijs non procul ab eſſe terram continentem latiſſimam, quæ huic Americę ex Occidentali parte reſpondeat, & ad Magallanicum fortaſſis fretum conuertatur. Nã & nouam Guinæam terram eſſe continentem tradunt, quam peritiores quidam Inſulis illis affingunt. Itaq; magnam orbis partem reſtare adhuc nobis incognitam ratio ipſa perſuadet. Iam verò hoc ipſo mari Auſtrali ad Synarum celeberrimam latiſſimamq; regionem nauigant noſtri, neque maiora eius nauigationis ſpatia referunt, quàm quæ ab Europa ad Indiam Occidentalem emenſi ſumus. Vtriuſq, autem Oceani continuatio, Borealis inquam illius & huius Auſtralis, inter quos intercepta eſt America noſtra, ad Polum quidem Antarcticum certo explorata eſt quinquageſimo gradu elata, vbi fretum inſigne Magallanicum redditur. Sed vtrum ad Polum quoque Arcticum, ſimiliter vterque Oceanus committatur atque concurrat, multi quęrunt, & quod equidem ſciam, inuenit hactenus nemo. Tantum indicia quædam & coniecturas probabiles afferunt, ſupra Floridam eſſe alterum quoque fretum Magallanico ſimile. Nobis quæ hactenus certa fide comperta ſunt, ſatis eſſe debẽt, vt orbis terrarum portionem, vniuerſa Europa

atque

atque Aſia,& Africa,non minorem ex altera hac parte iacere intelligamus, atq; vtrumq; mundi Polum æquè ſibi & terras & maria vendicare, quod antiquis aut negare, aut dubitare impunè licuit.Quanquam huius quoque rei accuratioré tractationem rudes nos & vix mediocriter imbuti peritioribus certè relinquimus.

Lactantij opinio negantis eſſe Antipodas confutatur.

Cap. VII.

Lact.lib.7.diui.inſt.c.23. *Augu.lib.16.de Ciuit.c.9.*

SED vtrum ab hominibus incoleretur ea quoque orbis pars,quæ ſpectat Antarcticum, magna olim quæſtio fuit. Lactantius quidem Firmianus,& Aurelius Auguſtinus Antipodum aſſertores irrident.Sed quamuis fabulam æquè vterque arbitretur, tamen vt ingenijs plurimum abſunt inter ſe,ita rationibus prorſus diſſimilibus inducuntur. Lactantium triuialis quædam opinio fefellit,qui irridens Philoſophos cælum quaqua verſum deuexum,terramq́;in medio ſicut pilam concluſam aſſerentes, ita ſcribit. Qui eſſe contrarios veſtigijs noſtris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus,qui credat eſſe homines, quorũ veſtigia ſunt ſuperiora, quàm capita, aut ibi, quæ apud nos iacet,inuerſa pendere?fruges & arbores deorſum verſus creſcere?pluuias,& niues,& grandinem ſurſum verſus cadere in terram. Et poſt nonnulla,ſic pendulos iſtos Antipodas cæli rotunditas adinuenit.Quid dicam de ijs neſcio, qui cùm ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant,& vanis vana defendunt. Nos verò qui contrariam Aſiæ incolimus orbis partem,quia Antichthoni ſumus,neque pendere nos

cernimus,neq; veſtigia nobis eſſe ſuperiora,quã capita.Neq; fruges noſtras & arbores aliorſum creſcere,neque niues, aut imbres aliter cadere quàm in Europa videmus. Omninò eſt admirabile dictu, rationem humanam,& verum ſine imaginatione percipere non poſſe, & tamen ſi imaginationi obſequatur, nõ errare nõ poſſe. Cælum rotundum,vt eſt,& terram in medio poſitã niſi imaginemur,non poſſumus intelligere. At eandem imaginationem ſi mens ſequatur,ac nõ potius caſtiget,& corrigat,omninò fallimur, & aberramus à vero.Ita in nobis eſſe cœleſte quoddam lumen,quo ipſas etiam rerum formas ad intelligẽdum oblatas, dijudicemus, & probemus, atq; improbemus, apertiſſimo vſu deprehendimus. Quare & animũ omni corporea natura ſuperiorem, & æternũ veritatis vigorẽ in ſumma hominis ſede præſidentẽ, qui immortale lumen ſuum ex illo primo,& ſummo lumine accenſum conteſtetur,qui ignorat,aut dubitat, is profectò ſe ſe etiam eſſe hominem ignorat, aut dubitat. Itaque forma omnis ſenſu percepta, viſque ipſa imaginandi ſi de cæli rotunditate interrogetur, nihil aliud dictura eſt,quàm quod docuit Lactãtius.Si cælum rotundum ſit,ſolem,& aſtra cadere ad occaſum,ſurgere ad meridiem,terram eſſe ſuſpenſam in aëre,homines, qui ex altera parte incolunt, veſtigia ſuperiora ferre quàm capita, niuem & imbres illic non cadere deorſum, ſed infernè aſcendere,& cætera portenta etiam dictu ridicula, At ſi ſuprema rationis vis conſulatur, nugas has omnes facilè irridebit,atque imaginationẽ tanquam anum delirantem reſpuet. Tum illa ſua ſeueritate incorrupta reſpõdebit,

eos decipi, qui perinde mundum fabricantur, vt domum quandam, cuius fundaméto nil niſi terra, tecto non niſi cælum ſuperius ſit. Quin potius vt in animantibus, quamuis alijs aliter ſitum ſit caput, alijs quidem ſupernè, vt hominibus; alijs obuerſum, vt quadrupedibus; alijs mediũ, vt Polypo, & araneo; in omnibus tamen caput eſſe ſupremum, ita etiam cælum vbicunque ſit, ſupernum eſſe, terram ſemper infernam. Nam quia imaginatio noſtra addicta eſt loco, & tempori, tempus autem & locum non percipit vniuersè, ſed definitè, iccirco cùm ad ea aſſurgit, quæ tempus excedunt, aut locum ſibi notum, protinus corruit, & niſi ratione erigatur, ne momento quidem ſtare poteſt. Itaque ante mundum conditum tempus quærit, & illi quoque fabricando locum parat, neque aliter fieri poſſe ſatis videt, cùm ratio tamen neque ante motum fuiſſe tempus, neq; vniuerſo ipſo locum vllum priorem fuiſſe perſpicuè oſtendat. Hanc igitur ex vana imaginatione conceptam contra terræ ſitum argumentationem philoſophus, & dilucidè refellit, & breuiter eundem eſſe in mundo locum & medium, & infimum verè omninò pronuntians.

Arist. 1. de cælo.

Quæ ratio impulerit B. Auguſtinum, vt negaret eſſe Antipodas.

CAP. VIII.

DIVVM verò Auguſtinum acerrimo ingenio virum longè alia ratio, vt de medio auferret Antipodas, cõpulit. Nam illam de inceſſu contrario ipſe diſſoluit in libro Categoriarum. Veteres, inquit, vndequaque verſum aſſerentes

Auguſt. libr. Categor. c. 10. in 1. tom.

terram

terram eſſe ſubter, cælũ ſuper. Nam & Antipodes noſtri, qui nobis dicuntur figere aduerſa veſtigia, cælum ſuper ſe habent. Hoc igitur cùm philoſophicè prorſus intellexerit Auguſtinus; quid quæſo potuit hominem vſque adeò doctum in eam opinionem perducere? Nempè ex media Theologia ſumpto argumento, quod omnes homines ex vno Adæ ſemine propagatos diuinæ literæ tradunt, vt autem infinito Oceano traiecto homines ad obuerſas terræ partes commearent, nulla ratio pati poſſe videbatur. Ac niſi vſus ipſe rerum oculata fide ſecus eſſe oſtendiſſet, profectò hodiè quoque inuicta ratio illa perſtaret. Quam cùm nullo modo eſſe veram, liquidò conſtet, quomodo tamen ſoluenda ſit, id eſt, quemadmodum genus Indorum potuerit ad hanc Americam penetrare, operis & difficultatis plurimum habet. In cuius explicatione diutius nobis erit in conſequenti diſputatione laborandum. Nunc ipſum B. Patrem audiamus in libris de Ciuitate Dei differẽtem. Quod verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt, à contraria parte terræ, vbi ſol oritur quãdo occidit nobis, aduerſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nulla ratione credendum eſt. Neq; hoc vlla hiſtoriæ cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando coniectant, eo quod intra cõuexa cęli terra ſuſpenſa ſit, eundemq; locum mundus habeat & infimum, & medium. & poſt pauca. Nullo modo ſcriptura ſacra mentitur, quæ narratis præteritis fidẽ facit, eo quod eius prædicta complentur. Nimiſq; abſurdum eſt vt dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immenſitate traiecta nauigare & peruenire potuiſſe, vt

Act. 17.

Lib. 16. c. 9.

etiam illic ex vno illo primo homine genus inſtitueretur humanum. Tota ergo Auguſtini difficultas Oceani immenſitas fuit. In qua etiã ſententia fuit grauiſſimus auctor Gregorius Nazianzenus pro certo confirmans vltra Gades mare eſſe hominibus impermeabile. Nam in quadam epiſtola. Porrò, inquit, vltra Gades mare hominibus non eſſe permeabile Pindaro docenti aſſentior. Et in funebri oratione Baſilij. Neq; vltra Gades tranſmeare cuiquam conceſſum eſt. Quod quanquã prouerbij loco ex Pindaro ſumptum eſt, (Quod vltra Gades eſt, ait ille, æquè ſapientibus & ſtultis inacceſſum eſt,) tamen ipſa prouerbij origo ſatis ea de re veterum conſtantem ſententiam indicat. Itaq; Poetarum, Hiſtoricorum, & Topographicorũ literis Gades Hiſpanicæ, orbis terrarum fines celebrantur, illic Herculeas columnas erigũt, illos & Romani Imperij, & vniuerſi orbis limites ſtatuunt. Neque profanæ ſolùm, ſed ſacræ etiã literæ ad eum modum ſæpè loquũntur. Accommodant enim ſe illę vulgari ſententiæ, vbi ſcribunt. Exiſſe edictũ à Cęſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, & de Alexandro Macedone tradunt perueniſſe ad terræ fines, & terram vniuerſam ceſſiſſe illius imperio, ſicut aliàs Euangelium in vniuerſo mundo fructificaſſe, & creuiſſe: vſitato enim more vniuerſus orbis accipitur, portio illius maxima ad illa vſque tempora cognita. Nam neque Oceanum illum Indicum, neque hunc alterum Athlanticũ humanis viribus aut induſtria traijci poſſe vna omnium ſententia fuit. Itaque Plinius tanquã de re certa ait, Sic maria circunfuſa vndique diuiduo globo partem orbis auferunt nobis,

Greg. Nazian epiſt. 71. ad Poſthumianum.

Luc 2.

1. Mach. 1.

Coloſ. 1.

Plin. lib. 2. ca. 67.

nobis, neque inde huc, neq; hinc illo peruio tra-ctu, id quod Cicero, Macrobius, Mela, cæteriquè pleriqueſcripſerunt.

Ariſtotelis ſententia de habitatione alterius orbis, & qua in re aberrauerit.

CAP. IX.

FVIT quoque altera cauſa, cur veterum opinione ad hunc alterum orbem mortalibus non pateret acceſſus, quod præter Oceani vaſtitatem, cælum ipſum obſtaret ſolaris *Zonæ* implacabili æſtu, quo ab eo itinere, vel mari, vel terra conficiendo audaciſſimum quemque compeſceret. Namque ij, etiam, qui terram, vt eſt, fecêre rotundam, & ad vtrũque Polum habitabilem eſſe cenſuêre, negarunt tamen incoli poſſe ab hominibus mediam hanc eandemque maximam & longiſſimam Zonam duobus ſolſtitialibus circulis comprehẽſam, propter æſtiuos perpetuoſq; ardores ex Solis propinquitate eam omnem regionem adurentes, & pabuli aquarumque impotentem efficientes. Huius ſententiæ au-ctor eſt Ariſtoteles, magnus ille quidem naturæ explorator, ſed in hac re longè aberrans à vero. *Ariſtot. 2. Meteo. c. 5.* Quid autem philoſophatus rectè ſit de ſitu orbis, quid ſecus, breuiter expediam. Is de Auſtro diſputãs an ab ipſo meridie exoriatur, an potius ab vltimo vertice Poli Antarctici, ad hunc modũ ſcribit. Ratio docet terræ, quæ habitatur latitudinem quidem determinatam eſſe, eam tamen continenti orbe cõiungi non poſſe propter temperationem. Non enim ardore nimio, & frigore premitur in longitudinem ſuam, ſed in latitudinem, ita vt ſicubi maris vaſtitas minimè pro-

hiberet,tota quàm longa eſt pedibus peragrari poſſet.Huc vſque prorſus bene. Non enim poteſt negari,quin terra in longitudinem,hoc eſt ab ortu ad occaſum magis habitationi hominũ accommodata ſit, quàm in latitudinem, id eſt, à Septentrione in meridiem,non ſolùm ob rationem ab Ariſtotele allatam de temperatione,quæ per lõgitudinem eadem perpetuò eſt, cùm æquè abſit à ſolis æſtu,& Septentrionis rigore, verùm etiam propter noctium dierumq; ſpatia alterna, cùm verſus latitudinem in perpetuas vmbras & ſemeſtrem noctem incidere neceſſe ſit.Pergit autem aduerſus Geographos ſui temporis id monſtrare Ariſtoteles.Hoc ipſum,inquit, in nauigationibus itineribuſq; pedibus conficiendis animaduerti licet.Lõgitudinis enim & latitudinis magna eſt diſtinctio. Nã quod à columnis Herculis vſque ad Indiam pertinet, eo quod ab AEthiopia vſque ad Mæotin, & ad extrema Schythiæ loca maius eſt,quàm quinque ad tria ſint, ſi quis nauigationum atq; itinerum rationem habeat, quantum earum rerum certa explorataque cognitio hauriri poteſt. Atqui vſque ad incultas terræ partes eam,quæ habitatur in latitudinem cognitam habemus. Hìc Ariſtoteli venia danda eſt,qui ex ſuæ ætatis hiſtoria nihil vltra citeriorem AEthiopiam,Africæ atq; Arabię ſubiectam exploratum habuerit,vltimam Aethiopiã ignorarit,cũ necdum immenſa illa pretioſi Ioannis regio cognita haberetur, multoque minus quicquid Aequatorem, quicquid Tropicum Capricornij excedit vſq; ad bonæ ſpei promontorium Luſitanica nauigatione notiſſimum. Quo ex loco ſi vſquead vltimam Scythiam atque Tartariã latitu-

latitudo capiatur, non dubium eſt, quin æquatura ſit totam à columnis Herculis vſque ad Indiam longitudinem. Sed & Nili fontes, & infinita propemodum interioris Aethiopiæ ſpatia ignorauit antiquitas. Ob hanc rem Lucanus Cæſarem ab ea inquiſitione coërcet. Quæ tibi, inquit, noſcendi Nilum Romane cupido? & Nilũ ipſum aliâs alloquens idem poëta. Et te terrarum neſcit cui debeat orbis: Scripturæ autem noſtræ, id eſt, ſacra auctoritas eam quoque terram habitari facilè obtinet. Neque enim in Sophonia legeremus. Vltra flumina AEthiopiæ filij diſperſorum meorum deferent munus mihi, cùm de illarum gentium vocatione vaticinaretur, ſed, vt dixi, veniã oportet dare philoſopho ſuis hiſtoricis & topographis fidem habenti. Illud quod ſequitur, expendamus. Altera, inquit, pars, hoc eſt Septentrionalis, vltra inculta eſt, quod frigore rigeat, altera, id eſt, vltra Solſtitiũ, quod vratur calore. Quæ autem vltra Indiam, columnaſq; Herculis ſitæ ſunt, eæ propter mare coniungi minimè ita videntur, vt tota ſit continens terra, quæ habitatur. Hoc verũ eſt prorſus & indubitatum. Adiungit verò. Quoniã neceſſe eſt aliquem locum eandem habere rationem ad alterum verticẽ, quàm is, quem nos incolimus ad eum, qui ſupra nos eſt, habet, non eſt id quidem dubium, quin eadem ratione cætera alia, tum ventorum ſitus reſpondeat. Et interpoſitis quibuſdam de Auſtro & Aquilone. Neceſſe eſt profectò Auſtrum eſſe ventum eum, qui flat à loco qui calore vritur. Is autem locus, quod ſolem proximum habet, aquis & pabulis caret. Hæc Ariſtoteles, nec potuit fortaſſis certius aliquid

Lucan. 10. Pharſal.

Sophon. 3.

aſſequi humana ſuſpicio. Qua etiã ex re (vt hoc religioſè dicam) ſoleo ſæpè perpendere, quã in rebus diuinis infirma ſit philoſophia ſapiẽtium huius ſæculi, quando in ipſa terrena, & infima materia, vbi ſibi videtur maximè ſapere, vſque adeò deſipit. Habitationem terræ ad hunc alterũ Polum Auſtrinum, vt vocat Plinius, collocitæ ſecundùm longitudinem ab Occidente in Oriẽtem eſſe maximam, ſecundùm latitudinem verò à vertice Auſtrali vſq; ad æquinoctialem, aut nullam, aut perexiguam Ariſtoteles vult. Sed adeò falſum eſt, vt totius noui orbis tota propemodum habitatio ſit ſecundùm latitudinem, id eſt, à Polo in Polum: ab Oriente autem in Occaſum breuis admodum menſura ſit, tantumque latitudo noui orbis longitudinem ſuperat, quantum denarius ternarium, & eò amplius. Iam verò, quod mediam regionem, quã torridam Zonam vulgò appellamus, aſſerit prorſus inhabitabilẽ, quòd calore exuratur propter ſolis vicinitatem, quodque pabulis, & aqua careat, omninò eſt ſecus. Nam & noui huius orbis lõgè maxima pars ac frequentiſſimè habitata, intra vtrumque Tropicum continetur, eadem, & pabulis, & aqua ſupra omnes orbis terrarum regiones abundat, atque plurima ex parte temperatiſſima eſt; vt hic etiam DEVS ſtultam huius mundi ſapientiam feciſſe videatur. Eſt ergo habitabilis, habitaturque copioſè, quicquid reclamet antiquitas, Zona torrida. Porrò regio illa inter hac torridam, & illam Polarem poſita, quamuis ſitu ipſo commodiſſima ſit habitationi humanæ, tamen rarò admodum habitatur, quod hactenus ſola regio Chylenſis occurrat, quæ non ſit Oceano intercepta.

cepta. Multi tamen, quorum me etiam in numero eſſe profiteor, terram huic Chylenſi oppoſitā vltra Tropicum Capricornij porrigi opinantur, ſed eandem nobis nondum eſſe exploratam. Neque dubium eſt, quin ea regio, vt optimum, & temperatiſſimum ſitum tenens, medium inter torridam, & Polarem, ita etiam omnibus rebus præſtet, vtpote Europę optimæ parti ęqua ratione reſpondens. Et hoc ſatis conſentaneè Ariſtoteles ſuſpicatus eſt. Sed tamen, vt dixi, & illa quantum hactenus compertum eſt, breuiſſima eſt, & ipſa torrida longè maxima.

Quod eadem Plinij & complurium veterum ſententiá fuerit.

CAP. X.

ARiſtotelis ſententiam ſecutus eſt Plinius. Lux, inquit, media terrarum, qua ſolis orbita eſt, exuſta flammis, & cremata cominus vapore torretur. Circa quam duæ tantùm inter exuſtā & rigentes temperantur, hæq; ipſę inter ſe non peruiæ propter incendium ſideris. Hæc eadem fuit vulgaris ſententia veterum, quam etiā Poëta ſuo carmine celebrat. *Plin. lib. 2. ca. 68.*

Quinque tenent cælum Zonæ, quarum vna coruſco *Verg. in Georgic.*
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igne.

Idemq; aliâs, Et ſi quem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui. Et alius Poëta apertius. *Et 7. Aenei.*

Totidemq; plagæ tellure premuntur: *Ouid. 1. Metamor.*
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.

Ea verò veterum ſententia, perſpicua atque inuicta, vt ipſis videbatur, ratione nitebatur. Nam vt quæq; regio ad meridiem propius accedit, ita

ſolis ardoribus magis expoſitam animaduerte-rant, idq; adeò verũ eſt, vt in eadem Italiæ prouincia Apuliam, Liguria, & in noſtra Hiſpania Bæticam Cantabria vſq; adeò feruentiorem notare liceat, vt per gradus vixdum octo grãde frigoris & æſtus diſcrimen ſit. Hinc iam conſequi videbatur, vt eadẽ ratione ſeruata ea regio, quæ ſolis radijs ſubiecta eſſet, intolerabili prorſus perpetuoq; ardore vrgeretur. Præatereà inter ipſum anni decurſum hyemis, veris, æſtatis, autũni, viciſſitudines non alia ex re fieri videbant, quàm ex ſolaris globi acceſſionibus. Et cũ æſtiuos calores longè adhuc à ſolſtitiali circulo poſiti vix ſe ferre poſſe cernerent, iam ſuo iure colligebant, ſi tam propinquum haberent ſolem, vt directo illius radijs ferirentur, idque per totum propemodum annum, futurum eſſe omninò, vt ſummis perpetuiſq; ardoribus abſumeretur genus omne mortalium. Hæc antiquorum, quod regio media inculta eſſet, ratio fuit. Quã, niſi nos ſecus vſus ipſe docuiſſet, non phyſicam, ſed Mathematicam demonſtrationem, hodie quoque reputaremus, adeò ad ipſas etiam naturæ leges peruidendas humana ingenia imbecilla ſunt, verùm illa duo naturæ miracula immenſi, inquam, Oceani certa traiectio, & torridę Zonæ ſuauiſſima habitatio, noſtræ ætatis felicitate patuerunt. Et, quoniam de Torridæ habitatione & natura fusè dicendum eſt libro ſequenti, Oceanum pernauigandi ratio, quæ ad inſtitutum magnoperè confert, hoc ipſo explicanda eſt, ſi prius, quæ de genere Indorum veteres, recenteſque ſcriptores tradidiſſe videntur, perſecuti fuerimus.

Notitiam

Notitiam alterius orbis apud veteres inueniri.

CAP. XI.

IGITVR hominum genus vltra Cancri circulum habitare veteres aut omninò negarũt, vt Lactantius & Auguſtinus, aut certè, ſi qui eſſent, intra mediæ regionis terminos non poſſe conſiſtere affirmarunt, vt Ariſtoteles & Plinius, & vtroque antiquior Parmenides, vtrumque autem ſecus eſſe ſatis conſtat. Sed vtrum ante noſtram ætatem eius rei notitia extiterit, accuratè permulti quærunt. Apparet enim monſtri ſimile, & alterum orbem eſſe tantum, quantum hũc cernimus, & antiquos tot ſæcula latuiſſe. Itaque nonnulli tanquam eam gloriam noſtro & ſæculo & generi inuideant, conantur huius quoq; orbis notitiam antiquitati tribuere. Atq; eſſe certè nonnulla eius veſtigia negare non poſſumus. Scribit Hieronymus in epiſtolam ad Epheſios: Quærimus quoque quid ſit. In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi huius. Vtrumnam & aliud ſæculum ſit, quod non pertineat ad mundum iſtum, ſed ad mundos alios, de quibus & Clemens in epiſtola ſua ſcribit. Oceanus & mundi, qui tranſipſum ſunt. Quænam hæc fuerit Clementis epiſtola ignoro: ſed illud ſcripſiſſe Clementem Hieronymo fidem nõ habere non poſſum. Perſpicuè verò Oceano traiecto alterũ eſſe mundum, imò etiam mundos Clemens docet, atq; ita re vera eſt: longiſſimè enim vterq; nouus orbis, id eſt, America, ab India Oriẽtali diſtat. Caius quoq; Plinius, accuratiſſim⁹ rerum mirabiliũ indagator, memoriæ prodidit: Hannonẽ ducẽ Carthaginẽſem à Gadib⁹ ad finẽ

Plut. lib. 3. placitis Philoſ. c. 11.

Hier. in c. 2. epiſt. ad Epheſ.

Clemens Romanus epiſt. ad Corint.

Plin. lib. 2. cap. 67.

vſque

vſque Arabiæ circumiectum, eamq́; nauigationem literis commendaſſe. Quod ſi verũ eſt, quicquid hodie Luſitani immenſa ſua nauigatione bis æquinoctiali ſuperata Oceani conficiunt, Hanno ille emenſus ſit neceſſe eſt. Eandem nauigationem contrario ordine confectam ab Eudaxo quodam, quem, cũ Latyrum Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades vſque peruectum, idq́; ſua ætate, Cornelius Nepos auctor eſt. Tradunt etiam auctores non ignobiles nauem Carthaginenſium vi ventorum per Oceanum abreptam in nouam quandam regionem incurriſſe, moxq́; ad ſuos reuerſam cognoſcẽdæ eius regionis ſtudium Carthaginenſibus excitaſſe, verùm maiorum decreto eam inueſtigationem eſſe cohibitam, ne nouarum rerum occaſione Carthaginis gloria, & celebritas fuſcaretur. Quibus ex rebus intelligere poſſumus nonnullam noui orbis apud veteres notitiam extitiſſe, tametſi de Occidentali hac India, deq́; hac America vix aliquid monumentis antiquorum conſignatum inuenire liceat. Nam de Orientali India etiam citeriori, quæ antiquis erat vlterior, eo quod ex altera parte orbem peragrarent, non rara neque obſcura mentio eſt. Nam de Aurea Cherſoneſo, de Cori promontorio, de celebrata illa Taprobane, quæ alijs hodie vocabulis frequentantur, quis ignorat veterum ſcriptorum literas? Quid de vtraque Aethiopia, de Brachmanibus, de gente Synarum? Nónne & multa & perſpicua horũ commemoratio extat in libris antiquorum? Porrò Occidentalis nauigationis, quãtum etiam fama aſſequi Plinius potuit, tantum ad fortunatas Inſulas curſum protendit, earumq́; præcipuam

Idem, Ibidẽ.

Plin. lib. 6. cap. 32.

à multi-

à multitudine canum Canariam vocatam refert. Inde pelagus illud ampliſſimum, quod meritò Magnum nautæ appellant, vix vllis certis veſtigijs antiquitatis notatum reperimus. Sed nonnullos maximè illud Senecæ carmen mouere ſolet, cùm in ſuis Anapęſticis noui orbis res prædicere videatur. Ita enim illius Medæa habet;

Venient annis ſæcula ſeris.
Quibus Oceanus vincula rerum,
Laxet, & ingens pateat tellus.
Typhiſq; nouos detegat orbes,
Nec ſit terris, vltima Thule.

Seneca in Medæa actu 2. in fine.

Ita eſſe factum negare non poſſumus. Nam ſeros annos mille & quadringentos à Tragico pluſquã bis mille à Medæa meritò accipimus. Oceanum quoque rerum laxaſſe vincula, cùm alios terrarum terminos oſtendit & patuiſſe ingentem tellurem, tota certè Aſia atque Europa maiorem, deniq; nouos eſſe detectos orbes, omnes cernimus, vt Chorus ille prædixit. Sed vtrum diuinarit Seneca, an fortuito ac temerè cecinerit, quæri poteſt. Mihi verò diuinaſſe videtur, ſed eo genere diuinationis, quod prudentes viri familiare habent. Videbat namq; iam illo ſæculo nauigationibus mare inuſitatis ſolicitari, terrã eſſe alteram Antichthonam ex Philoſophia didicerat. Potuit iure & meritò hominum induſtriam, & audaciam eò aliquando progreſſuram exiſtimare, vt magno Oceano enauigato nouos terrarum orbes aperiret, cùm præſertim ea ætate naufragia illa, quæ Plinius narrat, longiſſimi Oceani nota eſſent. Nam poſt veterum quietem collaudatam, adiungit de audacia ſuorum tem-

porum. Nunc iam ceſſit Pontus, & omnes patitur leges: & mox. Quælibet altum cymba pererrat. Terminus omnis notus, & vrbes muros terra poſuêre nouos. Nil qua fuerat ſede reliquit peruius orbis. Indus gelidum potat Araxẽ, Albim Perſæ, Rhenumq́; bibunt. Huius itaque audaciæ hominum quaſi incrementa extrema connectit, Venient annis ſæcula ſeris, & cætera, quæ recitata ſunt.

Platonis ſententia de India Occidentali.

Cap. XII.

Plato in Timæo.

Plato verò in Timæo expreſſius hunc nouum orbem Occidentalem, & propius attigiſſe videri poteſt. Tunc, inquit, pelagus illud nauigabile erat (loquitur aũt de Oceano Athlantico) inſulam enim ante oſtium habebat, quod vos columnas Herculis appellatis. At Inſula illa & Lybia, & Aſia ſimul maior erat, ex qua aſcẽſus ad alias inſulas tunc proficiſcentibus contingebat, ex Inſulis autem in omnem ex aduerſo cõtinentem circum verum illum Pontum ſitam. Hæc apud Platonem Critias. Qui verò Platonẽ, & hiſtoriam tradere, & vera narrare ſibi perſuadent, ij hæc ita exponunt, vt Inſula quidem illa, Athlantis dicta, tota Aſia & Africa maior plurimam Oceani Athlantici partem, quẽ modò Hiſpani traijciũt, occuparit: Inſulas autem ad quas ex Athlantide aſcenſus cõtingebat, eſſe eas, quas noſtri nautę appellant Barlouenti, Cubam, Hiſpanicam, S. Ioannis Boriquen, Iamaicam, & reliquas eo ordine poſitas. Ex his verò ad continentem adiri, hoc eſt, ad terram firmam à noſtris dictam termino hoc Peruenſe regnum & totam Ameri-

Americam. Verùm autem Pôtum, circum quem poſita ſit Continens, interpretantur hoc mare *Auſtrale*, vulgò Sur appellatum, ideò verò à Platone verum Pontum nominatum, quod præ vaſtitate illius Mediterraneum omne atq; Athlanticum ipſum tanquam ficta & ludicra maria vocari poſſint. Acutè quidem atque concinnè excogitata hęc à viris ingenioſis & antiquitatis ſtudioſis. Vtrum autem æquè verè ac certè, alio loco inquiremus. *Zarate in ſua hiſtoria.*

Quod quidam Ophir in ſacris literis eſſe noſtrum Peru opinati ſint.

CAP. XIII.

IN ſacris quoque literis, huius Occidentalis Indiæ mētionem fieri ſub Ophir nomine quidam volunt. Rupertus quidem Stephanus, vel potius Franciſcus Vatablus vir Hebraicè doctiſſimus, vt ego à Præceptore diſcipulo illius accepi in ſcholijs ad caput nonum libri tertij Regũ, Ophir, vnde Salomon aſportaſſe dicitur quadringenta viginti, ſiue quinquaginta auri talenta, ſcribit eſſe Inſulam Hiſpaniolam à Chriſtophoro columbo inuentam, vnde aurum optimũ, & probatiſſimum ex monte Cibaico noſtri eruunt. Neque defuêre viri perdocti, qui Ophir in ſacris literis tantoperè celebratam exiſtimarint eſſe hoc ipſum noſtrum Peru, quod vocabulum ipſum etiam Hebraicè extet, ſicque appellatum hoc regnum credant, cùm Paralipomenon ſcriberetur hiſtoria. Per Metatheſim verò Ophire ſiue Opire ſit dictum Piru. Adduci etiam in eam ſentētiam videtur, quòd ſcriptura cōmemoret aurum optimũ & ligna thyina pulcherrima & pretioſiſ-

In Biblijs Roberti Stephani.

In apparatu Bibliæ Regiæ in Phaleg. c. 9. & in Biblijs Roberti Stephani.

2. Par. 6. 9.

pretioſiſſima,& gemmas ex Ophir afferri. Quibus omnibus regio Peru abundare auctoribus his videtur. Quæ ſententia mihi probari nullo modo poteſt. Nam auri copiam in hac America eſſe ſcio, ſed non adeò celebrem, vt Orięctali Indiæ præferatur. Gẽmas verò pretioſiſſimas, quas ſcriptura refert, & ligna illa Thyina, qualia nunquam viſa ſunt in Hieruſalem, adhuc requiro: ac ſmaragdos quidem præcipui viroris, ligna quoque & odorata & fortia ſatis inuenio, ſed ſingulare præterea nihil. Nec mihi vero ſimile eſt, vt relicta Orientali India ditiſſima, ad hanc extremam Occidentalem Salomon claſſem mitteret, neq; ſi ita frequenter miſiſſet, nulla futura fuiſſe tantæ rei veſtigia. Etymologiæ autem illa cognatio ex Ophir in Peru deducta non admodum mihi perſuadet. Etenim nomen ipſum Peru in his regionibus neque antiquum eſt, neq; generale, ſed quemadmodum in his ferè noui Orbis expeditionibus contigit, vt regio de nomine ignota, primo quoque vocabulo appellaretur, atque id eſſet ſæpè fortuitum, ita quoque in hoc Peruano Regno factum eſt. Ex fluuio quodam, in quẽ noſtrates inciderũt, eo nomine dicto, quemadmodum antiquiores nobis tradidêre, tota hęc regio Peru deinceps vocata eſt, vſque adeoque id verũ eſt, vt indigenæ vocabulum ipſum Peru hodie quoque ignorent. Neq; ab alijs quàm ab Hiſpanis, ſi qui illorum ita nominant, nominare didicerunt. Cognatio quoque & ſimilitudo nominũ leuem ſanè coniecturam plerumque affert: niſi velimus Romanos in his regionibus quoq; verſatos aſſerere, quod Titum & Paulum inter præclara Ingarum principum nomina frequenter

audia-

audiamus. Me verò ſi quis interroget, quam re- *3. Reg. 9.*
gionem aut prouinciā arbitrer eſſe Ophir, quò *3 Reg. 22.*
claſſis Salomonia Tyrijs & Sidonijs nautis in- *Ioſeph. libr.*
ſtructa vehebatur auri exportandi gratia, & quò *8 antiq. Iu-*
cùm eadem ex cauſſa claſſis Ioſaphat Regis per- *dai. vbi &*
geret, in Aſiongaber naufragium perpeſſa eſt, *terram au-*
equidem Flauio Ioſepho potius aſſentior Indiæ *ream vocari*
Orientalis ſedem aſſerenti, ab Ophir filio Iectā, *Ophir.*
cuius in Geneſi mentio eſt, collocatam, eandem- *Gene. 10.*
que primi auri ditiſſimam. Ex quo in Sacris lite- *Montanus in*
ris Aurum Ophir, ſiue Opham, ſiue etiam obri- *alpha.*
zum quaſi Ophirizum celebratur, quod cùm a- *Hieron. ad*
pud Hebræos teſte Hieronymo auri ſeptem vel *Principia. in*
genera vel vocabula ſint, Ophir principem lo- *3. tomo.*
cum teneat, ſicut apud nos Valdiuiæ aut Carabaiæ aurum celebratur. Cur autem in Orientali potius India quàm in hac Occidentali Ophir fuiſſe exiſtimem, illud caput eſt, quod ad noſtrum Peru non niſi infinito circuitu tota India Orientali & Sinarum regione enauigata Salomonia claſſis peruenire poterat. Neque fit mihi veriſimile per tot ſpatiorum millia Sidonios nauigaſſe auri quærendi cauſa, ad eā præſertim terram, cuius nullam habere notitiam per continentem potuerint. Nam noſtræ nauigationis artem, & methodum veteribus fuiſſe ignotam argumentis haud quaquam leuibus poſteà oſtendemus.

Quidnam Tharſis & Ophir in ſacris literis ſignificent.

CAP. XIIII.

QVOD ſi ſuſpicionibus & coniecturis tantū concedi debet, ego planè Ophir & Tharſis in diuinis literis ſæpius non certum aliquem defi-

nitumque locum ſonare ſuſpicor, ſed generale potius eſſe vocabulum, idemque efficere apud Hebræos, quod apud nos vulgò Indiarum vocem. Nihil enim aliud vulgari tritoque vſu Indiarum nomine accipiunt noſtrates, quàm remotam procul regionem, eamque opulentam, & à conſuetudine noſtrarum rerum mirificè differentem. Ita Indiam æquè vocant noſtri Hiſpani & Americam, & Mexicum, & Sinas, & Malacam, & Braſiliam regiones certè & ſitu & forma latiſsimè diſſidentes. Quanquam negare non poſſumus inde ductum nomen Indorum & deriuatum ad hunc nouum orbem, quod India ipſa verè Indica, opinione antiquorum, omnium terrarum haberetur extrema. Itaq; idem Indos intelligunt homines, quod fines orbis terrarum. Ad hunc planè modum Tharſis apud Hebræos videtur mihi non certum aliquem locum deſignare frequentius, ſed communiter regiones omnes remotas, eaſdemque opinione hominum mirabiles & opulentas. Nam quod Ioſephus & alij nonnulli pro eodem Tharſis & Tarſum Ciliciæ vrbem ſumunt, non eſt ſatis probabile, vt etiam Hieronymus docet. Non ſolùm quod ſcriptio in aſpiratione per Θ & T prorſus diſcrepat, ſed quod pleraq; etiam in ſacris literis dicta de Tharſis in Tarſum nullo modo congruere queant. Quãquam ſancta ſcriptura nõnunquam Tharſis in Cilicia collocari inſinuat, ita enim de Holopherne ſcribitur in libro Iudith. Cumque pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes, Ange, id eſt, Taurum, qui ſunt à ſiniſtro Cilicię, aſcenditq; omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem, effregit autem ciuitatem

Hieron. ad Marcellam in 3. tom.

Iudit. 2.

tem nominatiſſimam Melithi, prædauitque omnes filios Tharſis & filios Iſmael, qui erant contra faciem deſerti & ad Auſtrum terræ Cellon, & tranſiuit Euphratem &c. Verùm vt dixi, rarũ eſt, vt Tarſo conueniant, quæ de Tharſis legimus aliâs. Iam verò Theodoretus & quidam alij, verſionem ſeptuaginta interpretum alicubi ſecuti, Tharſis in Africa eſſe, eamque à noſtris Carthaginem dictã volunt. Aiunt enim eò curſum intẽdiſſe Ionam, cùm ſcribitur fugere voluiſſe à facie Domini in Tharſis. Quod præterea certa Indiæ regio Tharſis vocetur in ſacris literis, quod D. Hieronymus vult, non equidem repugno. At vnam eandemque definitò regionem ſemper ſignificare, id certè nego. Etenim reges Tharſis, quos munera Chriſto oblaturos Pſalmus canit, Magos fuiſſe ab Oriente venientes, eoſdemque Sabæos, & Ephæos & Madianitas ſatis ſacra ſcriptura docet, quos & Aethiopes, & Arabas, & Perſas viri docti fuiſſe tradunt, ſed Tharſis vocabulum homonymum eſſe ac plura variaque ſignificare in ſacris literis Hieronymo aſſentior, itaque interdum Chryſolitus aut Hyacinthus eſt, interdum Indiæ regio quædam, quinetiam mare ipſum quia cæruleum eſt, & illorum lapidum colores radijs percuſſum imitatur. Sed bene idem Beatus Pater in Eſaiam ſcribens negat Tharſis, quo Ionas peteret, eſſe aliquam Indiæ regionem. Neq; enim, inquit ille, Ionas de Ioppe nauigans ad Indiam poterat peruenire, ad quam illo mari non poteſt nauigari. Nam maris mediterranei, non rubri, vnde in Indiam nauigari poteſt, olim Ioppe nunc Iapha portus eſt. Longè ergo alia fuit Claſſis Salomoniæ nauigatio, ſiue in Ophir,

Theodor. in 1. Ionæ.
Arias Montanus ibi. & in Alphabeto apparatus.
Hieron. ad Marcellam.
Pſal. 44.
Eſai. 60.
Hieron. lib. 1. in Eſai. c. 2.

ſiue in Tharſis per mare rubrum. Namq; à Siongaber, vbi Regis Ioſaphat naues confractę ſunt, portum eſſe conſtat vrbis Idumeæ ad ſinum Elamiticum poſitæ propè fretum ipſum, vbi Erithræum mare magno Oceano committitur. Salomoni autem & aurum, & argentum, & ebur, & ſimias & pauos de Indica illa regione triẽnali nauigatione, quæ non poterat, non eſſe longiſſima, afferri ſolita legimus, cùm & metallis pretioſis, & Elephantis, & cæteris delitijs India abundet, quemadmodum Plinius locuples auctor eſt, & noſtri tẽporis certa fama. Atqui ex noſtra America ebur nullum exportari potuit, cùm Elephãtos prorſus ignoret, aurum alioqui & argentum & ſimios elegantiſſimos abundè præbere poſſet. Sed vt dixi hæc mea ſententia eſt, Tharſis nomine aut immenſum mare, aut regiones ſemotiſſimas & valdè peregrinas accipi ſolere. Quamobrem, quæ de Tharſis dicta ſunt, ea prophetico ſpiritu ad nouum orbem interdum accommodari poſſe non dubito.

3.Reg.22.

Quid de hoc nouo orbe Abdias vaticinatus ſit iuxta quoſdam.

CAP. XV.

QVIDAM etiam nouum hunc orbem Chriſto expugnandum, idq; Hiſpanica vi longè ante in ſacris & arcanis literis prophetatum volunt. Nam extremum Abdiæ vaticinium ita interpretantur. Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſrael omnia Chananæorum vſque ad Sareptam, & tranſmigratio Hieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri, & aſcẽdent Saluatores in montem Sion iudicare montem

Guido Boderianus in epi. ad Phil ppũ Catholicum Regem in 5. tom Iac Bib. Et Zumarraga in Hiſpanica hiſtoria.

tem Eſau,& erit Domino regnum. Sic nos legimus iuxta vulgatam. Illi verò ex Hebræo, vt dicunt, hoc modo: Et trãſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël, qui Chananæi ſunt vſque Sarphat,(id eſt, Galliam) & tranſmigratio Hieruſalem, quæ eſt in Sepharad (hoc eſt Hiſpania) hære ditate poſſidebit ciuitates Auſtri, & aſcendent ſalutem procurantes in montem Sion ad iudicãdum montem Eſau,& erit Domino regnum. Sed cur Sepharad, quod Hieronymus vertit Boſphorũ, ſeptuaginta verò Euphrata, deſignet Hiſpaniam, nullum ex antiquis proferunt teſtimoniũ, nullam certam rationem, ſicut etiam Sarphat, vbi vtraq; editio habet Sareptam, Galliam Guido patriæ fauens interpretatur. Nos verò, qui de linguarum peritia certare non poſſumus, illud iure requirimus, quidnam cogat ciuitates Auſtri ſiue Nageb, vt habẽt ſeptuaginta noui orbis gentes accipere? Quid etiam tranſmigrationem Hieruſalem in Sepharad gẽtem Hiſpanicam intelligere? Niſi Hieruſalem ſpiritualem cogitemus, hoc eſt, Eccleſiam, vt per trãſmigrationem Hieruſalem, quæ eſt in Sepharad Spiritus ſanctus ſignificet Eccleſiæ ſanctæ filios, qui verſantur in finibus terræ aut portibus, id enim Sepharad Syriacè notat, atque in Hiſpanias ſatis congruit, vbi & fines orbis terrarum à veteribus poſiti ſunt, & mari cinctam regionem ferè omnem Hiſpanicam conſtat. Auſtrum verò ſiue Nageb hunc orbem accipi poſſe inde fortaſſis oſtendẽt, quod totus penè hic mundus inuentus ſub meridie iaceat, & plurima ex parte Auſtralem polum ſpectet. Nam quod ſequitur. Et aſcendent ſalutem procurantes in montem Sion ad iudicandũ

montem Eſau, non difficilè eſt exponere, quod ad Eccleſiæ ſanctæ doctrinam arcemque confugiant, qui errores profanos gentium (hoc enim Eſau notat) euertere cupiant. Ac tunc erit non tã Hiſpanis, aut Europæis quàm Chriſto domino regnum. Ad hunc ſanè modum, qui Abdiæ vaticinium accipere velit, non valdè improbandus eſt. Nam ſpiritum omnia noſſe certum eſt, & tantæ huiũs rei, hoc eſt noui orbis inuenti & Chriſto ſubacti ſatis probabile eſt in diuinis eloquijs nõnulla extare veſtigia. Eſaias ait, Væ alis nauium trans AEthiopiam. Trans AEthiopiam profectò nullas alias alatas, id eſt, celerrimas naues intellexiſſe videri poteſt, niſi claſſem Oceani Athlantici, qui AEthiopia vlterior eſt, regionem Iudæã incolentibus. Et quamuis nauibus tam ſuperbis Propheta ominetur infauſta, tamen fructum etiam domino inde acceſſurum alius Propheta prænuntiat: Vltra flumina AEthiopiæ, inquit, inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Quod rurſus ad Inſulas longè & Tharſis ituros eſſe, qui ſaluati fuerint de Iſrael, & congregaturos Domino varias gentes Eſaias loquitur, vbi et Græciam, & Italiam, & Hiſpaniam, & Africam, & alias plurimas nationes numerat, quid vetat, quo minus ad harum etiam gentium vocationem deriuemus? Nam & Tharſis, & Inſulæ longè poſitæ, & fines terrarum hæc extrema orbis inſinuant. Iam verò quod Saluator tanto pondere verborum prædixit, prædicabitur Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio, re vera quandiu finis mundi moratur, gentes reſtare adhuc, quibus Chriſtus non ſit annunciatus, perſpicuè demonſtrat. Itaque & veteri-

Eſai. 18 iuxta ſeptuag. interpretes.

Soph. 3.

Eſai. 66. iuxta 70.

Matt. 24.

veteribus plurima orbis pars reſtabat incognita, & nobis non minima hodie quoque reſtat.

Quomodo primi homines ad Indos venire potuerint: & quod non venerint certa nauigatione.

CAP. XVI.

IAM verò illis ſatisfaciendum eſt, qui negant eſſe Antipodas, aut hãc quam nos modò incolimus regionem poſſe habitari. D. Auguſtinum vehementer deterruit Oceani immenſitas, vt genus hominum ad hunc alterum orbem traijcere potuiſſe exiſtimaretur. Nos verò, qui & homines olim hic habitaſſe ſcimus, & diuinis literis contra dicere nullo modo poſſumus, ex vno factum eſſe omne hominum genus, huc ex Aſia, aut Europa veniſſe homines affirmare certò poſſumus, ſed quomodo, aut qua via quóue duce gens Indorum innumerabilis huc penetrarit, meritò ſanè hodie quoq; & admiramur & quærimus. Nam neque alteram Noe arcam huc appuliſſe cogitare poſſumus, neq; Angelum quempiam, vt olim Abacuch Prophetam ex Palæſtina in Babylonem, ſuſpenſos per aëra tranſuexiſſe Indicæ gentis progenitores. Non enim quid Deus potuerit, quæritur, ſed quid humanarum rerum ratio atque ordo patiatur. Meritò igitur vtrumq; inter admirabilia Dei opera atque occulta conſilia referri debet, & quod tã vaſta pelagi ac terrarũ ſpatia genus mortaliũ penetrârit, & quod longè lateq; diffuſum tã diu noſtros latuerit. Quæſo enim te, quo conſilio, qua ratione, qua vi tantum pelagus gens Indorum pernauigâuit? quo auctore ad infinitè diſſitas regiones peruaſit? Equidem diu de hac

Act. 17.

Dan. 14.

cauſa & cogitaui ipſe mecum, & ex alijs quęſiui, neq; certum argumentum rei tantæ inuenire potui. Dicam tamen, quod occurrit, & quoniam teſtes non habeo idoneos, ſequar certè rationis ductum, quamuis tenuiter deprehenſum, vſq; dum illius veſtigia ex oculis euaneſcant. Vno igitur ex tribus modo genus Indorum ad hanc Americam veniſſe manifeſtum eſt, aut enim terreſtri itinere, aut maritimo vētum eſt, ac maritimum quidem vel fortuito peragi potuit, vel certo cōſilio & ratione, hoc eſt, aut vi tempeſtatis & Oceani præter ſpem ad hunc alterum orbem applicuerunt primi habitatores, aut ſtudio noua quærendi nauigationem huc direxerunt. Alium præter hos tres modos inuenire non poſſum, ſi quid res humanæ habeant, cogitemus, neq; prodigioſa quædam atque Poëtica comminiſcamur. Neque enim vel Ganimedis aquilam, vel Perſei equum alatum, neque Syrenas & Nicolaos genere Indorum accerſere oportet. Excutiamus ergo ſi placet atque libremus eorum quos dixi ſingulos modos, quod & vtiliter & iucundè fieri poteſt. Ergo illa videtur planiſſima & expeditiſſima via, vt quemadmodum nunc noſtræ Hiſpanienſes naues, curſus aſtrorum cælique conuerſionem notantibus magiſtris, vim ventorum aquarumq; ſcientibus ad Indos certum iter intendunt, ita olim antiquitas horum omnium perita has ſedes inueſtigauerit, inuentaſque tenuerit. Quid enim ſola noſtra ætas, ſoli noſtri homines Oceanicæ nauigationis induſtriam ſunt conſecuti? An non ſicut non ita pridem Claſſis noſtra Aluaro Mendanio duce ex hoc Limano portu ſoluens, & per immenſum Oceanum, Occiden-

ſtem verſus delata,ſtudio nouam mundi plagam huic Americæ occiduæ oppoſitam peruestigandi,poſt trimeſtre tandem tempus Inſulas illas,& multas & maximas inuenit,quas Salomonias vocare libuit, eaſq; aut magnæ nouæ Guinææ, aut alicui ingenti continenti hærere conſtans fama eſt,idque vt liquidò exploretur hoc tempore ſecundam Regij ſenatus auctoritate expeditionẽ parari,eodem duce,& præfecto cernimus:ſic etiam potuit quondam antiquitas, vt terram Antichthónam quæreret, quam certa ratione eſſe conſtabat, naualem quãpiam profectionem inſtruere, inſtructam hucuſque dirigere?Profectò nihil vetat,quò minus ita olim eſſe factum putemus,vt fieri modò cernimus. Adde quod hiſtoria ſacra atteſtatur à Tyrijs & Sydonijs Salomonem accepiſſe viros nauticos & gnaros maris,eundem triẽnalem nauigationem exercuiſſe. Quorſum verò vel nautarum peritia celebretur,vel tam diuturna nauigatio referatur, niſi magnum Oceanum Claſſis Salomonia traiectura fuerit?Multi ergo ita opinantur,putantque B. Auguſtinũ immeritò Oceani immenſitate deterritum,cùm potuerit ex triennali illa nauigatione Oceanum tandem, quantus eſt,permeari, facilè deprehendere.Ego verò ſecus ſentio,neq; adducor,vt Indorum primos auctores certo curſu,fixoq; conſilio exiſtimem in hunc alterum orbem commeaſſe,neque verò peritiam nauticam noſtræ ætatis,qua vna incredibili, & celeritate, & certitudine Oceanum vndevis quouis enauigant noſtri,veteribus cõcedere poſſum, cùm rei maximæ,& præclariſſimæ ne tenuia quidem veſtigia in antiquitate reperiat. Etenim vſum magnetis

2. Para. 8.
3 Reg 9.
3 Reg. 10.

gnetis ſiue maritimæ acus, vt vocant nautæ, neq; apud priſcos inuenio, neque illis perſpectum fuiſſe arbitror, quo vno nauigationis præſidio ſublato certa Oceani magni traiectio prorſus eſt impoſſibilis. Norunt vel imperiti quid dicam. Tam enim fieri nequit, vt nauta dempto Magnetis vſu in medio Oceano deprehenſus, quo dirigat proram nouerit, quàm vt oculis captus quid in monte procul poſito emineat, quid iaceat digito oſtẽdat. Admirabile profectò eſt eam magnetis vim & veteres tamdiu ignoraſſe, & noſtris demum innotuiſſe. Veteres ſanè ignoraſſe manifeſto argumento eſt, quod Plinius curioſus naturalium rerum enarrator, cùm ſatis multa de Magnete commemoret, hoc vnum maximum & præclariſſimum ingenium attritu ſuo ferrum ad Septentrionem conuertendi nullo modo attingit, quẽadmodum neque Ariſtoteles, neq; Theophraſtus, neque naturalis quiſpiam hiſtoricus aut Philoſophus. Sed ne Auguſtinus quidem, cùm in libris de Ciuitate Dei multa & magna ille quidem referat, ſed quæ infimè iacent præ hoc vno naturæ miraculo. Accedit ad hæc, quod naualium rerum inuẽtores ille ipſe hiſtoricus naturalis celebrãs, cùm cætera nautica exponat, magnetem penitus tacet, tantum ſiderum obſeruationem in nauigando Phænicibus acceptam refert. Ac re vera quicquid antiqui peritiæ maritimæ conſequebantur, ex ſiderum obſeruatione, ex terrarum promontorijs, litorumq; differentijs conſtabat. In medio mari deprehenſi, vbi cælum vndique, & vndique pontus, non aliam dirigendi proram rationem nouerat, quàm ex ſideribus, Sole, Luna, ſi hæc omnia nubilo tempore obducerentur, ex venti qualitate,

Plin. lib. 36. c. 16. & lib. 34. c. 14. & lib. 37. c. 4.

Auguſt. lib. 21. c. 4. vbi multa de magnete. Lucretius lib. 6.

Plin. lib. 7. c. 56.

litate, ex itineris peracti coniecturis, denique ex ingenij dexteritate & deſtinatione, ſicut etiam apud nos Indi nauigant plurima maris ſpatia ea induſtria conficientes. Quid quod Taprobanes Inſulæ, quam Samatram hoc tempore appellari putant, nautas nouam in nauigando induſtriam ſequi Plinius ſcribit. Septentrio, inquit, non cernitur, ſed volucres ſecum vehunt emittentes ſæpius, meatumque earum terras petentium comitantur. Quod ſi Magnetis vſus illis innotuiſſet, nihil auium volatu ad terræ ſitum cognoſcendũ opus eſſet. Deniq; vel illud ſolum abundè indicat nautis veteribus eam magnetis vim penitus fuiſſe ignotam, quod nautici inſtrumenti, quod patrio vocabulo dicimus, [*Aguja de marear,*] neq; apud Latinos, neq; apud Græcos, neq; verò apud Hebræos nomen extet, quod ſi eſſet nota, minimè nomine res tam præclara caruiſſet. Itaq; nauigationis Magiſtri, ſicut modò ſolùm ſupra puppim ſedent, aſſiduè ſpectantes nauticum inſtrumentum, vt tenenti clauum viam edicant, ita olim etiam ſedebant ad proram, vt obiectas terræ mariſq; notas circunſpicerent, quamobrem apud Græcos Proretæ appellantur.

Plin. lib. 6. c. 22.

De magnetis admirabili efficacia & vſu ad nauigandum veteribus ignoto.
CAP. XVII.

ERGO Magneti accepta referenda eſt Indica nauigatio tam certa, tam breuis, vt complures hodie homines viderimus, qui Vlyſipone Goam, Hiſpali, Mexicum aut Panamã, & in hoc ipſo Auſtrali Oceano ad Sinas vſque & fretũ Magallanicum nauigent, idq; facilè & crebrò. Nam

qui

qui quindecies & octies ſupra decies Oceânum emenſi nauigatione ſint, ipſi vidimus, nonnulli ſupra vicies ijſſe ac redijſſe memorantur, cùm tamen in magno Oceano nulla impreſſa veſtigia viæ extarent, nulli viatores occurrerent, qui de via docerent. Nauis enim, vt ſapiens ait, pertranſit fluctuantem aquam, neque eius cùm præterierit, veſtigium inuenire eſt, nec ſemitam carinæ eius in fluctibus. Attamen magnetis viribus fit, vt Oceanus orbiſque vniuerſus mortalibus peruius ſit, cui à ſempiterno & ſapientiſſimo Conditore vis ea attributa eſt, vt ex ſolo attritu illius ferrum qua parte attactum eſt perpetuo quodam aſpectu motuq; conſtanti Septentrionem indicet vbiq; locorum. Cauſas huius tãti prodigij alij rimentur & quærant, & Sympathiam neſcio quam conenturinducere: ego ſummi Opificis potentiam, prouidẽtiamq;. quoties ad hæc intueor, & vehementer admiror, & iucũdiſſimè celebro. Hic enim veriſſimè Deum cum Salomone alloqui opportunũ eſt. Tua Pater prouidentia lignum gubernat, quoniam dediſti in mari viam, & inter feros fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens quoniam potẽs es ex omnibus ſanare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed, vt non eſſent vacua ſapiẽtiæ tuæ opera, propter hoc & exiguo ligno credũt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Et illud quoq; ex Pſalmiſta. Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationẽ in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, mirabilia eius in profundo. Neq; minimum eſt inter Dei opera mirabilia, quod exigui lapilli vis in immenſa abyſſo dominetur, cogatq; pelagi infinita ſpatia

ductui

ductui ſuo promptiſſimè cedere. Hoc quia ſæpè fit & facillimè fit, neq; homines iam mirantur, neq; verò curant, ipſaq; liberalitas apud imprudentes quo effuſior eſt, minoris ducitur. At nos decet & ſapientiam Dei venerari, & pro ingenti beneficio gratias agere. Cùm enim gentes Indorum tot ſæculis anteà ignotas adiri, atque frequētari à noſtris, vt ipſæ quoq; ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu adipiſcerentur, diuino conſilio decretum eſſet, proſpectum etiā diuinitus eſt, vt tam longi & inuſitati itineris dux certus hominibus præberetur. Itaq; Magnetem ducem & magiſtrum accepimus. Quo autem tempore primū eius nauticus vſus innotuerit, percrebueritque ſcire vix poſſumus. Equidem non fuiſſe antiquū coniecturis idoneis teneo, non ſolum ex ijs quæ ſuperiore capite retuli, ſed quòd in Horoſcopis quoq; veterum nullam magnetis mentionem lego, cuius tamen eſt præcipua immobilibus horologijs ratio. Scribunt illuſtres hiſtorici Luſitani à Gama primo Orientalis Indiæ inueſtigatore inuentos eſſe barbaros nautas citra Promontorium bonæ ſpei, qui Magnetis vſum edocti maria illa circumquaq; percurrerent. Sed vnde ijs notitia ea parta, non tradunt. Quinetiam nōnulli eorum ſcriptores veteribus ignotam rem eam ex noſtra opinione confirmant. Addā aliud eiuſdem Magnetis maius mea ſententia miraculum, quod incredibile haberetur, niſi & à peritiſſimis accepiſſemus, & explorata experientia confirmaſſemus. Spectat ſanè Acus maritima, hoc eſt, ferri illa acies magnete attacta, ſemperq; atque vbiq; gentium Arcticum polum, verùm non vbiq; æquè directo. Sunt climata quædam, vbi recta

Lib. 1 de Italia illuſtr. reg. 13.

Plin. lib. 2 c. 72 & 76. & lib. 7. c. vlt.

Oſorius de rebus geſtis Emmanuelis.

cta

ćta reſpicit Septentrionem, vltra verò & citrà in latus aut ſiniſtrum tantiſper vergit,eoque amplius,quò magis ab illo ſuo climate recedit.Hoc nautæ noſtri ſuis vocabulis dicere ſolent. Nordeſtear,& Norueſtear,quæ ſunt contraria, illud enim eſt ad Orientem tantiſper inclinare,hoc ad Occidentem.Quam planè declinationem tenere probè tanti refert,vt ſi gubernator eius rei imperitus ſit, exitum nauigationis longè diuerſum, quàm intẽdit,habiturus ſit.Eſſe autem in vniuerſo orbe quatuor tantummodo ea climata, vbi acus rectà fertur in Polum,narrabat mihi vir quidam Luſitanus eiuſce artis peritiſſimus,ac regiones, & nomina proferebat, quæ non ſatis teneo memoriter. Vnum horum notiſſimum eſſe clima,vbi inſula,quam appellãt del cuerno,ſita eſt. Inde enim ad Septentrionem aſcendentibus occaſum verſus incipit declinare, deſcendentibus ad æquinoctialem contra, ortum verſus. Sed quantum & quouſq; peritiores norunt. Hic ego diuinorum operum cẽſores appellare cuperem, qui tantum ingenio ſuo tribuunt, vt nihil ſe neſcire patiãtur,quas cauſas redditur i ſint, cur perexiguum ferrum ex cuiuſdam lapidis confricatione tantam facultatẽ concipiat, vt Septentrionem vbiq; quęrat & notet,vt mundi regiones & climata tam accuratè calleat,vt vbi ſiſtendũ,vbi dextrorſum nõnihil inclinandũ, vbi læuorſum, quouis Philoſopho & Coſmographo certius conſtantiuſque norit. Quod ſi horum, quæ quotidie cernimus,rationem excogitare non poſſumus,& eſſent prorſus incredibilia,niſi vſus ipſe faceret fidem,quid eſt,cur cæleſtia & ſupermundana ad diſputationis noſtræ calculos reuocare velimus.

Quin

Quin potius, vt præclarè Gregorius Theologus diſſerit, Fidei concedat ratio, quæ ſuis etiam terminis anguſta imbecilliſq; eſt. Verùm hactenus pauliſper ad philoſophandum diuertiſſe ſit ſatis: ad inſtitutum reuertamur, Magnetiſq; vſum nauticum antiquis ignotum probabiliter demõſtratum teneamus; ex quo ſit conſequens, vt nauigatio Oceani non fuerit olim ad hunc nouum orbem certo conſilio & ratione ſuſcepta.

Reſponſio ad eos, qui volunt olim nauigatum Oceanum, vt hoc tempore nauigatur.

CAP. XVIII.

NAM quod de Salomonis claſſe obijciebamus, parum me mouet, neq; enim ſacræ literæ docent integrum triennium in ea nauigatiõne expleri ſolitum, ſed ſemel per tres annos, hoc eſt quouis triennio claſſem mitti ſolitam. Quod ſi etiam triennalem eam nauigationem fuiſſe ponamus, potuit certè, quod eſt magis conſentaneũ exiſtimare, ad Indiam Orientalem ſecundùm varios portus & regiones terrarum nauigare, ſicut modò totus hic Oceanus Auſtrinus à Chyle vſq; ad Nouam Hiſpaniã ferè nauigatur, quòd genus nauigationis, vt certius eſt, quoniam terram ferè in proſpectu habet, ita longè prolixius, quod cõgatur multo circuitu ferri, & moras ſæpè trahere in portubus. Equidem nauigationẽ altiſſimo Oceano commiſſam, neq; apud veteres lego, neque ab illis aliter Oceanum nauigatum puto, quàm à noſtris hodie Mediterraneum. Quocirca docti viri ſentiunt veteres ſine remis nuſquam nauigare ſolitos, quod oras ferè terrarum legerent: id quod diuina ſcriptura inſinuat in longa illa à

Iona

Iona nauigatione ſuſcepta. Vbi ad terram nautas tempeſtate compulſos remigaſſe narrat.

Probabile eſſe primos huius orbis habitatores tempeſtate præter votum ad has regiones eiectos.

Capvt XIX.

CVM ex profeſſo inſtituta nauigatione hanc Indiam Occidentalem à primis indigenarũ parentibus occupatam eſſe, haudquaquam veriſimile oſtenſum ſit, ſequitur, vt ſi mari ventum eſt huc, fortuitò ac præter opinionem hominum peruentum ſit, id nõ eſſe incredibile, quãtacunq; Oceani immenſitas ſeſe obiecerit, non parũ multa perſuadent. Nam vt nihil aliud, certè qua tempeſtatis vi & contentione ventorum prima huius noui orbis litora nauta ille proſpexit, quicũque is fuit, (nam nomen tanta rei auctoris fama nõ prodit, vt Deo ſoli aſcribatur, vt decet) a quo primũ moriente veluti teſtamento hoſpes Chriſtophorus Colonus tanta notitia remuneratus eſt eadem planè vel non valdè diſſimili hominum aliquot greges per infinitum Oceanum ex Europa aut Africa abripi potuerũt, & ad regiones tunc ignotas etiam inuiti compelli. Quis enim neſciat plurimas noui orbis regiones magis ventorum iniuria, quàm hominum diligentia patefactas. Sed ne tanta Oceani permeatio noſtrarum nauium & hominum magnitudini ſolũmodo tribuatur, ex Plinio veteribus non inferiora contigiſſe facilè intelligi poteſt. Is ita ſcribit, In ſinu Arabico res gerente C. Cæſare Augusti filio ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragijs feruntur agnita, & poſt nonnulla; Nepos de

Plin. lib. 2. ca. 67.

Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in conſulatu Collegæ, ſed tum Galliæ proconſuli, Indos à rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij gratia nauigantes in Germaniam eſſent tempeſtatibus abrepti. Profectò ſi vera Plinius narrat, non amplius modò à Luſitanis pernauigatur, quàm illo vtroq; naufragio & Indorum vſq; ad Germaniam, & Hiſpanienſiũ vſque ad ſinum Arabicum percurſum eſt. Idem in alio lib. ſcribit, Annij Plocanij, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans Aquilonibus raptus præter Carmaniam decimo quinto die Hippuros portum Taprobanes inuectus eſt &c. Referunt quoq; nauem Africanam ex Mauritanico Oceano aquilone raptam olim vſq; ad noui orbis conſpectũ perueniſſe. Quantum enim ſæuiant in Oceano venti, quamque pertinaces ſint, vt plurimis diebus ne minimum quidem de vi remittant, omnes nouimus. Ego certè intra decimum quintum diem noui orbis Inſulas primas aſpexi, aſpecturus ſine dubitatione longè citius, ſi plena vela Euro Aquilonibus panderentur. Adeò perpetuò & animoſo flatu vſi ſumus. Valde igitur mihi probabile apparet olim homines Oceanum nauigantes præter ſententiam vi ventorum exillo ad hunc orbem eſſe compulſos. Atque celebris fama eſt in hac Peruenſi regione, vbi nunc Manta & Portus vetus oppidum perexiguum ab Hiſpanis ædificatum eſt, reperiri oſſa hominum gigantæa tantæ magnitudinis, vt duplo aut certè ſemiduplo corpora proceriora teſtentur, quàm ſint cõmunia hæc Indorum. Illos autem gigantes olim mari ad hæc litora eſſe delatos, ibi cum indigenis

Plin. lib. 6. ca. 22.

bella geſſiſſe, & quædẽ extruxiſſe immania opera,cuius generis profundus puteus lapidibus immenſis ædificatus hodie viſitur, vt ferũt. Tandem homines illos ſæuos & portentoſos,quod nefaria & impuriſſima libidine abuterentur cælitus eſſe conſumptos. Ad inſulas quoq; procul admodum poſitas, pluteis corijſq; inflatis pro nauigijs vectos veteres indigenas ijſſe ac redijſſe, qui Icam, & qui Aricam incolunt pro certo narrare feruntur. Itaq; ante Hiſpanos huc appulſos Oceanum hunc Auſtralem nauigatum quędam indicia produnt. Quamobrem exiſtimare facilè poſſumus, naufragio aliquo aut Oceani iniuria & Aquilonũ contentione olim hunc orbem eſſe inhabitatum, ſicut nunc tandem proditus eſt. Nam & illud mirabile eſt,in maximis clariſſimiſque naturæ muneribus,quod caſu atque fortuito reperta ſint,nõ induſtria hominum conquiſita. Pleraſque herbarum vires hominum vitæ ſalutares & lapidum,& ſtirpium vſum & foſſilium,quæ vocant, mineralia gẽmas quoq; & auri venas,proprietates quoq; magnetis,ſuccini,adamantis,& cæterorum taliũ, caſus potius oſtendit mortalibus, quàm vlla ars aut induſtria,vt in ijs non hominum ingenium, ſed Dei prouidentia commendetur. Quæ enim fortuitò apud nos fieri videntur,ea conſilio diuino prorſus eueniunt.

Longè probabilius eſſe primos huius noui orbis habitatores terreſtri itinere huc perueniſſe. CAP. XX.

IGitur vi tempeſtatis eiectos primos homines has regiones incolere cæpiſſe probabile eſt. Verùm illud me non bene habet ita opinãtem, quod

vt demus viros & fœminas, vnde propagaretur genus hominum, mari delatos, belluas profectò atque animantia multa & magna & noua, quæ nutrit hic orbis, nõ video quemadmodum naui imponere atque huc deferre poſſimus. Quod ſi propter ſcripturarum ſanctarum ſeruãdam fidem omnes huius orbis accolas ex altero huc veniſſe cõfiteri cogimur, ne homines vllos ex alio quàm ex primo Adamo propagatos faciamus, profectò eadem diuina auctoritate tradente belluas omnes atque animantia terrena in magno mundi cataclyſmo per vnam ſancti Noë arcam cõſeruata, cætera omnia ſine vlla exceptione interijſſe, oportebit nos iam etiã quærere horum animalium ex illis montis Ararat reliquijs, vbi arca cõquieuit, propagationem. Itaque ſicut hominibus, ita beſtijs debemus ex vetere orbe in nouum hunc viã quærere. D. quidem Auguſt. in hanc quæſtio. incidens, quomodo quædam inſulæ lupos habeant & pantheras cæteraſq; feras, quæ non pertinent ad procurationem ſtudiumq; hominũm (nam de elephantis, equis, bobus, canibus reliquiſque vitæ humanæ vtilibus facilè eſt intelligere induſtria hominum nauibus eſſe delatas, vti hodie quoque fieri cernimus longiſſima nauigatione ab Oriente in Europam, atq; ab Europa in hanc Americã) illas igitur beſtias, quæ nulli vſui ſunt, ac potius perniciem afferunt, quales lupi ſunt, quomodò Inſulæ habeant, ſi vniuerſum orbem inundauit, atq; deleuit diluuium, quærẽs vir ille doctiſſimus ex ijs anguſtijs ita conatur euadere, vt eas feras vel natando perueniſſe ad inſulas, vel ſtudio venationis ab hominibus eſſe delatas, vel diuina procuratione ex ipſa terra eſſe generatas, vt olim

Aug. lib. 16. de Ciu. c. 7.

Geneſ.1. initio cùm dixit Deus. Producat terra animã viuentem in genere ſuo iumenta,& reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. At certè ita ſoluendo magis nodus noſter implicari videtur. Nã vt hoc vltimum primùm refellamus, non habet hoc natura rerum, non ordo diuinæ adminiſtrationis, vt perfecta animalia, vt leones, tygrides, lupi ſine coitu producantur ex terra, vt ſolent mures, ranæ, veſpæ, cæteraque imperfecta. Deinde quorſum ſcriptura tam enucleatè diceret. Ex omnibus animãtibus tolles, ſed & de volatilibus cæli ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam; vt ſaluetur ſemen ſuper terram, ſi finito diluuio animantia mundus ex terræ noua origine eſſet habiturus? Redibit quoque illa dubitatio, cur non omnes terræ & inſulæ omnia animantia habeant? ſiquidem non naturalis propagatio, ſed Dei effuſa liberalitas in procreando ſpectanda ſit. Studio autem venationis aliqua eiuſmodi genera eſſe delata, nõ eſt incredibile. Nam & leones, & vrſos, & nonnulla id genus magnificentiæ oſtentandæ cauſa in regijs caueis nutriri cernimus ſæpè ex lõginquis maximè regionibus tranſuecta. Sed de lupis, de vulpibus, & ſimilib. quæ nihil habent egregium, niſi nocere pecoribus, duriſſimum eſt venationis ſtudio trãſuectas eſſe credere. In nouum verò hunc orbem quis tandem ſibi perſuadeat infinita nauigatione ab hominibus curatum eſſe, vt America haberet vulpes (præſertim quas Annas vocãt, genus omnium, quæ noui animantium fœtidiſſimum) vt haberent tygrides, vt leones? Reuera nimium eſt, vt homines in tam prolixo naufragio ſeruari potuerint, ne dum de euehendis ac nutriendis lupis, & vulpibus cogitarẽt. Reſtat ergo vt

Geneſ.7.

go vt hæ beſtiæ natando peruenerint. Ac planè de nonnullis inſulis, quæ vel ab alijs Inſulis, vel à cõtinente non longiſſimè abſunt, vt credibile ſit, facit oculata experientia, qua ſcimus integros dies & noctes eiuſmodi feras aliqua neceſſitate perurgente natare, atq; enatare poſtremò. Verùm Oceanus hic noſter tales natatores rideret, cũ volucres quoq; deficiant alæ in immenſa abyſſo. Nã ad mille & quingẽta ſtadia volare certũ eſt, cùm in profundiſſimo Oceano ad hanc Indiam nauigantes turtures ex Africæ litoribus in puppi ſedentes ſępè notauerimus. Sed volando aut natando ſuperari Oceanus totus certè nequit. Quid ergo faciẽdum? quam viam aperimus ad hanc noſtram Americam volucribus & feris? Non leuis mihi hinc coniectura fit, vt hunc nouum orbem non eſſe penitus, ab illo altero diuiſum arbitrer, quin potius aliqua in parte vel hærere, vel certè nõ longè diſiungi iamdiu opinor. Neque verò hactenus certo documento patuit cõtrarium. Nam ad Polum Arcticum non eſt omnis longitudo ſatis explorata, multiq; putant ſupra Floridam latiſſimam eſſe terram Septentrionalẽ, quæ ad Germanicum, aut Scythicum mare pertingat. Quidã etiam nauem ea regione delatam teſtem proferunt, aiuntq; Bacallaos vſque ad Europæ extrema porrigi. Vltra promontorium quoq; Mendocinum non eſt ſatis cognita terræ amplitudo, ſed eſſe oppidò ingentẽ omnes referunt. Iam verò ex noſtro Auſtrali vertice quouſq; procurrat continens vltra Patagonęs poſita, nemo hactenus explorauit. Terminum nullum oculis occurriſſe Caruajalis Epiſcopi Placentini nauis retulit, quæ ſupra Magallanicum fretũ aliquot millia pernauigauit. Nihil ergo neq; ra-

tionis,neque experientiæ, hùic meæ ſuſpicioni de totius terræ continuatione, vel ſaltem vicinitate hactenus contradicit. Quod ſi ita eſt, vt eſſe ſanè apparet, facile promptumque eſt exiſtimare genus hominum ex veteri orbe ad hunc nouum paulatim terreſtri itinere defluxiſſe, ac ſedes ſubinde & nouas quærendo, & inuentas mutãdo pro varia regionum commoditate tot populos & nationes effeciſſe.

Quomodo beſtiæ & pecudes ad hunc nouum orbem ex altero peruenerint.

CAPVT XXI.

IVuant verò non mediocriter eam ſententiam argumenta, quæ occurrũt rationem habitationis Indorum perueſtigantibus. Nam ſicubi Inſula occurrit à continente atq; alijs circum Inſulis valdè remota, qualis eſt Bermuda, eã omninò hominum carere commercio reperimus. Quod nauigationes non inſtituerentur niſi ad propinqua litora, & ad terræ ferè conſpectum exigerentur. neq; verò maiora nauigia in vlla noui orbis parte inuẽta ſunt. Sed aut Canoas, aut peraguas, aut balſas, id eſt, lintres, ſcaphas, & cymbas Indi nauigationi aſſumebant. Quare neq; facilè neque tutò ſe poterant immenſo pelago dare. Deinde vt nauis firma ſuppeteret, tamen Magnetis vſu & Aſtrolabij & quadrantis peritia deſtituebantur. Si terræ aſpectu per duo de viginti dies carerent, non poterant non toto cælo errare. Itaq; Inſulas refertas hominibus inuenimus, ac mare frequẽtiſſimè nauigatum: ſed vt dixi nauigatio fuit Indorum qualis & puſillis nauigijs & ſine Magnetis adiumento peragi potuit. Etenim cùm primùm Peruenſes

Indi Tumben accolæ noſtras naues Hiſpanienſes velis expanſis intuiti ſunt, rei nouitate territi, quod tam magnam molem nauem eſſe nullo modo cogitarent, feruntur ſtatuiſſe inter ſe, ſcopuloſe eſſe aut rupes mari euectas, quodq́; mouerentur neq; mergerentur, attonitos diu ſtupuiſſe, donec viros quoſdam barbatos per nauim diſcurrẽtes notarunt, eoſq́ue eſſe aliquos cæleſtes Deos arbitrati ſunt. Adeò maiorum nauiũ vſus Indis inauditus erat. Maximè verò facit fidem, quod belluæ illæ, quas minimè eſt probabile homines nauibus impoſitas aduexiſſe, reperiuntur quidẽ per totam continentem, in Inſulis verò à continente quatriduí itinere diſſitis nequaquam reperiũtur. Id ego, quod magnum huic opinioni ꝺ continuatione vtriuſq; orbis argumentum putarem, diligenter inquiſiui. Sunt in hac noſtra America eiuſmodi feræ non paucæ: ſunt leones, tametſi, & magnitudine & audacia & colore ipſo haud ita ſaluo Africanis illis longè inferiores: ſunt tygres ſæuiſſimæ ac plurimæ, ſed in genus Indorũ, quod mirum eſt, prorſus truces; Hiſpanis non ita infenſæ: ſunt vrſi rariores, ſunt Apri, vulpes quoq; innumerabiles. Hęc genera & his ſimilia ſi apud Cubam Inſulam, aut Hiſpanicam, aut Iamaicam, aut Margaritam, aut Dominicã quæras, ne vnum quidem inuenias. Adde quod vtilium quoq; animantium gregibus olim vacuæ erãt, nunc poſt Hiſpanos habitatores, boum, equorum, canum, ſuũ innumerabiles greges alunt, vſq; adeò vt vaccarum armenta nullos certos dominos habeant, ſed more venationis ab indigenis capiantur ſine diſcrimine, tantùm vt corijs detractis & ſiccatis mercaturam faciant. Canum verò breuiſſimo tempore

ea infinitudo percrebuit, vt acerbius ab ijs, quàm à lupis pecora omnia vaſtentur, eaq; inſulæ calamitas maxima ſit. Neq; ſolùm quadrupedibus vacuæ: ipſas volucres raras habent, & pſitacos quidem multos, quos eſſe volatus perniciſſimi & gregatim volitare conſtat, tum alios quoſdam paſſeres raros vt dixi: perdices verò quales in hoc Peru, nullas vidiſſe me memini, multóq; minus proprios huius regionis Guanacos, aut Vicunnas, genus ſylueſtrium caprarum velociſſimum, in quarum ventre lapides illi Beezartici, qui in magno pretio pleriſq; ſunt, incluſi inueniũtur, tantæ magnitudinis, vt interdum ouum gallinaceum dimidio ſuperent. Sed neq; pecudes illas mirabiles habent, quas Indi llama, noſtri Indicas Oues vocãt: quæ præter lanam & carnes, quas veſtiendo, & alendo generi Indorum præbent, ſunt etiam iumẽta vehendis oneribus commodiſſima. Nam dimidium oneris muli cuiuſuis portant, ſunt autẽ minimi ſumptus, quippe quibus neque ferro ad calces, neq; clitella ad dorſum, neq; verò ordeo ad pabulũ opus ſit: ſed hæc omnia illis natura ſine ſumptu tribuerit, vt omnibus modis vſui eſſent generi Indorum pauperi. His igitur omnibus cæteriſque, quæ longum eſſet enumerare, continens abundat: Inſulæ certè carent, niſi à noſtris aliquid horum inuectum ſit. Tygrides in nonnullis ſanè inſulis ſe vidiſſe quidam noſter frater maximis naufragijs actus referebat: ſed interrogatus quantum eæ Inſulæ à continente abeſſent, reſpondit non amplius quàm ſex aut octo ad ſummum Hiſpanicas leucas, quod planè ſpatiũ conficere poſſe tygrides natando perſpicuum eſt. Ex his igitur alijſq; argumentis intelligi poteſt gens Indorum

terreſtri

terreſtri maximè itinere, aut nauigatione viciſſim non difficili aut longa, ad hunc alterum orbē permeaſſe, quod reliquo orbi continens ſit terra hæc, hoc eſt aut aliquibus locis hærens, aut certè non valdè diſiuncta.

Quod non venerit genus Indorum per Atlantidem, vt quidam opinantur.

CAP. XXII.

NON deſunt autem, qui iuxta Platonis ſententiam iam ſupra memoratam putent has gentes veniſſe ex Europa, aut Africa per Atlantidē illam tantoperè decantatam, deinde in alias atq; alias inſulas vſq; ad magnam continentē, in qua nunc ſumus. Nam horum omnium Critias in Timæo mentionem facit. Si enim Atlantis illa tota Aſia, & Libya ſimul maior erat, vt ille vult non eſſe dubium, quin totum pene Atlanticū Oceanum vſq; ad Inſulas noui orbis occupârit. Ingenti autem diluuio Atlantidem ſubuerſam olim pelagus illud cæno & ſcopulis innauigabile reliquiſſe, tale enim fuiſſe ſua ætate Plato refert. Mox verò tempore procedēte illius magnę Inſulę ruinas penitus conſediſſe, ac nauigabilem pontum præbuiſſe. Hæc homines ingenioſi ſeriò differūt, quæ vel mediocriter animaduerſa nugæ merę deprehenduntur, vt magis Ouidianas transformationes, quàm Philoſophicam aliquam narrationem habere videantur. Ac plerique ſanè Platonis interpretes omnia illa à Critia narrata tam inuſitata tam mirabilia de Atlantidis illius origine, magnitudine, felicitate, deq; bello ab Atlanticis cum Europæis geſto, cæteraq; omnia veram eſſe hiſtoriam volunt, quod Critias præfatus ſit in

Plato in Critia & in Timæo.

Timæo,ſermonem futurum eſſe mirabilem, ſed omninò verum.Contra alij Platonicorum rem fabulæ potius quàm hiſtoriæ ſimilem cõſiderantes, allegoricè ea omnia à ſummo Philoſopho dici volunt,in quibus eſt Proclus, & Porphyrius, & Origenes,ita enim horum nonnulli Platoni ſuo dediti ſunt, vt Moyſes aut Eſdræ literas tractare videantur,atq; vbi verba à vero diſcrepant, protinus aliquem diuinum atq; myſticum ſenſum neceſſariò intelligendum eſſe contendunt.Mihi verò Plato, vtcunque ille diuinus appelletur, non tanti eſt, neque valde difficile eſt credere totam de Atlantide narrationem pro vera hiſtoria poſſe tradi,& eſſe tamen poſſe meram nihilominus fabulam,cùm pręſertim à Critia puero inter cantilenas eam narrationem auditam fateatur.Sed vtcumq; ille ſcripſerit ſiue hiſtoricè, ſiue allegoricè,re vera quę de Inſula illa Atlantide tũ in Timęo inchoat,tum in Critia latè perſequitur, non niſi pueris & anibus narrari feriò poſſunt. Quomodo enim non fabuloſum eſt Neptunũ Clitus amore captũ quinquies gemellos ex ipſa ſuſcępiſſe,collem verò in quinque orbes diuiſiſſe tres maris, duos terræ quaſi torno deſcriptos? Quid templum illud ſtadij longitudine trium iugerum amplitudine,cuius omnes partes externę argento,ſummæ autẽ auro eſſent oppletæ, intrinſecus autem fornix eburnea,tota auro & argento, & aurichalco variegata? Poſtremò quid exitus ille in Timæo,vna die,inquit,ac nocte, graui incumbente diluuio, & apud nos totum militare genus aceruatim terra abſorbuit,& Atlantis Inſula ſimiliter in mari ſubuerſa euanuit.Sic planè Inſulam totam ſcenicam,& fabuloſam, quæ vniuerſam A-

ſiam,

ſiam, ſimul & Africam amplitudine ſuperabat, vna nocte oportuit euaneſcere. Ruinas autem illius ſub vndis ab ijs tantummodo cerni, qui eo accedere nullo modo poſſunt. Adiungit enim ſcitè. Quapropter etiam nunc innauigabile & intentatum manet illud pelagus luto paulatim impediente, quod Inſula ſubmerſa inuexit. At ego libenter quærerem, quodnam pelagus tantam terræ molem Aſia, & Africa maiorem, & quæ vſque ad nouum hunc orbem pertingeret, abſorbere potuerit, ita vt nulla extent veſtigia, vt ne bolidis quidem iactu nautæ in infinitum hodie fundum inueniant aliquem? Sed imprudenter ea pergo refellere, quæ aut ridiculè ſcripta ſunt, aut certè ne nihil Platonis grauitatem vereamur, per picturam & parabolam ad ciuitatis, & felicitatem & exitium oſtendendum philoſophicè introducta ſunt. Nam quod validum argumētum quidam putant fuiſſe Atlantidem Inſulam, quod mare illud hodie quoq; Atlanticum nominetur, puerile eſt. Etenim & montem Atlantem in extrema Mauritania eſſe ſcimus, ex quo Atlanticum Oceanum dictum Plinius vult, & idem auctor eſt è regione montis ſitam eſſe Atlantidem inſulam, ſed paruam & ignobilem. *Plin. lib. 6 c. 5 et li. 6. c. 31.*

Quod falſo multi Indos ex Iudæorum genere deſcendere affirmant.

CAP. XXIII.

ALIA ergo via Indis noſtris, quàm illa Atlantidis ad nouum orbem quærenda eſt. Hanc nonnulli apud Eſdram eſſe ſuſpicantur. In cuius libro quarto ita ſcriptum legimus. Et quoniam vidiſti eum colligentem ad ſe aliam multitudinem

nem pacificam, hæ ſunt decem tribus, quæ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſeæ Regis, quem captiuum duxit Salmanaſſer Rex Aſſyriorum, & tranſtulit eos trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam. Ipſi autem ſibi dederunt cõſilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſcerentur in vlteriorem regionẽ, vbi nunquam habitauit genus humanum, vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerant ſeruantes in regione ſua. Per introitus autem anguſtos fluminis Euphratem introierunt. Fecit enim eis tunc altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis, vſquequo tranſirent. Per eam enim regionem erat via multi itineris anni vnius & dimidij, nam regio illa vocatur Arſareth. Tunc inhabitauerunt ibi vſq; in nouiſſimo tempore, & nunc iterum cũ cœperint venire, iterum altiſſimus ſtatuet venas fluminis, vt poſſint tranſire, propter hæc vidiſti multitudinem cum pace. Hanc ergo Eſdræ ſcripturam conantur Indis accommodare, eos diuinitus eſſe deductos, vbi nunquam habitauit genus humanum, regionemq;, quam incolunt, adeò eſſe remotam, vt habeat iter anni vnius & dimidij, naturaliter quoq; gentem eſſe pacificam. Quod verò ex Iudæorum progenie ſit genus Indorũ, vulgò illud certum indicium putant, quod meticuloſi, quod fracti, quod mirè ſuperſtitioſi, quod acuti mendaceſque ſint. Deinde veſtes ipſas habitumq; Indorum manifeſtè Iudaica veſtimẽta referre, tunica enim ſimplici & palliolo quadrato vtũtur, pedes autem nudos geſtant, aut ſoleis tantummodo ſupernè comprehenſis calceãt. Porrò hunc fuiſſe habitum Hebræorum tum hiſtorijs prodi, tum vetuſtiſſimis picturis, vbi ad hanc maximè

4. Eſd. c. 13.

ximè ſpeciem veſtiti exprimuntur. Atq; hæc duo veſtis genera, quibus ſolis Indi vtuntur, Sampſonem olim depopoſciſſe, tunicã & ſyndonẽ, id eſt, vt vulgus noſtrũ appellat [*camiſeta y manta.*] Iudic.14. Verùm hæc vniuerſa ſuſpicionis ſunt leuiſſimæ, habentq; contra ſe quàm pro ſe & plura & maiora. Hebræos literis vſos nouimus: in natione Indorum nullæ literæ: illi opibus ſtudebant, apud hos mirus omnium contemptus: Hebræi ſi circũciſos ſe non viderẽt, Hebræos eſſe aut haberi poſſe negabãt, apud noſtros Indos præputia prorſus integra, neq, vt Aethiopes, aut Orientales eiuſmodi ſuperſtitionem vnquam nouerunt. Quale verò eſt, vt cùm Hebręi tantoperè & genus & antiquitatem iactarẽt ſuam, & in cæteris orbis terrarum partibus hodie quoq; ſtudioſè conſeruent, in ſolo nouo orbe, illis & genus, & ceremoniæ, & Meſſias, & Iudaiſmus denique omnis exciderit? Quod verò meticuloſi ſint, & ſuperſtitioſi, & acuti, & fallaces, primùm neque omnes barbari ſunt eiuſmodi, ſed plurimæ gentes ipſorum ab ijs maximè abhorrent, ſunt enim nationes Indorum audaciſſimæ, ſunt inertiſſimę, ſuperſtitioni verò omnis gentilitas ſemper dedita fuit. Veſtium autẽ apparatus ideo talis quia ſimpliciſſimus eſt, nulla ferè arte aut induſtria conſtans, neque magis Hebræis quõdam, quàm cæteris mortalium vſitatus. Deinde hiſtoria ex Eſdra ſumpta, ſi quid curæ Apocrypha merentur, potius oppugnat, quàm adiuuat cauſam ſuſceptam. Ideò enim multitudinẽ gentium fugiſſe decem illæ tribus dicuntur, vt ceremonias ſuas excolerent: hi verò idololatriæ omni dediti ſunt. Euphratis autem aperta oſtia viderint quomodo ad hunc nouum orbem perducere

cere queant, & an iterum eodem regredi Indos oporteat, vt ibidem extat. Pacificam autem multitudinem cur vocet, quæ immortalibus inter ſe bellis diſſidijſq; ſemper efferbuit. Itaq; non magis Apocryphi Eſdræ Euphrates, quàm fabuloſa Platonis Atlantis ad nouum hunc orbem genus mortalium poteſt perducere.

Cur prima origo Indorum certò ſciri non poßit.

Cap. XXIIII.

AT facilius eſt aliena improbare de origine Indorum, quàm certi aliquid de ſuo afferre. Nam cùm apud Indos nullæ literę in vſu ſint, nulla certa monumenta maiorum: apud noſtros verò ſcriptores vix huius orbis veſtigia extent, adeò vt quidam non ſolum homines, ſed etiam terram hanc & cælum ipſum hoc de natura rerum abſtulerint, certa & explorata de origine prima Indorũ, & prima habitatione huius orbis, qui ſe profiteatur allaturum, magnæ is demum temeritatis notetur neceſſe eſt. Cõmuniter autem & probabiliter ex ijs, quæ ſupra diſputata ſunt, colligere poſſumus, ad hunc nouum orbem paulatim tẽpore procedente commeaſſe genus hominum, terrarum magis continuatione adiuuante, & nauigatione ſuccedente gradatim, quàm vno aliquo aut apparatu claſſico, aut magno naufragio. Quanquam & vtrumuis horum partim contigiſſe non eſt abſurdum. Cùm enim ſint infinitæ regiones, innumerabiles gentes, alias aliter inuentas & occupatas eſſe, rectè exiſtimare poſſumus. Sed vt dixi vicinitas aut continuatio regionum orbis terrarum, certiſſima ratio eſt originis atque habitationis Indorum, Qua etiam ex re magis adducor, vt pu-

vt putem hunc nouum orbem occidentalem non multis abhinc annorum millibus habitatum, magiſque ab hominibus ſylueſtribus & palantibus, quàm ab aliqua republica obitum, cùm errore potius aut patriæ anguſtijs nouas ſedes paulatim habitare cœpiſſent, atque his aſſueti nihil niſi naturalis lucis ductum, eumque obſcuratum, ac patriæ fortaſſis gentilitiæ aliquas conſuetudines retinerent. Neque incredibile eſt etiam ſi ex culta & bene morata republica profecti eſſent aliquando, tamen ipſa diuturnitate & deſuetudine humana, pene omnia obliuione deleſſe, cùm tales eſſe in ipſa Hiſpania & Italia hominum greges præter os & figuram hominis habentes præterea nihil, notius ſit, quàm vt teſtibus egeat. Ita effectum eſt, vt immenſus quidam barbariſmus euaderet.

Quid de origine ſua Indi tradant.

CAP. XXV.

QVID autem de primis exordijs gentis ſuæ, ipſi Indi referant, nõ eſt alicuius pretij noſſe, cùm ſomnia potius ſua, quàm hiſtoriam aliquam narrare videantur. Ac magni quidem diluuij plurima in his regionibus mentio eſt & fama celebris. Sed vtrum commune illud totius orbis, quod diuinæ literæ prædicant, an proprium aliquod harum regionum & gentium haberi debeat, non ſatis conſtat. Certè ingentis cuiuſdam exundationis non obſcura monumenta à peritis notantur. Ego magis in eorum ſententiam eo, qui antiquiſſimi illius Noëtici apud hos barbaros nulla veſtigia eſſe confirmant, peculiare aliquod diluuium, quale Plato narrat, & Poetæ

Deu-

Deucalionæum fabulantur, fuiſſe non dubitant. Igitur illo magno diluuio hauſtos eſſe omnes mortales iſti conſentiunt. Quidam ex magno lacu Inticaca emerſiſſe Viracocham quẽdam, eundem Tiaguanacum, vbi antiquorum & admirabilium ædificiorum ruinæ viſuntur, ſedem habuiſſe, inde ad Cuzquenſem regionem veniſſe & propagaſſe genus humanum. Namque in eodem lacu inſulam oſtendunt, vbi ſolem conditum eſſe nugantur, eamque ob cauſam plurimo olim ſanguine, non ouium modò, ſed etiam hominum litatum eſſe perſpicuum eſt. Alij ex ſpecu quadam per feneſtram ſex aut neſcio quot homines prodijſſe à ſole videlicet factos, eoſque generi mortalium propagando operam dediſſe, qua etiam ex re locum nomen acceptum retinere, hodieque Pacaritambo vocari. Itaque Tambos antiquiſſimos eſſe hominum vulgaris ſententia eſt. Ex ijs Mangocapa ille, quem primum ſuæ gentis auctorem gens Ingarum agnoſcit, ab hoc duæ familiæ celebres Hanan Cuzquenſium, & Brincuzquenſium. Feruntur Reges Ingæ, cùm cæteras huius orbis gentes debellarent, eam belli cauſam potiſſimam prætexere ſoliti, quòd oporteret omnes mortales ipſis ſubdi, à quorum genere & patria omnes propagati eſſent, & quibus etiam vera religio diuinitus innotuiſſet. Quid opus eſt cætera hîc repetere, quæ veritatis inania, vanitatis pleniſſima ſunt. Illud viri eruditi ſcriptis mandarunt, omnem iſtorum memoriam ad quadringentos maximè annos porrigi, vltra id ętatis nihil aliud quàm denſas tenebras ignorationis occurrere. Neque mirandum eſt ſanè, cùm literarum imperitia veniam hiſtoriæ promereatur, pro quibus exacta illa Qui-

la Quipocamaiorũ ſupputatio admirationi magis eſſe debet, quod ad id vſq; ætatis tenax ſit. Mihi diu inquirenti, an apud hoſce barbaros notitia aliqua extaret, vnde huc commigrarent primi auctores ipſorum, adeò nihil occurrit è re, vt potius ſeſe in hoc orbe natos & conditos ferè opinentur, niſi fide Catholica reuocentur, ex vno genus mortalium omne fluxiſſe. Tenẽt verò coniecturis non mediocribus nobiles auctores, quã diutiſſimè hiſce barbaris nullos fuiſſe Reges, nullam certam conſtitutam Rempublicam, ſed promiſcuè turmatim habitaſſe, vt modò Floridi, vt Braſilienſes, vt Chiriguani, vt pleræq; gentes Indorum, qui nullos habent certos Reges, ſed provt belli paciſúe fortuna tulerit, ſubitò ac temere duces creant, atq; eos mores probant, quos libido furorque perſuaſerit. Tempore verò procedente homines viribus & induſtria præſtantes per tyrannidem cœpiſſe dominari, vt olim Nemrot, paulatimque creſcentes eam conſtituiſſe Remp. quam apud Peruenſes, & Mexicanos noſtri inuenerunt, barbaram quoque ipſam, ſed à cętera barbarie Indorum plurimum abhorrentem. Quare genus hoc hominum ſylueſtre ex barbaris, profugiſque hominibus maximè propagatum ratio ipſa perſuadet. Act. 17.

E DE

DE NATVRA NOVI ORBIS, LIBER II.

De æquinoctialis natura diſſerendum eſſe.

CAP. I.

QVONIAM maxima noui orbis pars ſub media cæli regione poſita eſt, quam veteres torridam atque inhabitabilem opinati ſunt, non mediocriter refert ad naturã moreſque Indicæ gentis cognoſcendos, de naturali quoque eius regionis cõſtitutione diſſerere. Neque enim eſt eorum contemnenda ſententia, qui rerum Indicarum peritiam ex æquinoctialis maximè aſſerunt cognitione pendere. Nam quicquid in hoc nouo orbe ab altero diuerſum eſt, æquinoctialis maximè ratione fit. Omnis verò regio duobus ſolſtitialibus circulis comprehenſa ad mediam lineam, in qua ſol vbiq; gentium pares noctibus dies facit, tanquam ad normam ſuam redigenda explorandaq; eſt, cuius ſanè eſt tam mirabilis & inopinata varietas, vt meritò ingenia excitet ad cauſas ex vera potius & comperta ratione, quàm ex doctrina veteris Philoſophiæ perquirendas.

Cur veteres philoſophi regionem torridam eſſe inhabitabilem pro certo duxerint.

CAP. II.

IGITVR vt à primordijs diſputatio ducatur, terram incaleſcere ſolis acceſſu, receſſu fri-

geſcere cùm inter omnes conſtat, tum verò hyemis atque æſtatis, noctis ac diei variatione abundè monſtratur. Quò magis etiam ſol appropinquat, quò directius quoq; radijs terram ferit, eò vehementius vrere, in ipſo die meridies, in anno æſtas perſpicuum faciunt. Hinc fieri conſequens neceſſariò videtur; vt quantò regio quæuis à ſolis conuerſionibus remotior eſt, tanto quoque frigidior ſit. Itaque quæ ad Septentriones iacent, terras eſſe rigidiſſimas experimur. Tum ordine eodem, quæ *Zodiaco* viciniores ſunt, calidiores. Ita AEthiopia Arabiam atq; Africam, Africa Bæticam, Bætica Caſtellam & Aragoniam, atque hæ Cantabriam & Galliam caloris copia certa prorſus ratione ſuperant. Qua etiam ratione ſeruata, cæteræ regiones, quæ ſolis conuerſionibus expoſitæ ſemper ſunt, atq; illius radijs rectius petuntur; reliquas ſuperare æſtus feruore neceſſaria conſecutione videntur. Adduntnonnulli ad ſolis radios etiam motionem cæli intra Tropicos velociſſimam, quæ prope Polos tardiſſima ſit. Quamobrem & radijs ſolaribus propinquiſſimis ac directiſſimis, & cæli conuerſione concitatiſſima regionem omnem Zodiaco ſuppoſitam perpetuò ac vehementer exuri. Hoc de calore & frigore & ſenſus, & ratio videntur conſentienter docere. De ſiccitate verò & humore quid? Eadem profus. Nam ſiccitatem ſolis acceſſus videtur inducere, humorem receſſus. Itaque tempora ipſa cognata & amica eſſe videntur, humida frigidis, calida ſiccis. Nox vt frigidior die, ita etiã humidior; dies & calidior, & ſiccior: hyems cùm plurimum ſol abeſt, & frigidiſſima & pluuioſiſſima; æſtas, cũ ille propius

adeſt, vt calida, ita ſicca vehementer. Etenim ignis, quò magis quippiam coquit, eò fortius & calefacit ſimul & ſiccat. Huc ergo reſpiciens Ariſtoteles, cæteriq; Philoſophi, caloris & ſiccitatis exceſſum regioni mediæ attribuerunt, eamq; ardentem atque aridam ſupra modum literis tradiderunt, & quod inde neceſſariò fit, aquis & pabulis deſtitutam, atque adeò humanæ habitationi prorſus incommodam.

Quod regio Torrida humidiſſima ſit, contra veterum opinionem.

CAP. III.

CVM autem omnia, quæ ſumpta ſunt, vera ac certa ac perſpicua eſſe videantur, illud tamē quod inde cōficitur, falſum eſt. Etenim mediam regionem habitamus, & habitamus ſanè percommodè. Sed quia ex veris falſum effici nequit, retrocedendum eſt nobis, & veſtigijs repetitis, vbinam à vero deflectat oratio, diligenter intuendum. Quocirca primùm quid veritas experientia ipſa illuſtrata habeat, oſtendemus: deinde tāetſi arduum illud ſit & perobſcurū, cauſas quoque ex vera Philoſophia conabimur reddere. Siccitatē ergo (hoc erat enim vltimum ex ſumptis) eò maiorem effici cælitus, quò terris ſol propinquior eſt, videbatur certum, & eſt profectò perfalſum. Nunquam enim copioſiores imbres in Zona torrida, quàm eo anni tempore, quo ſol vicinior eſt. Atque eſt hoc ſanè mirabile, ſed ſine exceptione veriſſimum, in vniuerſa regione Tropicis clauſa eam anni partem eſſe sereniſſimam, cùm ſol maximè inde abeſt; contra nullam anni partem plus & nimborum & imbrium, &

niuium

niuium (vbi illæ ſunt) effundere, quàm vbi ſol propinquiſſimus eſt. Hoc ijs, qui nouum orbem non adierunt, incredibile fortaſſis appareat: ijs quoque qui adſunt, ſed non attēdunt, nouum accidet, ſed vtrique experimento notiſſimo facilè cedent. Ab hac Peruenſi prouincia, quæ Antarcticum Polum ſpectat, tūc remotiſſimus ſol eſt, cùm Europæ propinquiſſimus, hoc eſt, Maio, Iunio, Iulio, Auguſto, in quibus, Tropico Cancri vicinus eſt: at per eoſdem menſes, mira cæli ſerenitas apud nos, nulli imbres, nullæ niues, fluuij omnes pertenues, multi etiam exareſcunt. Mox verò procedente anno, & ſole huc ad Capricornij circulum commeante, incipiunt niues & pluuiæ, & fluuiorum magnæ acceſſiones, id eſt, ab ineunte Octobri vſque ad Decembrem. Tum verò copioſiſſimi imbres, & niuium copia, & fluuiorum furores, cùm supernè ac directò ſol capita noſtra ferit, rediens ex Capricornio, cùm ſunt etiam æſtus grauiſſimi, nēpe à Ianuario vſq; ad medium Martium. Hoc nemo eſt qui perpetuum huic regioni ignoret. In ijs verò partibus, quæ vltra æquinoctialem Polum Arcticum ſpectant, contrariū omninò euenit, ſed ratione prorſus eadem. Nam ſiue Panamam & eum omnem tractum conſideres, ſiue nouam Hiſpaniam, ſiue Inſulas illas Cubam, Hiſpanicā, Iamaicam, Sancti Ioannis, liquidò inuenies, ab ineunte Nouēbri vſq; ad Aprilem ſereniore, & clementiore cælo vti, quod ſol ad hunc Tropicum veniens ab ijs locis maximè ſe diſiungat: contra terribiles nimbos, & imbres vberrimos ibi fieri ab ineunte Iunio vſq; ad totum Septembrem, quod ſolis radij per id temporis minus obliquè, & magis

propinquè feriant ea climata. Hoc idem obſeruare licet in India Orientali, quantum ex literis inde allatis ego intelligere potui. Itaque quamuis peculiari aliqua ex cauſa alicubi ſecus fortaſsè contingat, tamen pro generali lege tenendum eſt id, quod dixi. In media regione, hoc eſt, torrida *Zona* ſiccitatem eſſe maiorem ſole recedente, eodem appropinquante humoris copiam gigni, idq; adeò vt pro ratione acceſſus ac receſſus illius, vnaquæq; regio aut areſcat, aut imbribus abundet.

Quod extra Tropicos humoris copia ſolis receſſu maximè fiat, contra quàm in regione Torrida.

CAP. IIII.

Extra Tropicos verò ſecus accidit: nam imbres & frigora, æſtus & ſiccitas coniuncta ſunt. De Europa manifeſtum eſt, & de toto illo mundo. In hoc verò nouo non ſecus habet res. Chilenſis tota prouincia teſtis eſt, quę quoniã vltra Solſtitium Capricornij poſita ferè gradibus cum Hiſpania paribus alta eſt, eaſdem etiam leges hyemis & æſtatis patitur, hoc vno dempto, quod æſtiuum & hyemale tempus cõtrarium habet, quippe cùm Polum contrarium ſpectet. Itaque copioſiſſimæ pluuiæ in illa prouincia ſole quàm plurimum recedente, ſimul cum frigore hyemem efficiunt, ex Aprili ineunte vſq; ad Septembrem, ęſtus autem & ſiccitas pariter ſole illuc commeante redit. Prorſus vt in Europa. Qua ex re fit, vt frugibus ingenijſq; hominum Europæ regio illa Chilenſis cæteris ſimilior ſit. Idem accidere tradunt in terrę portione, quæ vltra intimam

timam AEthiopiam vſq; ad celeberrimum bonæ ſpei promontorium in formam cuſpidis tenditur. Atque hanc eſſe veriſſimam Nili redundantis intempeſtiuè cauſam, de quo tam multa inquiſita, tam pauca à priſcis inuenta ſunt. Etenim ea regio à menſe Aprili, ſole Arietem deſerente, incipit, vt par eſt, hyemalibus imbribus fluere, qui partim ex niualibus, partim ex pluuialibus aquis paludes illas implentes, ex quibus veriſſima Geographia Nili fontes deriuat, alueum ipſum paulatim turgefaciunt, & longiſſimo tractu poſt menſes aliquot AEgyptum æſtiuo maximè tempore, vtpotè ad alterum Tropicum poſitam inopinatis fluminis incrementis fœcundant. Similis Nilo excurſio annua eſt ingentis fluuij in America Paraguai dicti, cuius ex montanis imbribus tanta copia cōfluit, vt ampliſſimos cāpos inundet, cogatq; homines terreſtri habitatione deſerta in lintribus per id temporis degere.

Quod intra Tropicos imbres æſtiui ſint, & de ratione hyemis & æſtatis.

CAP. V.

ITaque in duabus regionibus temperatis, ver calore & ſiccitate, hyems frigore & humore conſentiunt. At intra Zonam torridam vtraque illa diſsident. Nam æſtum potius imbres, frigus (ſic enim caloris moderationem voco) ſerenitas comitatur. Qua ex re fit, vt cùm in Europa hyemale tempus pluuijs ſimul & frigore definiatur, æſtiuum contra calore & ſiccitate noſtri homines in hac regione diſiuncta illa videntes, hyemem magis ex pluuijs, ver ex ſerenitate nuncupent, in quo re vera falluntur. Nam ver dicunt eſſe in

Montanis Peruenſibus ab Aprili vſque ad Septembrem, quòd eo tempore aquæ non redundet, ſed ſit aëris mira ſerenitas: hyemem verò definiunt à Septembri vſque ad Aprilem, quod ex eo iam imbres cadant. Quare apud nos & apud Hiſpanos eodem tempore hyemem atque æſtatem agi confirmant, atq; adeò cùm ſol propinquiſſimus directo capita ferit, tunc maximã hyemem eſſe putant, quòd imbres vberrimi ſint. Hoc verò ridiculum eſt, atque vulgare. Vt enim dies, & nox acceſſu, & receſſu ſolis ſecundùm cõuerſionem primi mobilis definitur, ita etiam hyems, & æſtas definiri neceſſariò debet acceſſu, & receſſu ſecundùm conuerſionem annuam ſolis ipſius propriam. Tunc igitur re vera hyems eſt, cũ maximè diſtat ſol; æſtas verò, cùm maximè appropinquat. Calor autem, & frigus neceſſariò ſolis acceſſum, & receſſum conſequuntur, humor verò, & ſiccitas non neceſſariò. Ex quibus liquidò fit contra vulgarem ſententiam, hyemem apud nos Americanos eſſe ſerenam, æſtatem contra pluuioſam, & non quod vulgus putat, hyemẽ quidem calidiorem, ver autem eſſe frigidius. Pari quoq; errore hyemem Montanam à Maritima in hac prouincia Peruenſi diſiungunt. Aiunt in hac inferiori ac maritima ora hyemem eſſe, cùm eſt in Montana ver, nempe per Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, & Auguſtum, propterea quod montana omnis illa regio per eos menſes ſerenis ſolibus illuſtratur, quo tempore hæc maritima plaga magis perpetuiſq; nebulis offuſcatur. Atqui hyems, & ver ex ſolis propinquitate & diſtantia definienda ſunt, quæ cùm eodem tempore in tota hac prouincia fiant, non eſt cur alibi

hyemem,alibi ver eſſe arbitrentur.Sed de vocabulis certandum non eſt.Appellent, vt libet: æſtiua & hyemalia tẽpora ſerenitate potius quàm calore definiãt,dum modò de rei veritate, quod diximus,conſtet.

Quod torrida aquis pabulisq́; abundet, quicquid Ariſtoteles contradicat.

CAP. VI.

ABundat ergo torrida regio humore, idq́; adeò vt largitate perennitateq; aquarum cæteras omnes facilè vincat, excepto ſi qua in parte ſabulo arenisq́; oneratur, aut ſolo nimium deſer to vritur, quod in alijs quoq; mundi plagis frequens eſt. Cæleſtium quidem aquarum copiam ſatis oſtendimus, imbres, niues, pruinas, quibus maximè hæc Peruana prouincia frequentatur. De terrenis quales ſunt putei, fontes, fluuij, torrentes, lacus, paludes, nihil hactenus dixi. Verùm cùm infernę aquæ ſupernis ęqua ferè ratione reſpondeant, facilè eſt id quoq; intelligere. Eſt autem ea aquarum ſcatentium multitudo, vt nuſquam terrarum neq; plures, neq; latiores fluuij, nuſquam tanta paluſtrium locorũ moleſtia. Plurima huius Americę, eademq́; latiſſima loca præ nimia aquarũ copia habitari nequeunt. Nam & flumina æſtiuis imbribus in immenſum excurrunt, atque omnia euertunt, & limoſæ paludes infinitis ſpatijs firma veſtigia excludũt. Quamobrem immenſi illius, cuius ſupra meminimus, Paraguay accolæ, cùm iam fluuij annua incremẽta præſentiunt, longè lateque vagantem ſcaphis anteuertunt, ibi larem ſibi conſtituunt, & ſe ſuaque per trimeſtre ferè tempus lintribus natando con-

do conſeruant. Fluuio ad conſuetum alueum reuocato, & ipſi loca priſtina ſemiſicca repetunt. Huius fluminis ea maieſtas eſt, vt Nilus, & Ganges, & Euphrates ſimul coniuncti longè inferiores ſint. Quid flumen illud Magdalenæ, iure Magnum vocatum, inter S. Marthæ, & Carthaginis portum in mare prorumpens? cuius nos cùm nauigaremus plus ſtadijs centum viginti alto euecti, fluuialium aquarum ab Oceano nondum victarum diſcrimẽ per ſtadia amplius quàm ſexaginta cum ſumma admiratione notauimus. At cùm de fluuijs mentio eſt, iure ſuo cæteros omnes ſilere, & cedere cogit ingẽs ille Amazonum, ab alijs Maranonius dictus, ab alijs Orellana ab Orellana & Marannon Hiſpanis hominibus inuentus, & nauigatus, quem neſcio melius ne fluuium an mare nominem. Fluit quidem ille, & ex Peruenſium montium imbribus, fluminibuſque ad ſe vndique confluentibus per effuſiſſimos Paytiti, & Terræ aureæ atque Amazonum campos in Oceanum tandem è regione ferè Margaritæ & Trinitatis illabitur: ſed tam latè, præſertim feſtinans ad exitum ſpatiatur, vt in medio plurimas maximaſq; inſulas relinquat, & quod incredibile apparet, in medio alueo oculi quocumque coniecti nihil aliud niſi flumen & cælum vident. Etiam montes excelſi ripæ impoſiti latere dicuntur, cuius ob admirabilem longitudinem, atque amplitudinem, vt prorſus fluuiorum omnium Dominus haberi poſſit, hoc accepimus ex quodam noſtræ Societatis fratre, qui olim grauibus illis naufragijs & tumultibus Petri Orſuæ, & peruerſi Didaci Agirrij interfuit puer, & diuina clementia ereptus eſt, nobiſque ſerua-

ſeruatus. Tales igitur fluuios habet torrida atque arida Zona, quam inopem aquarum & pabulorũ Ariſtoteles atque omnis putauit antiquitas. Et quoniam ad indicium aquarum Maranonij mentionẽ feci, iuuat de lacu Intiticaca, falſo vulgò Titicaca dicto, aliquid etiam promere, qui in ſuperna prouincia Peruana Collao medius iacet. In hũc flumina plus decem, eaque ſatis ampla cõfluunt, exitum habet vnum, eumque non valdè latum, ſed, vt opinio eſt, profundiſſimum, quem neque ponte iungere profunditas & latitudo ſinunt, neque tutò ſcaphis traijci rapidi infernè vortices patiuntur. Traijcitur tamen, miro ingenio & Indorum proprio: ponte prorſus iunceo ipſi aquæ cõmiſſo, nullis fulcris nixo, ſed in modum ſuberis ponte ſupernatante, ac præ leuitate materiæ nunquam merſo: eſt verò traiectio facillima & tutiſſima. Occupat lacus ipſe circuitum bis mille quadringenta ſtadia: longus eſt ferè nongenta, latus vbi maximè ducenta & viginti. Inſulas habet olim habitatas & fertiles, nũc deſertas, producit vberrimè iunci genus, quod Indigenæ Totoram vocant, cuius plurimus ipſis vſus eſt. Nam & cibus eſt ſuibus, iumentis, ipſiſq; hominibus periucundus, & domus, & focus, & veſtis, & nauigium, & omnia penè vitę humanæ ſubſidia vna Totora Vris præſtat, hoc enim accolarum eſt nomen. Ij adeò ſe ab hominum cęterorum conſortio & opinione alienarunt, vt interrogati aliquando, qui ſint, ſeriò reſponderint, ſe non homines eſſe, ſed vros, ꝙ genus ab humano diuerſum eſſe ſentirent. Vrorum reperti ſunt populi integri in medio lacu habitantium ſcaphis quibuſdam iunceis, quibus inequitant, ſimul cõ-

nexis,

nexis,& ex vna aliqua rupe aut ſtipite religatis. Vnde interdum ſoluentes totus populus ſubitò patriam mutat. Itaque aliquando conquiſitus populus Vrorum heſternis ſedibus commutatis,ac ne veſtigio quidem relicto, facilè veſtigantium ſtudium curamque irriſit. Ex hoc lacu poſt leucas quinquaginta alius longè minor efficitur, Paria dictus,ſed ipſe quoq; tantus,vt Inſulas plures reddat,huius vltra meatum nemo nouit. In mare Auſtrale influere per occultos terræ canales multi iactant, atq; argumento proferunt,fluuium quendam magnum in mare pene ſubitò irrumpentem,cuius fons nullus appareat, ego magis lacus aquas ſolis radijs exhalari puto. Verùm huc eſſe digreſſum ſit ſatis,cùm abundè his documentis conſtare poſſit,falsò regionem hanc mediam de aquarum penuria damnatam, cùm & è cælo & è terra præ cæteris humectetur.

Redditur cauſa,cur intra Tropicos ſolis præſentia humorem efficiat,extra Tropicos ſiccitatem.

Capvt VII.

Cauſa autem, cur æquinoctialis contra veterum ſententiam humidiſſima ſit, diu mihi atque acriter cogitanti, nulla alia certior occurrit,niſi quod vis ipſa ſolis maxima, & ampliſſimè circunfuſo Oceano plurimam vaporum copiam exugat,eandemq; citiſſimè liquefactā vertat in pluuias. Nam quòd præpotentis ardoris cauſa imbres proueniāt in regione torrida,multa,& perſpicua documenta ſunt. In primis eſt illud,quod ſatis ſupra commemoraui,quòd eo anni tempore,quò ſol ſupernè maximè ac directiſ-

ſimè

ſimè incumbit, imbres fiant: cùm verò lógius receſſerit, fieri deſinant. Solis igitur vis valida pluuias ciet. Deinde obſeruatum eſt in hac America, ab ipſo meridie, cùm radij ſolis potentiſſimi ſunt, imbres ſolere cadere, manè verò toto nihil ferè nobis ab imbribus timemus. Quamobrem iter cùm facimus, diuerſorio egredi maturè feſtinamus, & ad medium diem tuti iter carpimus. Hoc norunt Peruenſes omnes. Quid quod viri ſapientes deprehendiſſe ſe perhibent in his regionibus poſt ſumma lunæ incrementa pluere maximè ſolere? quod nos quoque etiam experti ſumus. Itaq; & annus, & menſis, & dies hoc idem atteſtari videntur, intra Tropicos ſumma caloris vi imbres generari. Poſtremò in artificijs quoque, vbi ex herbis aquæ in medicinæ vſum ſtillantur, idem accidere cernimus: ignis namq; vehemens & exęſtuans plurimam humoris eiuſmodi copiam ſurſum effert, eandemq; calore ipſo circunclulam exudantem in aquam vertit. Idem vbi argenti viui admirabili potentia aurũ aut argentum puriſſimum redditur. Nam ſi debilis ignis ſit, nihil ferè exudat: ſi validus, plurimum eliquatur, & in fumum quidem materia illa primùm reſoluitur, deinde in priorem argẽti viui liquorem vertitur, ac ſupernè defluit. Igitur vis ipſa ignei caloris, cùm materiam eſt nacta idoneam, ſimul rapit ſurſum, ſimul vbi quippiam obſtat, ne extractũ vaporem abſumat, ſtatim liquat in pluuiam. Iam verò quod in regione torrida ſol caloris copia generet pluuias, quas extra regionem torridam ſolis potius abſentia & caloris inopia facit, & ſi videtur prima fronte contrarium, ſed re vera non eſt. Plurimi naturales

les effectus à cauſis contrarijs proficiſcuntur modo diuerſo. Humentem veſtem æquè exiccat & ventus frigidus,& calidus ignis,lateres & frigore concreſcunt,& ſole.Somnum mediocris exercitatio prouocat. Si vel nulla ſit,vel prorſus immoderata diſſoluit. Ignis ſi nulla materia adijciatur,extinguitur;ſi nimia,etiã extinguitur:ſi moderata,alitur & augetur. Quæ oculis admouem⁹, vel nimis propinqua,vel nimis remota nõ cernimus,mediocria interualla viſum reddũt.Solis radius debilis nebulas nõ ciet ex fluuijs, ſi maxim⁹ ſit,etiã factas diſſoluit. Itaq; mediocris & attollit, & ſeruat,quare nec nocte, neq; meridie nebulæ ſurgunt,ſed plerunq; ſole aliquanto largius incumbente. Ad hunc ſanè modum plurima exempla natura offert, vt intelligamus aliquid fieri, vel non fieri cauſis ſæpè contrarijs. Quominus mirari debemus,ſi pluuias ſolis magna abſentia faciat,& nimis quoq; propinqua præſentia: eaſdem moderata potius diſſipet. Sed auiditas diſcendi pulſat adhuc, quid ſit, quod extra torridã ſolis maxima abſentia afferat pluuias, intra torridam eiuſdem contra propinquitas maxima. Quantũ equidẽ aſſequor, illud eſt in cauſa,quod per hyemem in regionibus extra tropicos poſitis nõ habet eas vires ſolis calor, vt leuatos è terra vapores abſumere poſſit,ita neceſſariò in aërea regione coëunt magna copia,& frigore ipſo concreſcunt, denſatiq; paulatim vertuntur in pluuias.Nam & ſol longè abeſt, & dies breuiores ſunt,noctes productiores. Sole verò appropinquante tanta eſt caloris copia, vt ſimul attollat,& diſſipet,& reſoluat humores,cũ præſertim ad ſolis propinquitatem accedat dierum longitudo.

tudo. At verò intra Tropicos, hoc eſt, in Torrida Zona ſolis quidem abſentia tanta eſt, vt præſentiam aliarum regionum æquet. Vnde etiam tunc eadem ratione ſiccitas accidit. Maximè verò ac directiſſimè incumbente ſole, ideò non magna ſiccitas, vt videbatur conſequens, ſed magni & ferè repentini imbres fiunt, quia immoderata illa ſua vi ſubitò copiam plurimam humoris è terra & Oceano trahit, quæ cùm non diſpergitur diſſipaturq; vento, facillimè coaleſcit, ac veluti immaturas pluuias facit. Nam vis magna caloris humoris copiam ſubitò attrahere poteſt, eãdem cùm multa eſt, ſubitò reſoluere non poteſt. Itaq; fit vt attracta pre multitudine ipſa concreſcat in pluuiam. Quòd ſanè ſubdito exemplo intelligi poteſt. Etenim cùm ſuillæ, aut vitulinæ, aut alioqui pingues carnes ſubiecto igne torrentur: ſi ignis quidem exiguus ſit, ſtillant, eò quod calor humorem attrahere poteſt, ſed abſumere non poteſt præ inopia. Quod ſi ignis contra maximus & propinquiſſimus ſit, ſtillant nihilominus, ſed ratione contraria, quia vis ipſa immodica caloris tantam ſubitò humoris copiam excitat, vt ſimul liquata prorumpat. At verò ſi ignis moderatus ſubijciatur, & interuallo idoneo diſtet, videmus ſanè elixari carnes, & vix quicquam defluere humoris. Quare coquorum ars præcipit ignem, neque nimium, neq; perexiguum, ſed mediocrem ſupponi, eumq; maximè vno tenore perſeuerantem: ita enim & humor paulatim extrahitur, & abſumitur. In cereis quoq; lucernis idem eſt cernere. ſi enim flamma maxima ſit, ceram prorſus liquefacit, quia excitare liquorem poteſt, abſumere non poteſt. Flamma verò pro ratione ma-

teriæ

teriæ attemperata, nihil ceræ defluit, quia quantum liquatur ardore, tantundem abſumi poteſt. Patet igitur, cur in æquinoctiali caloris nimia vis humorem faciat, quem aliàs caloris potius inopia facere ſolet.

Quatenus, quæ de Torrida dicta ſunt, accipienda ſint.

CAP. VIII.

QVemadmodum autem in pleriſque phyſicis cauſis non exigitur perpetuus, & mathematicus ille tenor, ſed quod frequens eſt, legem doctrinæ ponit, ita cùm inter Tropicos regionem eſſe humidiorem dicimus, & tunc præcipuè fieri imbres, cùm ſol maximè propinquat, intelligendum eſt plurima ex parte, & quod obſeruari certius poteſt. Neq; protinus negare debemus, quod natura voluit exceptum, partes quaſdam eſſe vehementer aridas in regione media. Nã & in AEthiopia eſſe accepimus, & in hac Peruana prouincia iampridem intuemur, vbi vniuerſa maritima ora Auſtralis pluuiarum beneficio prorſus deſtituta eſt, atque exceptis nonnullis vallibus, quæ fluuiorum ex montanis aquis manantium irriguo gaudent, cætera immenſos arenarũ cumulos, & ſterile ſolum occupant, vbi fontes perrari exiguiq; ſunt, putei aut nulli, aut altiſſimi. Cur autem nunquam hic pluuiæ fiant, quod multi iure mirantur, dicam poſtea, quoad liceat. Illud modò teneamus naturalium legum exceptiones nonnunquam neceſſariò induci. Quo etiam exemplo alicubi accidere fortaſſis poterit, vt intra Tropicos ſole potius diſtãte pluuiæ fieri ſoleant, aut etiã propinquante nullæ fiant. Quod

ſanè ſi perpetuum eſt,terræ ipſius atq; ſubiectæ materiæ qualitati peculiari aſcribendum eſt: ſin autem interdum ſic,interdum ſecus eueniat, facilè eſt intelligere naturales cauſas alijs contra obiectis ſæpè impediri. Quamuis enim ſol pluuias cieat, ventus tamen poteſt obſiſtere; quod crebrò videmus,&copioſiores etiã pręter morẽ poteſt ventus inducere. Sunt variæ & origines ventorum & vires,quæ ſæpè annuum & ſtatum ordinem interturbant. Quod cùm vbique terrarum certum ſit, incertos inde fieri anni curſus propter variantem ſæpè ſigniferi ſtellarumque errantium ſitum atque conſpectum; nemo iure culpare nos poterit, ſi in noſtris de æquinoctiali habitudine obſeruationibus, ſimilem quoque rationem excuſemus. Illud certè quod dixi, multo frequentiſſimum eſt atq; certiſſimum, intra Tropicos,& regionem eſſe humidiorem & humoris tunc maximam copiam eſſe, cùm ſol viciniſſimus eſt.

Quod Torrida regio non ſit vehementer calida,ſed mediocriter calida.

Cap. IX.

De ſiccitate & humore regionis mediæ diximus hactenus. De calore & frigore dicendũ deinceps eſt. Siccam & calidam definitam eſſe ab antiquis initio huius diſputationis commemorauimus, atque vtrumque extremo quodam gradu. Eſt verò æquinoctialis humida quidem & calida, calorem autem maxima ex parte habet attemperatum, quod incredibile haberetur, niſi eſſemus experti. Equidem ex philoſophica illa ratione, cùm ad Indos traijcerem, mihi perſuade-

bam futurum, vt cùm ad lineam æquinoctialem perueniſſem, vehementiſſimum æſtum ferre nõ poſſem, adeò id ſecus euenit, vt eo ipſo tempore, ita frigerem, vt ſolis radios apricandi cauſa quęrerem, atque hoc cùm ſol mediam ipſam lineam teneret, id eſt, in Ariete verſaretur menſe Martio. Hic ego fateor totam Ariſtotelis Philoſophiam, Meteorologicam vehementer irriſi, cùm & loco & tempore ſentẽtia illius ardentiſſimo, mirificè me ſocioſque omnes algere ſentirem. Res ita habet prorſus. Nulla eſt mundi regio tẽperatior, nulla ſuauior atq; clementior æquinoctiali. Habet tamen ipſa etiam differentias ſuas, neque vbique eſt tenoris eiuſdem. Alicubi regio hæc media mirè temperata eſt, vt apud nos: alicubi mirè frigida, vt apud Potoſienſes, alicubi etiam vehementer feruida, vt apud AEthiopes, & Braſilienſes, & Maluchianos. Quæ ſanè obſeruatio cogit nos aliam præter ſolares radios caloris & frigoris cauſam quærere, cùm perſpicuum ſit eodem anni tempore, iiſdẽ longitudinis gradibus loca alia exuri, alia mediocriter incaleſcere, alia vix dũ frigus exuere. Plato quidẽ Atlantidem illam ſuam tantopere à Critia decantatam vltra Tropicum porrectam refert, quippe quam certo anni tempore ſub ſole eſſe ſcribat. Illam tamen, & felicem, & temperatam, & omnium rerum feracem prædicat. Plinius quoq; Taprobanem ſub ęquinoctiali poſitam, vt eſt verè, commemorat, quam tamen non diuitem ſolùm, & opulentam, verùm etiam hominibus animantibuſque refertam ſcribit. Ex quibus apparet, tãetſi vulgari illa opinione, de intolerando torridæ *Zonæ* æſtu veteres tenerentur, tamen aut à ſe-

ipſis

ipſis aliquando diſſenſiſſe, aut habitationi hominum eam regionem non eſſe incommodam potuiſſe facilè deprehẽdere. Ea res clariſſimo Coſmographo Ptolomæo, atq; inſigni Philoſopho, & Medico egregio Auicennæ aliquo certè modo venit in mentem, qui ſub Aequatore habitationem eſſe placidiſſimam tradiderunt.

Regionis Torridæ æſtum temperari tum multitudine imbrium, tum æſtiuorum dierum breuitate.

CAP. X.

REM ita habere nemo iam dubitat poſt nouum orbem inuentum: ſed natura comparatum eſt, vt quanto quippiam incredibilius ac præter hominum opinionem experientia patefacit, tanto cauſas perquirendi ardentior cupiditas excitetur. Itaque ſcire auemus, cur, quæ ſolem propius incumbentem regio patitur, ea non ſolùm ſæpe temperata, verùm interdum etiam frigida ſit. Communiter Zonæ torridæ habitudo cauſas habet duas, ob quas æſtus illius vehementiſſimus mitigatur. Prior eſt illa, quam diximus, quod eadem pluuioſa admodum ſit, imber autem omnis refrigerat, quippe cùm aquæ natura frigida ſit, quæ quamuis accedente extrinſecus vi ignea incaleſcat, tamen eadem remittit ſine dubio immenſum illum ardorem, qui ex puris radijs ſolaribus efficeretur. Documento eſt regio omnis arida, vt Arabia interior, quę eadẽ ardentiſſimo ſole torretur, quod nullis imbribus vis illa ignea remittatur. Et nubes ergo vrentis ſolis furorẽ intercipiunt, & ex illis inſtillati imbres aërẽ ipſum terramq; ſimul

madefaciunt atque refrigerant. Quantumuis enim calidi fluant, bibuntur tamen, & ſitim ardoremque reſtinguunt, quod noſtri homines experti perſæpè ſunt in graui aquæ penuria. Itaque & ratio, & experientia ſibi ſatis congruunt, vt ſedandi caloris efficax pluuia ſit. Et quoniam torridam oſtẽdimus omnium eſſe pluuioſiſſimam, fit profectò, vt inde non leuem temperandi caloris cauſam opinemur. Iam alteram rationẽ ſubijcio, atque eam eiuſmodi, vt cùm ad hanc, quam modò tractamus quæſtionem, tum ad alias complures nobis nõ mediocriter vſui futura ſit. Breuiſſimè ergo, vt dicam, æquinoctialis ſoles patitur ardentiores quidem, ſed tamen omninò breuiores. Ex quo fit, vt cùm diurni caloris ſpatia minora ſint, non ita vehementer inflamment. Verùm explicanda, & latius producenda ſententia eſt. Tradunt ſphæræ tractatores prorſus verè, quando eſt obliquior Zodiaci aſcenſus, tanto dies noctesq; magis inæquales exire: contra, ſphæræ rectæ tempora eſſe æqualia. Itaq; tota Tropicis clauſa regio minoris diei ac noctis diſſimilitudines patitur, tantoq; id certius, quanto æquatori vicinior eſt. Hoc nos hîc abũdè experimur. Nam Quitenſes lineæ proximi nullum dierum noctiumque toto anno diſcrimen agnoſcunt. Limenſes duodecimo pene gradu poſiti notãt quidem dies longiores per Decembrem, atq; Ianuarium, ſed vnius horæ vix ſpatio exceſſus omnis abſoluitur. Porrò Cuſquenſes, multoque magis Potoſienſes perſpicuè hyemalium, & æſtiuorum dierum longitudinem breuitatemq; diſcernũt. Qui verò extra Tropicos poſiti ſunt, & maius & manifeſtius interuallum dierum notant, & quo

plus

plus à meridionali ad cæli cardines abſunt, eo productioribus per æſtatẽ diebus fruuntur. Quã obrem Germania & Anglia lõgiores dies quàm Italia,& Hiſpania æſtiuos habent. Hæc cùm & rudimenta ſphæræ trãdant,& res ipſa obſeruantem facillimè deprehenſa confirmet, iam illud æquè perſpicuum addendùm eſt, plurimum ad effecta omnia naturalia pollere cauſæ efficientis perſeuerantiam. Cùm ergo regio æquinoctialis æſtiuos dies habeat breuiores quacumq; alia,cũque nox ipſa ſuapte natura,& humida, & frigida ſit,eademq; diei æqualis,ſi quæratur ex me, cur ſub torrida Zona non tanti æſtus fiant, quantos Bætica,exempli gratia,per Sextilem, & Quintilem tolerat, equidem breuiter & probabiliter reſponſurus ſum,quod Bætica ſoles habeat eo tẽpore longiores, noctes breuiores: noſtra autem Peruenſis regio contra ipſa æſtate media, & dies Bæticis breuiores,& noctes noctibus longiores, vſque adeò vt maxima dies vix tredecim horas plenas habeat apud nos, apud illos etiã integras quindecim.Et ſi ergo ad æſtum,nos ſolis vicinitate præſtamus, tamen nos illi ſolis diuturnitate longè ſuperant. Ac certè mediocris aliquis ignis amplius vrit,ſi longo tempore perſeueret, quàm alius maior breuius admotus,præſertim ſi frigida,& contraria vi diutius interpoletur.Has igitur duas obſeruationes veriſſimas ſi quis æqua lance cõpenſet,hoc eſt regionis torridæ pluuioſitatem, & æſtiuorum dierum breuitatem, fortaſſis exiſtimabit, rectitudini, & propinquitati ſolarium radiorum in ratione caloris ciendi, ſedandique non magnopere cedere.

Alias quoque eſſe peculiares cauſas temperandæ torrida, atque in ijs Oceani propinquitatem.

CAP. XI.

QVONIAM verò ea, quæ dixi ad regionem mediam temperādam communia ſunt, neque tamen omnis ea plaga ſolſtitialibus circulis comprehenſa æquè temperata eſt, ſed quibuſdam in locis vehementiſſimè exæſtuat, quibuſdam etiam friget, & quod mirari poſſis, idem prorſus clima alibi calidum, alibi frigidum, alibi temperatum eſt, idque vno, eodemque tempore, omninò compellimur præter allatas communiter alias quaſdam peculiares cauſas quærere, cur Zona torrida tot viciſſitudines capiat. Occurrunt autem accuratius cogitanti tres notæ, & quarta quædam alia ignota. Notas numero Oceanum, terræ ſitum, ventorum vim: præter has latere ſuſpicor occultam aliquam terræ ſubiectæ qualitatem & cæli ſupernè dominantis efficaciam. Nam qui contemplatus fuerit ſub torrida Zona non ſolum Manomotapam, & pretioſi Ioannis regna ſole exuri, & atri coloris eſſe indigenas omnes, verùm etiam in Inſulis vndique mari circunlitis idem prorſus accidere, qualis eſt Inſula Sancti Thomæ in media linea, & Inſulæ Cabo verde: contra ſub eadem linea & inſulas, & continentem huius regni Peruenſis à Granatenſi, & Popaiana prouincia vſque ad hanc Limenſem adeò eſſe temperatas, vt interdum frigidiores ſint, homines autem prorſus albi naſcantur: tùm verò Braſilienſem omnem prouinciam Oceano Boreali expoſitam eſſe calidiſſi-

lidiſſimam, hanc noſtram Peruenſem eodem penitus climate Oceano Auſtrali incumbentem eſſe temperatiſſimam, atque huius generis mirabiles differentias mille perſpexerit, non poterit is profectò generalibus illis documentis eſſe contentus, ſed vltra inueſtiget, neceſſe eſt, vt ſibi in tanta diuerſitate ſatisfaciat. Maris igitur natura quamuis ſalſa ſit, eadem tamen frigida eſt, neque altius cauſam petere oportet, quàm ex ipſius aquæ natiua qualitate, quæ ſine dubio frigida eſt. Radij quoque ſolares ex aqua, quòd & fluit & facilior eſt, minus vehementer quàm ex terræ materia repercutiuntur, quod ad æſtus vel contentionem, vel remiſſionem plurimum refert. Accedit ad hoc, quod Oceani immenſa altitudo prohibet aquam feruore ſolis affici, vt fluuiales aquæ ferè ſolent. Atque omninò ſicut nitro quod ſalſum eſt, aqua frigeſcit, ita marinam aquam refrigerandi vim continere experimur. Quamobrem ſolent etiam delicati, vini aut aquæ potabilis ſcyphos marinæ aquæ frigefaciendos committere. Quibus ex omnibus perſpicuum fit Oceani ad ſedandum æſtum refrigerandumq́ue vim eſſe permagnam. Itaque magis in terra quàm in mari æſtuamus, ſi cætera paria ſint, & regiones omnes maritimæ Mediterraneis temperatiores ſuauioreſq́ue habentur. Quoniam autem maxima noui orbis portio quamuis ſub torrida Zona iaceat, tamen vel Oceano propinqua eſt, vel etiam alluitur, aquarum beneficio temperari non abſurdè exiſtimari poteſt.

Terras quò altiores, eò frigidiores eſſe, & quæ ſit huius cauſa.

CAP. XII.

AT in ipſa etiam terra, vel æquè mari propinqua, vel æquè etiam remota, non eſt eadem menſura caloris, ſed prorſus diſpar. Cur ergo ita accidere arbitremur, niſi quod diuerſum ſitum tenet, & aut depreſſior eſt & calori excipiendo aptior, aut elatior, & frigoribus potius patet. Quis enim ignorat montium culmina vallibus concauis eſſe frigidiora? non ob id ſolum, quòd radij ſolares cõcauis locis amplius repercuſſi maius incendium ciant. Verùm etiam quod ipſa aëris regio ſine dubio eò frigidior ſit quò altius à terra tollitur. Hoc ita eſſe oſtendunt campeſtria prouinciæ Colla, & Popaianenſia, quæ ſunt ſanè perfrigida, & tamen & montibus vndiq; cingun tur, & latiſſimum ſolem excipiunt. Cur ergo cãpeſtria maritima in hac Peruenſi regione calidiora ſint, contra campeſtria illa montana adeò frigida, ſi quiſquam cauſam exquirat, prorſus neſcio quam aliam inuenturus ſit, niſi quod montana illa valde edita ſunt, hæc infimè depreſſa. Aërem autem in media ſua regione eſſe gelidiſſimum, cùm quæ eò pertingunt celſiſſima mõtium culmina oſtendunt, quę perpetuis niuibus, & gelu rigẽt; tum verò ratio ipſa naturalis, quòd per antipariſtaſim ex regionis igneæ motione & calore ad medium frigus omne diffugiat. Ita ferè à Philoſophis infima, & ſuprema portio aëris calidior, media frigidior diffiniri ſolet. Quæ ſi vera ſunt, vt eſſe ſanè videntur, habemus adiumentum non exiguum ad temperadam regionẽ

torridam,

torridam, montana illa atque edita terræ faſtigia, quæ in his locis frequentiſſima ſunt, quæ ſanè, & natura ſua frigida ſunt, & reliqua circunuicina magnoperè frigefaciunt. Hic niues perpetuæ, aquæ gelu maximo cócretæ, pruinæ crebræ, algoris denique tanta vis, vt ex niuali illo horrore campos latè cernamus exuſtos, herbamque omnem decoctam, ipſi homines atque equi præ frigore ſæpè corruant. Atque hoc, vt dixi, in media torrida regione accidit, & accidit maximè ſole propinquiſſimè incedente. Cur autem frigidiora ſint montana campeſtribus dixi atque iterum repeto, quod aëris regio media, ad quam potiſſimum pertinent, frigidiſſima ſit. Cur illa ſic habeat, dixi ſupremum aëris orbem igneæ exhalationi vicinum, vt Ariſtoteles vult, quicquid eſt frigoris à ſe depellere, atque ad medium per Antipariſtaſim ferri. Hîc ſi pergat aliquis quærere, cùm aër calidus atque humidus ſit ſuaptè natura, vnde nam frigus illud ipſius media regio concipit? nuſquam enim apparet, niſi & aër calidus & igni proximus, itaque infimam aëris regionem aquæ & terræ contiguam, magis frigidã eſſe oportebat. Equidem non mediocriter hærere me fateor, parumque abeſt, vt in eorum ſentẽtiam eam, qui Ariſtotelis iſtas ſymbolas ac diſſymbolas qualitates contemnunt, magiſq; arte depictas, quàm vlla experientia allatas aiunt. Itaque aërem frigidum natura ſua contendunt, idque multis, & magnis experimentis probant. Nam vt alia prætermittam, certè in æſtatis maxima vi ſolemus aërem flabello ciere, atque ita refrigeramur. Nulli ergo elemẽto qualitatem calidam natiuam eſſe volunt præter ignem, cuius

Ariſt. lib. Meteorol. c. 4.

Dionyſ. ca. 15. de cœleſ. Hierar.

commixtione plena ſunt omnia, vt ait magnus Dionyſius. Sed ſiue hoc ita ſit, ſiue non ſit, (neq; enim facilè niſi in re certa Ariſtotelicæ auctoritati reſiſto) illud omnes conſentiunt, & eſt experimento ipſo abundè compertum, aëris regionẽ hac ima celſiorem eſſe perfrigidam, vnde & niues, & grandines, & pruinas, & cætera omnia magni frigoris argumẽta depromimus. Igitur cùm longè maxima torridæ portio inde Oceano ingenti, hinc præcelſis montibus cincta ſit, ſatis eæ duæ cauſæ ad ſolis ardorem temperandum fortaſſe videri queant.

Ventorum maximè beneficio regionem Torridam temperari.

CAP. XIII.

VErùm Torridæ regionis temperatio præcipuo ac propemodum ſingulari auræ leniſſimæ beneficio accepta referenda eſt, ita ſummus Conditor huic tam magnæ orbis portioni conſuluit, vt vbi eſſet ſolis omnia ſubiecta vaſtantis potentiſſimus ardor, ibi plerunq; ſpirarent venti frigidiores, quorũ ſuauitate grauior æſtus iniuria depelleretur. Videri certè poterant aliquid ij dixiſſe, qui paradiſum Edẽ ſub ęquinoctiali collocarunt, niſi eos cauſa defeciſſet, qui propterea hanc regionem temperatiſſimam eſſe voluerũt, quod dierum & noctium æqualitas minimè pateretur calorem eſſe immoderatum. At probabilius alij contradixerunt, poetaq; in primis.

Vergil. in Georg.

Quod Zona coruſco
Semper ſole rubet, & torrida ſemper ab igne.

Neq; enim noctis tanta frigiditas eſt, vt immenſos diei ęſtus vſq; adeò moderaretur. Igitur auræ perpe-

perpetuò ſpirantis proprio ac peculiari beneficio fit, vt *Zona* veteribus torrida nobis ver quodammodo perpetuum ſit. Hoc ita habere, certiſſima documenta demonſtrant. Namq; in eodem climate videmus vrbes ac regiones alias alijs calidiores, quod minore venti refrigerantis copia potiantur, quædam etiam, vbi ventus flat nullus, aut terrenus certè eſt, & æſtuoſus, vulturno Hiſpanico ſimilis, vſque adeò exuri ſcimus, vt accenſas fornaces putes. Tales in magna AEthiopia, in Braſilia, in Paytiti, & Paraguaij campis eſſe notiſſimum eſt. Neque terræ ſolum, ſed maria ipſa idem diſcrimen ſubeunt. Sunt maria æſtu grauia, quale Mozambiquenſe perhibent, quale Ormuzianum, apud Orientales; Panamaenſe, & Braſilienſe, apud Occidentales, quibus ſanè reſpondent eodem ſitu maria alia mirè temperata, vt hoc noſtrum Peruenſe, in quo nos algere, cùm primùm nauigaremus, meminimus, idque eo tempore, quo ſol rectiſſimè incumbebat, id eſt, prope æquinoctialem menſe Martio. Nihil hic aliud cogitare poſſumus, vbi & cælum & pontus eodem modo reſpondent, niſi venti ſpirantis naturam, quæ vel refrigerat, vel inflammat. Atque vna hac de venti ratione demonſtratione cõprehenſa multa ſoluuntur, quæ in hiſce regionibus ſolent non immeritò mirabilia cenſeri. Cur cùm ſol ardentiſſimus ſit apud nos ac longè immitius feriat, quàm canicularis Hiſpaniæ, idem tamen leuiſſimo vmbraculo pellitur, adeò vt ſub ſtoria aut ſtramẽto tutiores ſimus, quàm in noſtra Hiſpania ſub teſtudine lateritia? Cur apud nos noctes æſtiuę nequaquam calidæ ſunt? Cur in ipſis mon-

montium iugis inter medios niuium aggeres ſæpe intolerabiles æſtus patiamur? Cur in prouincia Collao ſub vmbra etiam debili frigus ſit, in ſole ſtatim proximo intolerabilis ardor? Cur hæc Peruenſis regio maritima, cùm ſit tota arenoſa & ſabulo plena, eadem mirè temperata ſit? Cur Potoſienſis & Platenſis vrbes cùm interuallo perbreui diſtent, atque vtraque montana ſit, & in eodem climate poſita, vſq; adeò frigore & calore pugnent, vt Platenſis ſuauiſſima ac temperatiſſima frugiq; ad modũ: Potoſienſis contra prorſus ſqualida, præfrigida, frugum omnium ſterilis ſit. Ergo has omnes varietates venti maximè natura facit. Nam vbi auræ lenioris copia ſubtrahitur, Solis ardor eſt tãtus, vt inter medias niues vrat, vbi redditur, facilè omnis æſtus excedit, vbi autem familiaris eſt & veluti inquilinus ventus hic frigidus, non ſinit vllo modo terrenos halitus velut ex materia combuſta cogi, quæ vna cauſa in Europa facit noctes æſtiuas ipſis diebus pene grauiores, quod ſolis vi terra exuſta flatus reddat craſſos & fumidos, ac tanquam ex fornace prodeuntes. Hic verò illa aura refrigerãs, cùm primùm ſolis radios quauis vmbra vitamus, reddit diem ſuauem. At in Europa ſanè ſuauiſſimũ tempus per æſtatem eſt matutinum, grauiſſimum pomeridianum: in regione hac contra ferè euenit, Nam quia marinus ventus non niſi ſole iam incandeſcente ſpirare ſolet, præcipuus æſtus ſummo mane ſentitur vſq; ad horam nonam aut decimam: exinde mari aſpirante dies reliquus ſuauiter tranſigitur. Quod in Inſulis Barlouenti cùm verſaremur, ſatis obſeruabamus, cùm interdum matutino tempore ſudaremus, meridiano

refrige-

refrigeraremur, quo tempore familiaris illis regionibus Euroaquilo à noſtris Briſſa dictus, copioſius ſpirare incipit.

Sub regione media ſuauiſſimè vitam degi.
CAP. XIIII.

HOC igitur argumento, qui ſub AEquinoctiali Paradiſum collocant, ſi adducerētur, credibile aliquid afferrent, non quod in hac media regione hortus ille voluptatis iaceat, neque enim id pro certo niſi temere affirmare poſſumus, ſed regio hæc, vbi temperies eſt maxima, tanquam voluptatis hortus atque altera tempe meritò haberi poſſit. Nihil eſt enim humanæ vitæ moleſtius aëris cæliq; inclementia, nihil illius benignitate iucundius. Ex omnibus elementis nullum neq; ſæpius, neq; interius accipimus aëre, hic & continens eſt humani corporis, & viſcera ipſa atque intimum cor quouis momento inuadit, & pro ſui qualitate afficit. Si corruptus ſit, facilimè perimit: ſin ſalubris, vires cōfirmat: denique hic vnus vita mortalium eſt. Itaq; quantacunque copia ſit rerum omnium, vbi cælum eſt inſalubre atque inſuaue, humana vita miſera & afflicta ſit, neceſſe eſt. Contra cæli clementia aërisque ſuauitas omnium rerum inopem abundè locupletat & beat. Mihi in hanc tanquam veris perpetui benignitatem intuenti, cùm neque hyems premat frigore, neque æſtas caloribus coquat, adeò vt paruo ceſpite iniuriæ omnes ſatis propulſentur, veſtiumq; viciſſitudine vix opus ſit, profectò ſæpè venit in mentem, ſi homines cupiditatis prauarumque opinionum vinculis expedirentur, facilè hîc iucundam ac beatam vitam

Viu. li. 13. de Ciuit. c. 21.

tam fuiſſe victuros. Nam quod poetæ de Elyſijs, quod de Tempe, quod Plato de ſua illa Atlantide, vel fingit, vel narrat, id certè in his regionibus reperturi fuiſſent, ſi ingenua libertate dominari potius, quàm ſeruire pecuniæ decreuiſſent.

De varietate ventorum & cauſis.

CAP. XV.

VNde in vento ea tanta vis ſit ad refrigerandum, vt ſolis vehementiſſimis flammis non cedat, ſæpè adeò ſit ſuperior, vt in media regione Torrida Scythicum frigus efficiat, alij naturę valentiores indagatores facilius fortaſſis inuenient. Ego in hac admirabili ventorum & origine & efficacia illud cogitare ſæpè ſoleo. Qui profert ventos de theſauris ſuis. Et illud, Vocē eius audis, & neſcis vnde venit, aut quò vadit, ita prorſus eſt, vt veritas dixit, effecta ſentimus, primordia, fineſq́; neſcimus. Et quanquā apud AEolum ſub ſpecu ventos cohiberi non opinamur: tamē in præpotenti illa efficientia, qua naturā à ſe cōditam latè moderatur & regit, non dubitamus veluti quoſdam theſauros deliteſcere, origineſq́ue vētorum, vnde varietate mirabili prodeūt, alij frigidi, alij calidi, alij nimboſi, sereni alij, ſalubres & morbidi, ſteriles & fœcundi. Quidā etiam quibuſdam regionibus dominantur, neq; riualem patiuntur, quidam & contrarios ferunt, & cedunt, aut vincunt viciſſim, interdum quod hic ſępè vidimus, regiones ita partiūtur, vt alius infernam, ſupernam alius ſimul perflent, neque inter ſeſe concurrāt. Ac multa quidem cùm alij, tum maximè Ariſtoteles cōmentatur de natura viribuſq; ventorum, ſed neſcio, an quæ occulta

Pſalm. 134.
Ioan. 3.

ſint,

ſint, dicendo obſcuriora fecerint. Ego verò libẽter quęram ex illis, Cur in tota hac maritima ora per longiſſima ſpatia vnus tantũ ventus aſpiret? Cur idem Auſter, qui apud nos ſuauiſſimus eſt, tranſita æquinoctiali prorſus grauis & caliginoſus ſit? Cur Aquilo nubes congreget, & in pluuias exprimat in his locis, idemq; veternoſus habeatur, qui aliâs ſemper & frigidus & nubium diſſipator eſt. Cur Inſulæ, quas Barlouenti appellant, perpetuis Aquilonibus refrigerẽtur, & tamen pluuias habent copioſas, & vix vllus illic Auſtro aut Africo aditus patet? Cur Braſilienſis regio ante promontorium S. Auguſtini perpetuos terrenos ventos obtineat, hæc noſtra Peruẽſis ſub eodem climate perpetuos cõtra marinos? Hæc atq; huius generis multa difficilè eſt etiã viris valdè rerum Phyſicarũ peritis ad perfectum pro dignitate differere. Ne nihil tamen ſtudijs hominum demus, illud eſt promptum cernere ex locis editis atq; ſublimibus, vtpote niualibus ac pruinoſis & à ſole minus affectis, ventos gigni frigidos & ſubtiles: contrà è vallibus & torrẽtibus, locíſque paluſtribus craſſos, & inflammatos, ſi abundet calor. Ad hoc accedit non minus certum, è mari flatum ſpirare ſolere ſuauiorem & ſalubriorem; è terra aſperiorem minúſq; ſalubrem, quod marini vapóres ſine dubio ſubtiliores minúſque concreti ſint, ipſaque ſalſedo non permittat tantùm ſterilitatis dominari, vt ſterileſcat, itaque & ſuauiorem & fœcundiorem & omninò ſalubriorem eſſe aurãm è mari ſpirantem perſpicuum eſt. Cùm ergo Torrida hæc régio montibus altiſſimis plena ſit, cùm Oceano quoque maxima ex parte ambiatur, conſequens

eſt ventos gigni, & frigidos, & ſubtiles, & animantium generationi prorſus idoneos. Vnde fœcundiſſima in his eſſe regionibus animalia conſtat, quod calida & humida ſit; & aura quadam fœcunda foueatur. Neque enim ſine cauſa poëtæ Venerem Aphroditin ex marina ſpuma ortam fabulantur.

In Torrida Zona quoſdam eſſe ventos perpetuos Oceano.

CAPVT XVI.

ILLA quoque nauticæ obſeruationis narratio mirabilis eſt, quòd in tota regione ſolis itineribus ſubiecta, quæ duobus Tropicis hinc inde concluditur, compertum eſt longo vſu ventos eos dominari, qui à Septentrione & ortu maximè perflant, ab Occidente & Meridie rari ſunt, aut propemodum nulli. Quæ ſanè obſeruatio vẽtorum diuerſę nauigationis ab Europa ad Indos, & ab Indis in Europam cauſa eſt. Neq; enim ſicut Thebis Athenas, & Athenis Thebas eadem eſt via, ſic ab Hiſpania ad Indos, & ab Indis ad Hiſpaniam. Sed aduentatio quidem procliuis, atque vt poëticè ludam, Facilis deſcẽſus ad Indos. Sed reuocare gradum, veteremq; euadere ad orbem, Non facilis labor eſt. Veniunt quidem Hiſpanienſes claſſes longè facilius & citius, & tutius quàm redeunt, quod vento ſecundo, perpetuis ferè Auro Aquilonibus delabantur, quo eodem vento obſiſtente reditum inueniunt difficilem. Quamobrem remeandi in Europam illa eſt certa ratio, vt ad gradus altioris cæli enauigẽt, vbi cũ iam extra Tropicos euaſerint, Auſtrum offendãt copioſum, & reuerſioni opportunum, quo ple-

nis

n̄is velis ferũtur ad ſuos. Itaq; ab Hiſpali aut Gadibus ſoluentibus occurrit primum pelagus illud procelloſum, varijſque ventis agitatũ, quod equarum vocant, vſq; ad Inſulas fortunatas. Inde vaſtiſſimo Oceano ſeſe committũt, perpetuis ferè Septentrionibus vſque ad noui huius orbis conſpectum delati. At in Hiſpaniam reuertẽtes ex noſtra Carthagine ad Inſulæ Cubæ notiſſimũ portum Habanam contendunt, vnde vtraq; claſſis & Mexicana, & Peruenſis cõiuncta, paulatim regione Torrida enauigata extra Tropicos ad Floridæ ferè conſpectum Auſtrum puppi captant; eumque nacti perualidum, immenſum pelagus & Bermudæ infortunia præteruecti ad Terceras Inſulas adlabuntur, atq; inde ad ſacrũ D. Vincentij Promontorium Patriæ optatum conſpectum tenent. Ad hunc etiam modum in in hoc altero immenſo Oceano cum ad Salomonias Inſulas ex noſtra America iter ſit haud difficile, reditus tamen non eſt facilis, ſed aut vltra æquinoctialem & Cancrum quærendus eſt Zephyrus, & in nouæ Hiſpaniæ litora procumbendum, aut contra ſuperato Capricornio ad Chilenſis regni regionem cõmeandum. Eadem prorſus eſt obſeruatio nauigationis ad Sinas atque ad Inſulas Philippinas Sinis propinquas, ad aquas ex Mexicanis portubus neque diuturna, neq; periculoſa nauigatio narratur. At ex ijs Inſulis reditus prolixior propter circuitũ, atq; periculoſior propter ventorũ viciſſitudines. Itaq; magna Oceani ſpatia contẽplãti certũ & velut lege fixũ occurrit, intra Tropicos Septentrionẽ & Ortum dominari, excluſis ferè Auſtro & Occaſu. Quod tamẽ quemadmodũ cætera phyſica penè omnia,

non ita accipiendum eſt, tanquam ij venti nuſquam Torridam occupent. Neque enim vſq; adeò exulare ſunt iuſſi. Quin potius regiones videas nonnullas, quibus familiaris perpetuuſq; Auſter ſit. Sicut in hac vniuerſa Auſtralis Oceani regione maritima contingit, vbi neſcio qua lege mirabili, nullus ferè toto anno niſi ab Auſtrino Polo ventus flat, cùm ſimus tamen in ipſa Torrida atq; Aequinoctiali hinc, inde Capricornij circulo circundemur. Sed has generalis illius regulæ veluti exceptiones facit diuerſa natura litorum, promontoriorum, terrarum, cæterarumq; varietatum, vnde ventorum & origo & vis leges maximè accipit. Nos quod commune eſt regioni Torridæ, & in alto Oceano plurimum obſeruatum, id de ventorum natura tradidimus. Atq; hactenus de mediæ huius regionis primis qualitatibus, de frigore, de calore, de humore & ſiccitate Torridæ, necnon de temperatione dictum ſit.

DE

DE PROCVRANDA SALVTE INDORVM,

LIBRI SEX.

PROOEMIVM.

DE procuranda ſalute Indorum, rectè atque aptè dicere, perdifficile eſt. Primùm, quòd Barbarorum gentes innumerabiles ſint, vt cælo, locis, habitu, ita ingenio, moribus, inſtitutis latiſsimè diſsidentes: quibus omnibus Euangelio conciliandis, inſtituēdis, regendiſq́; aliquid commune præcipere, atque in tanto hominum rerumq́; diſcrimine, accōmodatè ac certò quid expediat definire, magnæ cuiuſdam facultatis eſt, quam profectò nos minimè conſecuti ſumus. Deinde res Indicæ vix firmæ ſtabileſq́; conſiſtunt, & nouū quotidie, ſuiq́; diſsimilem habitum præ ſe ferunt, vt improbandum modò ſit, quod nō ita pridem valdè probabatur, & rebus mutatis vtilia ante conſilia etiam pernicioſa fiant. Quamobrem vt firma ac perpetua præcepta ea de re tradantur, vix fieri pro-

fectò poteſt. Vt enim alia pueritiæ, alia iuuentuti veſtis concinnanda eſt, neq; poteſt eadem omnis ætatis eſſe mēſura, ita Remp. Indicam inſtitutis, religione, hominum genere varias veluti ætates ſubinde commutante, non eſt mirandum, ſi doctrinæ artifices alias atq; alias docendi rationes adhibeant. Ita quamuis priores ſcriptores pietate & ſapiētia præſtiterint, tamen eorū vel diſputationes, vel commentarios, quos de rebus Indicis ediderunt, noſtra iā ætas non magni facit, quod non magnopere rebus præſentibus accommodentur. Ex quo fit, vt eos quoque, qui pro hoc ſtatu rerum aptè congruenterq; diſſeruerint, eodem loco futuros non longa abhinc ætate, profectò diuinare poſſimus. Ac nos certè rerum Indicarum imperitis, falſa fortaſſis & inter ſe ſe pugnātia ſcribere ſæpè videbimur, quod de Indorum natura, moribus, fidei Chriſtianæ progreſſu, variè varijs in locis loquamur: contrà periti rerum minus amplè & pro dignitate eadem illa dicta cenſebūt, atq; plura ipſi & aptiora ſe afferre poſſe confident. Mihi verò quid vel docti deſiderent, vel indocti reprehendant, non admodū curæ eſt. Illud prudentiſſimus quiſq; facilè intelligit, eadem de re non eodem

modò

modo omni ex parte dicendum eſſe, ſi veritati ac non libidini obſequendum eſt. Neq; fallit is, qui in argumento multiplici pro rebus diuerſis diuerſa pronuntiat. Idem prorſus homo ſui ſæpe diſsimilis eſt, eadem vrbs, & domus eadem varijs locis & laudari & vituperari non falsò poteſt Licuit certè Apoſtolo Paulo in eadem epiſtola Co- 1.Cor.1.
rinthios ſummis ornare laudibus, ſpirituales, ſapientes, quibus nihil deeſſet in omni gratia & dono dicere: eoſdem ita deprimere, vt carnales eſſe, inflatos, ſpiritualibus 1.Cor. 3.5.
rebus ineptos exprobraret. Neq; ſibi cōtrarius eſt, aut ſui immemor: ſed quæ per partes inerant, potuit ſalua veritate, vt Chryſoſtomus commentatur, vniuerſis aſcribere, Iſraelem, & Iudam ijdē Prophetæ ſæpe vituperant, ſemen nequam, filios ſceleratos, populum Gomorrhæ, & id genus infinita conuitia iactantes: quem tamen vel eadem interdū pagina ſummis laudibus euehunt, populū iuſtum, filios Dei, hæreditatē Iſaiæ 6.51.
dilectam, gentem ſanctam, atq; alia multa honoris cauſa appellantes. Imò verò eadem periodo Paulus, ſecundū Euangelium quidē, inquit, inimici propter vos, ſecundū electionē autē chariſſimi propter patres. Quo magis nobis ſalua veritate licere putandū

Chryſ. homi 2. in 1. Corin.

Iſaiæ 1.

Rom.11.

eſt gentes Indorum, quarum eſt tanta diuerſitas, modò Euangelio aptiſſimas prædicare, ut verè ſunt maxima ex parte, modò valde alienas accuſare, quòd hominum ſcelere, & peruerſa educatione contingit. Vulgaris error eſt, res Indicas tãquam rus aliquod aut oppidum anguſtè definientiũ, & ſicut vno verbo dicuntur, ita vnius eſſe naturæ rationiſq́; putantium. Sed qui hæc noſtra legerit, inueniet profectò nos nullo partium ſtudio ductos & proba, & praua depromere, & iucunda & triſtia æquè afferre. Nihil enim teſte Domino IESV *aliud optamus, atque agimus, quàm vt pro comperta nobis rerum fide, quicquid eſt, vt eſt, alijs tradamus, quippe qui ſciamus Deum nequaquam noſtro egere mẽdacio.* Rom 3. *Neque verò gentes has vana aut falſa concepta opinione rectè adiri & quæri ad ſalutem. Sed tum demum vnicuique conſtare animum, cùm quale & quàm magnum opus Domini aggrediatur, non inani rumore ductus, ſed firmo diuinæ vocationis conſilio nitens, ſecum prudenter expenderit.*

Quamuis autem Indorum nationes innumerabiles ſint, quarum ſingulis ſui certi ritus & mores ſunt, quas alio atque alio modo inſtituere oporteat, tamen cùm id

ego præſtare non poſſem, cui plurimæ gentes ignotæ ſunt, & vt maximè eſſent cognitæ, immenſum opus exiſteret ſigillatim de omnibus diſputare, operæ pretium duxi, vt barbaris omnibus accommodatius ſcriberem, Peruenſium maximè habere rationem. Idqué feci duabus ex cauſis, vna quod hæ Prouinciæ mihi notiores eſſent, vt aliquid certius afferrem: altera, quòd hoc Indorum genus veluti medium mihi inter cætera ſemper eſt viſum, ex quo facilius veluti extrema iudicari queant. Etſi enim Indi vocantur barbari omnes, quos noſtra ætate Hiſpani & Luſitani ſuis claſſibus longiſſimæ Oceano traiecto inuenerunt, nō ſolùm ab Euangelica luce alieni, ſed ab humanis quoque inſtitutis abhorrentes, tamen non omnes eiuſdem ordinis ſunt, ſed Indus Indo, vt Comicè dicam, multum intereſt, barbarus barbaro longè præſtat. Barbaros autem probati auctores eos eſſe definiunt, qui à recta ratione & hominum communi conſuetudine abhorrent. Vnde barbarica ſtoliditas, barbarica feritas, barbaricæ quoque opes & opera apud nobiliores ſcriptores celebrari ſolent, quæ & ab vſu hominum cæterorùm valde recedunt, & ſapientiæ certæque

D.Thom. in epiſt. ad Ro. c.1. lect.5 & 1.Cor.14. lect.2.

que rationis vix quicquam habent. Hos autem omnes noui orbis barbaros, inde Indos appellatos exiſtimo, quòd apud veteres remotiſſima regio, quæ fines orbis terrarum claudere putaretur India eſſet, quò Alexandrum Macedonem & Traianum Cæſarem penetraſſe, & ſacri & profani ſcriptores, tanquam terminos terræ adierint, cum magna laude commemorant. Ex quorum imitatione noſtri nomen ad nouas à ſe inuentas gentes deriuaſſe mihi videntur. Quanquam initio non Indi, ſed Inſulani aut Antiliani, Occidentales barbari dicebantur. Cùm igitur horum prouinciæ, nationes, genera plurima ſint, tamen mihi diu rem diligenter perueſtiganti tres veluti claſſes eſſe barbarorum videntur, quæ magnopere inter ſe diſcrepent, ad quas ferè nationes hæ Indicæ redigi poſſint.

Prima claſſis eorum eſt, qui à rectà ratione, & conſuetudine generis humani non ita multum recedunt. Hi ſunt potiſſimum, quibus & Reſpublica conſtans, & leges publicæ, & ciuitates munitæ, & magiſtratus inſignis, & certa, atque opulenta commercia ſunt, & quod omnium caput eſt, literarũ celebris vſus. Nuſquam enim

litera-

literarum, et librorum monumenta extãt, quin eæ gentes humaniores, & maximè politicæ ſint. In hoc genere primi videntur eſſe Sinenſes, quorum ego characteres vidi Syriacis perſimiles, qui librorum copia, Academiarum ſplendore, legum, & Magiſtratuum auctoritate, publicorum operum magnificentia plurimum florere dicuntur. Secundùm hos ſunt Iapponenſes, tum pleræque Indiæ Orientalis prouinciæ, ad quas Aſiatica, atque Europæa inſtituta olim perueniſſe ego non dubito. Hæ gentes, quamuis barbaræ re vera ſint, & à recta & naturali lege pleriſque in rebus diſcrepent; tamen ad ſalutem Euangelij non aliter ferè vocandæ ſunt, quã olim ab Apoſtolis Græci, & Romani, cæteriq; Aſiæ, atque Europæ populi. Nam & potentia præſtant, & nonnulla humana ſapientia, atque à ſua ipſi ratione potiſſimum, DEO intus agente, vincendi ſunt, & Euangelio ſubigendi, quos ſi per vim & potentiam Chriſto ſubijcere pergas, nihil aliud agas, quàm vt à lege Chriſtiana alieniſſimos reddas. In ſecunda ego claſſe eos barbaros numero, qui quamuis neque literarum vſum norint, neque leges ſcriptas, neque Philoſophica, aut ci-

uilia ſtudia habent; tamen Magiſtratus ſuos certos, habent Rempublicam, habent frequentes, & certas ſedes, vbi politiam ſuam ſeruant, habent militiæ & duces & ordinem, & religionis ſuæ celebritatem quandam. Denique ratione quadam humana reguntur. In hoc genere erant Mexicani, & Peruenſes noſtri, quorum imperia & Reſpublic. & leges, & inſtituta meritò admirari quiuis poſſit. Et quod incredibile pene videatur, literarum inopiam, tanta ingenij dexteritate ſuppleuêre, vt & hiſtorias, & vitas, & leges, & quod eſt amplius, temporum curſus, & rationes numerorum ita teneant quibuſdam à ſe excogitatis ſignis, & monimentis, quos ipſi Quipos vocant, vt noſtri cum literis ſuis plerumque eorum peritiæ cedant. Neſcio equidem an certiores Arithmeticos, cùm quiduis eſt numerandum, aut partiendum, literæ noſtræ faciant, quàm hos ſigna illa ſua. Memoriam verò omninò eſt admirabile quàm fidelem etiam rerum minutiſſimarum per Quipos ſuos diutiſſimè conſeruent. Multum tamen etiam hi & à recta ratione, & à conſuetudine generis humani abſunt. Hæc autem

claſſis

claſsis latè patet, & primùm imperia continet, quale Itigarum fuit, deinde regna minora & principatus, quales Caciqui plerique habent, tum Magiſtratus publicos ab ipſa Republica creatos, quales Araucani, Tucapelenſes, cæteriqúe Chilenſes ferè ſunt. His omnibus illud commune eſt, vt oppidatim viuant, ac non palantes more ferarum, vt certum iudicem præfectumqúe habeant, & iura ſua cuique ſeruentur. Sed quia morum & rituum & legum monſtra tot tantáque apud hoſce ſunt, & tanta in ſubditos ſæuiendi licentia, vt niſi potentia ſuperiore & auctoritate regantur, vix aut Euangelij lucem, aut homine ingenuo vitam dignam accepturi videantur, aut ſi ſemel acceperint, non facilè in ea perſeueraturi intelligantur, meritò his præfici, qui inter tales ad vitam Chriſtianam tranſierint, Chriſtianos Principes & Magiſtratus, cùm res ipſa depoſcit, tum Eccleſiæ auctoritas præcipit: ſed ita tamen vt facultatibus fortuníſque ſuis & legibus non naturæ aut Euangelio contrarijs vti liberè permittendi ſint. Iam verò tertia atque extrema claſsis barbarorum, quot hominum nationes, quot huius noui orbis regiones

giones

giones teneat, dici non poteſt. In hac ſunt homines ſylueſtres, feris ſimiles, vix quicquam humani ſenſus habentes, ſine lege, ſine Rege, ſine fœdere, ſine certo Magiſtratu, & Republica, ſedes identidem cõmutantes, aut ita fixas habentes, vt magis ferarum ſpecus, aut pecudum caulas imitentur. Huc in primis pertinent, quicunque à noſtris Carybes dicuntur, nihil aliud quàm ſanguinolentiam exercentes, in hoſpites omnes ſæui, qui humana carne veſcuntur, nulla veſte, vix ipſa virilia tegentes. Hoc barbarorum genus Ariſtoteles attigit, cùm ferarum more capi, & per vim domari poſſe ſcripſit, quorum in nouo orbe ſunt infiniti greges. Tales Chunchos, Chiriguanas, Moxos, Iſcaycingas nobis vicinos nouimus, tales pleroſque Braſilienſes, tales Floridæ propemodum vniuerſæ populos narrant. Pertinẽt etiam ad hanc claſſem ij barbari, qui etſi atroces, non ſunt, neque tygrides aut pantheræ, tamen à pecudibus parum diſtant, nudi & ipſi, timidi, fœdiſſimæ Veneri aut etiam Adonidi, vulgò deditι. Quales eſſe ferunt, quos noſtri Moſcas vocant, in nouo regno, quale Carthaginis, omniſquée eius oræ promiſcuum vulgus, & qui per magnos

Ariſt. 1. & 5. Polit.

magnos Paraguay fluuij maximi campos incolunt, tum etiam plurimæ gentes, quæ infinitum vtriuſque Oceani medium tenent, nondum nobis ſatis exploratæ, ſed famaceriæ. In Orientali quoque India inſulares permulti eius generis eſſe videntur, vt Maluquiani. Huc etiam ſpectat aliud barbarorum genus manſuetum, ſed ſenſu valde exiguo, qui nonnihil ſuperiores excellere videntur, quandam Reipub. imaginem præ ſe ferentes, ſed nugarum perſimiles & leges, & cultus gerentes: cuiuſmodi eſſe feruntur, qui apud Inſulas Salomonias dictas innumerabiles habitãt, & maximæ continenti hærere dicuntur. Hos omnes homines, aut vix homines, humana docere oportet, vt homines eſſe diſcant, tum puerorum more inſtituere, & ſiquidem blanditijs ſponte ad meliora ducantur, bene: ſin minus deſerendi non ſunt, ſed ſi aduerſus ſalutem ſuam proteruiant, et in Magiſtros medicoſq; ſuos inſaniant, per potentiam & honeſtam vim quandam ne Euangelium impediant, coercendi ſunt, & in officio continendi, quos de ſyluis transferri ad vrbes, et humanam vitam, & quodammodo inuitos ad regnum introire compellere expediet. Neq; enim de omnibus Indorum gentibus Luc. 14.

eodem

eodem modo pronuntiare oportet, niſi grauiter errare malimus. Neque verò aut cupiditatem & tyrannidem magiſtrã adhibere Euangelij, aut quod æquè noxium eſt, otioſam, imperitorum quorundã Philoſophiam certæ & exploratæ rerum ipſarum fidei & experientiæ anteferre. Mihi cùm in has vaſtiſſimi orbis terrarum gentes tot ſæculis ante ignotas oculos conuerto, nihil aliud magis dicere libet, quàm illud: Secundum altitudinem
Pſal. 11. *tuam multiplicaſti filios hominum. Verè enim altiſſimi & nobis penitus inſcrutabilis conſilij fuit, vt tot gentes multiplicarentur, quibus eſſet tamdiu ſalutis ignota via. Quas tamen noſtro ſæculo, quod alijs generationibus non eſt agnitum, ad Euangelium vocare dignatur Dominus,*
Epheſ. 3. *& concorporales facere, & comparticipes myſterij* CHRISTI: *ídque eo ordine & modo, ita aliud a gentibus noſtris hominibus, vt altitudinem diuini conſilij humana mens penitus reformidet. Horum igitur omnium ſalutem procurandam & ſentimus & dicimus Chriſto duce: ac pro noſtra inopia aliquid afferre tentamus: quo miniſtri Euangelij iuuari queant. Et res quidem ipſa difficilis, noua, va-*

ua, varia exiſtit: vires autem noſtræ perquam exiguæ. Qui autem docere dilucidè poteſt, & quæ docuerit, animo perſuadere, ille certè eſt, qui vnus eſt Ma- Matth. 23.
giſter omnium, idem ſapientiæ dux, & ſa- Sap. 7.
pientium emendator, in cuius manu ſumus & nos & ſermones noſtri, ipſi honor & gloria & nunc & in diem æternitatis.

Amen.

DE

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE, LIBER PRIMVS.

Quod non ſit deſperanda ſalus Indorum.

CAPVT I.

SALVTEM barbarorum, Fideiq; propagationem, qui longè poſiti ſunt, ac rem voto ſuo metiuntur, facilem ac ſpecioſam prouinciam arbitrãtur, & cũ innumerabiles populos hoc altero orbe diffuſos breui tempore ad Chriſti nomen tranſijſſe audiunt, vberem copioſamq; meſſem non multo negocio ex hoc agro ſibi perſuadent. Ita ſæpè accidit, vt qui ad opus accedunt, tunc de manipulis & horreis cogitent, cùm de aratro & ſemente deberent. Contra qui periculo facto propius rem viderunt, atq; tractarunt, tot taleſq; difficultates offendunt, vt pleriq; labore victi penè deſperatione frangantur: & ſudores quidem magnos & diuturnos, frugem verò vel nullam, vel perexiguã eſſe contendũt. Mihi verò ſi quid melius & vtilius ſapere donatum ſit, vtraq; ſentẽtia corrigenda, ac moderanda videtur. Nã quemadmodum præclara omnia nequaquã cuiuis peruia eſſe ſolent, ita profectò quæ neceſſaria homini Deus eſſe ſtatuit, in ijs qui diffidit, ſummę prouidentię facit iniuriã. Neq; enim genus aliquod hominũ excluſum eſt in Euãgelij

ſideiq; communicatione, vbi à Chriſto Domino Apoſtoli audiunt, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et rurſus, Prædicari in nomine eius pœnitentiam in omnes gentes incipientibus ab Hieroſolyma. Et apertius; Eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Et alibi, Docete omnes gentes. Quis igitur tam illuſtris præcepti toties commendati auctoritatem contemnat? Aut quam hominum nationem adeò feram & ab omni humano ſenſu remotam beneficio Prædicationis, Fidei, Pœnitentiæ ac diuinæ doctrinæ deſtitutam putet, cùm audiat Dominum de vniuerſo mundo obeundo, de omnibus docendis diſcipulos conteſtantem? Quod ſi non omnium eſſe Fidem Paulus docet, tamen id non conditioni hominum aut natalibus tribuit, ſed peruerſitati & importunę cuidam obcęcationi. Certè enim vt non ſolùm prædicationẽ Euangelij in toto orbe cogitaremus, verùm etiã inſignem vbique fructificationem, Ioannes in Apocalypſi in turba illa magna & beata Agnum ſequente, omnem populum, omnem tribum, omnem linguã, quæ ſub cælo eſt, cõmemorat. Quin potius ſi attẽtius diuinas ſcripturas legamus, apparebit fortaſſis non ſine magna ratione, ac diuino quodam myſterio extremum & abiectiſſimũ genus hominum, vel præcipuè ad ſortem Euangelij vocari. AEthiopia, inquit, præueniet manus eius Deo. Quæ verò gens deſpicatior his, qui vel ipſo tetrore & putore horrori pene habentur? De his Sophonias quoq; Propheta: Attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ gentium. Sed & vos AE-

Marc.16. *Luc.24.* *Act.1.* *Matth.28.* *2.Theſ.3.* *Apoc.7.* *Pſal 67.* *Soph. 2.*

thiopes interfecti gladio meo eritis, illo nimirum gladio, quem Dominus venit mittere in terram, quod eſt verbum Dei, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus. In eodem quoque Propheta legimus. Quia tunc reddam populis labium electũ, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno: vltra flumina Aethiopiæ, inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Quoſnam diſperſos ſuos Deus noſter intelligat, niſi quos alibi vocat filios excuſſorum? quòd cęleſti virtute excuſſi, vt electæ ſagittæ, ac toto orbe diſperſi populos innumerabiles ſalutariter feriant, & victos, ac ſupplices Deo ſuo ſpolijs glorioſi poſt ſe agant. Vltra flumina verò Aethiopiæ ſi quis gentes poſitas quærat, inueniet ſanè priſcis ſcriptoribus ignotos Nili fontes Chriſtianorũ hominũ peregrinatione ſuperatos. Neq; verò illud improbabile eſt, plerumq; Inſularum nomine in diuinis literis terras has omnes magno Oceano circunfuſas deſignari, tametſi continentes pluri ma ex parte ſint, fortaſſis, quod ea antiquorũ ſententia fuerit, vltra Aſiæ, Europæq;, atq; Africę ſibi nota litora, vel nullã habitari regionem, vel eã, ſi qua eſſet inſularem eſſe tantummodo. Nam & à Pindaro poëta decantatum eſt, vltra Gades mare eſſe hominibus impermeabile, ꝙ prouerbij loco non ſemel ſanctus Nazianzenus celebrat. Itaq; cũ vel Sophonias omnes Inſulas gentiũ adoraturas dicit, vel Eſaias ad Inſulas longè ituros, qui ſaluati fuerint, vltra Africam, & Lydiam, & Italiam, & Græciam, & annunciaturos Dei gloriam gentibus, deq; ijs omnibus adducturos fratres ſuos donum Domino: ſiue etiam cùm horta-

Matth. 10. *Heb. 4.* *Soph 3.* *Pſal. 126.* *Teq; vident primi, quærunt tamen hi quoque Seres, Aethiopumq; feris alieno gurgite cãpos. Et te terrarum neſcit cui debeat orbis Lucan. 10. Pharſ. de Nilo.* *In oratione funebri Baſilij, & ad Poſthumianum epiſ. 71.* *Eſaiæ 66.*

hortatur ad decantandam Domino laudem eos, qui in extremis terræ habitant inſularum incolas & maris: non abſurdè profectò totius huius extremi orbis homines ad Chriſti nomen & gloriam agnoſcendã conuocandos, conducendoſq; ſignificare intelliguntur. Cur enim contemptos, ac ſempiternę obliuioni datos homines arbitremur apud pium Conditorẽ, & benigniſſimũ Redemptorem? Nunquid nõ vnus eſt Pater omniũ? An alio ſanguine Græci & Romani, alio barbari & Indi redempti ſunt? Ipſos certè Ieſu Chriſti Apoſtolos ſcimus ad remotiſſimas, ac ferociſſimas nationes penetraſſe, neq; earũ belluinis moribus deterritos, neq; ſenſus ſtuporẽ pertæſos & prædicaſſe Euangelium & baptizaſſe, & munus inde Domino iuxta propheticum vaticiniũ obtuliſſe. Agnoſcebant ſe debitores crediti talenti Gręcis pariter ac Barbaris, ſapientibus atq; inſipientibus. Intelligebant in Chriſto Ieſu non eſſe Iudæum & Græcum, barbarum & Scytham, ſed nouam creaturã, quæ ſecundùm agnitionem Dei renouatur in imaginẽ eius, qui creauit illã. Etenim quos paterfamilias licet debiles, licet claudos, licet pannoſos & horridos ad præclaras cęleſtis conuiuij epulas pro ſua magnificentia inuitari iubet; cuius obſecro temeritatis, cuius impudẽtiæ erit, hos vt ſerui conuiuas dedignentur, auerſentur, faſtidiant? Niſi putamus melius eſſe perſpectam miniſtris vel conuiuarum rationem, vel conuiuij dignitatem, quàm ipſi omniũ conditori & largitori? In illo certè linteo, quod Petro eſurienti cęlitus oblatum eſt, omne genus non ſolùm volucrum & animantium; verùm etiam ſerpentium ac reptiliũ expoſitũ, ac præpara-

Eſaiæ 42.
D. Hieron. in Epiſt. ad Epheſ c. 2.
Clemens in Epiſt ſua ci-cit, Poſt Oceanum mundi ſunt alij. Loqui ibi, vt videtur, de gentibus noui orbis.
Malach. 1.
Rom. 1.
Coloſ. 3.
Luc. 14.
Act. 11.

tum diuina nos docuit hiſtoria, vt etiam ſordidos,& abiectos,atque,vt ita dicam,humi repentes à Domino ſanctificatos intelligamus. Quod autem Deus ſanctificauit, nobis vt immundum faſtidire,ac repellere minimè licet. Quamobrẽ deſinamus vel tarditatẽ vel duritiam Indorum tantis diuinæ charitatis promiſſis opponere, & eum qui promiſit fidelem exiſtimantes, à communi omnium ſalute nullum genus mortalium putemus exceptum.

Cur videatur multis difficilis & parum vtilis prædicatio apud Indos.

CAP. II.

CVM has atque his ſimiles diuinæ ſcripturæ voces attendimus, ſatis elucet, quemadmo-
2. Pet. 3. dum Pater miſericordiarum neminem velit pe-
1. Tim. 2. rire,ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, omnes omninò ſaluos fieri,omnes ad ſui nominis agnitionem venire: atque ita generaliter cogitantibus erigitur ſpes non mediocriter, ſtudiumque illud accenditur ad ſalutem animarum quærendam,
Ioan. 15. cùm ipſe dixerit ſuis:Ego poſui vos, vt eatis,& fructum plurimum afferatis. Sed cùm venitur ad rem,adeò contraria humanæ imbecillitati apparẽt facta promiſſis;ita omnes aditus miſeris hominibus intercluſi ad ſalutem, vt calore illo refrigeſcente, ſæpè diuinam potius cogitemus ſeueritatem, quæ non amat multitudinem
Eccleſ. 15. filiorum infidelium,& inutilium. Ac præteritæ quidem infidelitatis iuſtum ſupplicium infidelitatem eſſe, vt qui Deum in natura docentẽ contempſerunt, in Euangelio prædicantem, auribus aggrauatis quodammodo non ſinantur audire.

Vt enim arcani cuiuſdam ac diuini iudicij fuit tam innumerabiles populos tot annorum millibus Dei notitia caruiſſe, ita quoq; eidem tribuendum eſſe, quòd notitia quædam tenuis offeratur, vel ita offeratur, vt facilè repudietur, vel ita demum recipiatur oblata, vt mox pernicioſius deſeratur. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Verè iudicia illius abyſſus multa. Itaq; videtur experientia ipſa docere infinitam hanc Indorũ barbariem, ſuis ita exigentibus malis cùm à luce Euangelica per mille quadringẽtos annos aberraſſe; tum verò diuina vltione acrius perurgẽte, poſtquã, vt Pſalmus habet, coruſcauerunt orbi terræ fulgurationes eius, atque his locis illuxit veritatis radius, occæcatas eſſe mentes infidelium, ne fulgeat illis lumen Euangelij pacis. Nam quòd quidam Apoſtolicam tubam etiam his regionibus olim inſonuiſſe arbitrantur, huc vocantes Prophetæ teſtimonium à Paulo pronunciatum: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, non mihi videntur tantam rem ſatis conficere, cùm etiam Auguſtinus ſua ætate in Africæ quibuſdã partibus ignotum adhuc fuiſſe Chriſti nomen affirmet, quo ne Romani quidem imperij fama peruaſerat. Me verò vt illud ſecus intelligendum putem, mouet maior auctoritas Chriſti Domini, qui perſpicuè docuit tunc venturam eſſe mundi conſummationem, cùm Euangelium fuerit toto orbe vulgatum. Quamobrem illud, vt pleraq; alia, ita de Apoſtolis accipiendum eſt, vt Apoſtolici viri ſimul cogitentur: quorum ſonus in omnem quidem terram exit, ſed gradatim, ſuiſq; temporibus ſecundùm æterni conſilij

Eſa. 40.

Pſalm. 76.

Pſalm. 18.

Rom. 10.

Epiſ 80. ad Heſychium.

Matth. 24.

Auguſt epiſ. 80. & 78.

decretum. Familiare eſt propheticis oraculis, vt tempora etiam ſeiunctiſſima, vno velut aſpectu ſubijciant oculis, deq; ijs vniuerſis pronunciēt, quæ per partes implenda ſunt. Quam regulā plerumq; neceſſariam eſſe ſacris ſcripturis intelligendis, non ambiget vel tenuiter in ijs exercitatus. Iam verò, quod veſtigia nonnulla reperta ſunt, antiquam, vt apparet, Fidem notantia apud quoſdam, vt crucis erecta ſigna, & alia quædam, non ſatis apertum documentum eſt. Extat ſanè in ſuperioribus huius prouinciæ regionibus hodie quoque fama percelebris Indorum vetuſta traditione vulgata & conſeruata, veniſſe olim virum quendam inſignem noſtris ſimilem, quē ſuo vocabulo Ticſiuiracocha ipſi appellant, qui multa vtiliter docuerit, ſed nihil ſermone proficiens, ſignis ac virtutibus clarus etiam martyrio coronatus ſit. Huius effigiem multum ab Indorum habitu abhorrentem, ſanctorum porrò noſtrorum non abſimilem quidam ſe vidiſſe confirmant. Sed vt vera hæc ſint (cur enim negemus eſſe potuiſſe?) quid faciemus infinitis alijs gentibus, quarum etiam facies adhuc ignota eſt, quas tamen eſſe certiſſima ratione deprehenſum eſt? Illud magis perſuaſum habeo & magnam orbis partem adhuc reſtare intactam, quod tum nauticæ, tum Coſmographiæ peritiſſimi affirmant, & eam quam modò tenemus, vſque ad noſtra tempora Chriſtianis hominibus incognitam perſtitiſſe. Igitur, vt redeam ad inſtitutum, apparet quibuſdam hos populos, has gentes, hanc infinitam barbariem, vt olim deſtituti ſunt Luce Euangelica, ita nunc quoque poſtquam copia illius facta eſt, ad percipiendā doctrinam ſalutarem,

rem,neceſſaria intelligentia & capacitate deſti-
tui. Vtrumque enim æquè inſcrutabilis iudicij
eſſe,quod vt penetrare non poſſumus, ita neque
accuſare debemus. Re vera, quod in libro Sapi-
entiæ de antiquo Chananæorum populo legi-
mus,id aptiſſimè in Indos quoſdam conuenire
facilè annuerit, qui eorum ingenium moreſque
perſpexerit.Non ignorans,inquit, quoniam ne- *Sap.* 12.
quam eſt natio eorum,& naturalis malitia ipſo-
rum, & quoniam non poterat mutari cogitatio
eorum in perpetuum. Semen enim erat ab ini-
tio maledictum. Sunt ergo quidam ingenita ac
velut hæreditaria malitia imbuti,quorum adeò
pertinax & perúerſo hærens cogitatio eſt, vt
penè auelli nō poſſit.Si mutare poteſt Aethiops *Hiere.* 13.
pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos
poteritis benefacere,cùm didiceritis malè. Tam
profundè humana mens nequitiæ gurgite ab-
ſorberi ſolet interdum,vt pene miraculo tribui
debeat, ſi quis eam inde poſſit eruere. Ne verò
conditorem ſuum audeat vile figmentum accu-
ſare, diuinus ſermo continuò præuertit dicens,
Quis enim tibi dicet,quid feciſti? aut quis ſtabit *Sapient.* 12.
contra iudicium tuum?aut quis in conſpectu tuo
veniet vindex iniquorum hominum?aut quis ti-
bi imputabit,ſi perierint nationes, quas tu feci-
ſti? Hæc ergo prima, ac præcipua cauſa ſe offert,
cur multo labore in his regionibus parum emo-
lumēti ſperandum ſit,quod ſemen maledictum,
ac diuinis auxilijs propemodum deſtitutum in
perditionem deſtinatum ſit.Sed vt altiora con-
ſilia inueſtigare deſinamus,certè doctrina Chri-
ſti ſublimis eſt, vita Euangelij pluſquam huma-
na. Homines integros atque ingenuos poſtulat

Iacob. 2. fidei verbum, per legem, inquit, perfectæ libertatis incipientes iudicari. At natio Indorum (etſi alij alijs præſtant,) vniuerſa tamen eſt ab omni ingenuitate alieniſſima, tota ſordida, tota ſeruilis. Ingenio vt plurimum obtuſo, iudicio perquàm imbecilli, inconſtans prorſus & lubrica. Moribus infidi, ingrati, metu ſolùm cedere & vi, honoris vix ſenſum habere, pudoris propemodum nullum. Hos dicas pinxiſſe Chryſoſtomum, cùm genus ſeruorum quodam loco exponit. *Homil. 4. in epiſt. ad Titum.* Vbiq; terrarum, iſtud pro cõperto habetur, ſeruorum genus impudens fermè eſſe, formatuque difficile, laſciuum, lubricum, parumq; idoneum ad virtutis doctrinam capeſſendam, &c. Neq; ſeruile tantùm ingenium eſt; verùm etiam quodam modo brutum: vt facilius putes feras cicurare, quàm iſtorum vel frẹnare temeritatẽ, vel excitare torporem, adeò ad percipiendum rudes, ad cedendũ ſunt duri & peruicaces. Deniq;
2. Pet. 2. vt irrationalia pecora naturaliter in captionem & prædam apta in corruptione perpetua degũt, neq; matrimonij leges, neq; naturę reueriti: libidine pro ratione vtuntur. Quid ergo pergimus
Matth. 7. margaritas mittere ante porcos, & canibus ſanctum dare, qui facilè reuertuntur ad vomitum, & cœni volutabra delicias ducunt? An infantiũ
2. Pet. 2. inſenſatorum more viuentes, parentes animarum inauxiliatarum, comeſtores viſcerum hu-
Sap. 12. manorum ratione ac lege regendos credimus, ac non potius loris & ferro ſubigendos? Iam verò
Rom. 10. quoniam Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei, lingua opus eſt ad Euangelizãdum. Hîc qui negotium barbaros imbuẽdi aſſumunt, difficultates patiuntur eas, vt malint pene cum

ſaxis,

ſaxis, & marmoribus agere, quàm de rebus in ſe quidem arduis & ſublimibus, & elingues dicere, & à ſurdis audiri. Ferunt olim ſeptuaginta duabus linguis confuſum eſſe genus mortalium: at hi ſeptingentis, & eo amplius inter ſe diſcrepant, vt vix vallis habitetur paulò latior, quæ nō ſua materna lingua gaudeat. Et ſi enim in vniuerſo Ingarū imperio, quod ab æquinoctiali Quito vſq; ad longiſſimam Chilæ prouinciam per gradus ferè quadraginta diſtenditur, lingua generalis à Rege Guainacapa introducta viget, tamen & Indorum gentes innumerabiles ſunt his terminis excluſæ, & eæ ipſæ nō ita illa familiariter vtuntur, vt apud vulgus promiſcuum in vſu ſit. Accedit quod myſterijs Fidei præcipuis vocabula ſæpè deſunt, vt Indicæ linguæ periti tradunt. per interpretem verò rem tantam agere, & cuiuſque plebeij ac vulgaris hominis fidei, & ſermoni cōmittere documenta ſalutis, tametſi neceſſitate impellēte factitatur, tamen res ipſa docuit, quàm non ſolùm incommodum ſit; ſed etiam pernicioſum interdum, dū alia pro alijs interpretatur, aut quia non aſſequitur, aut etiam quia ſequi docentem piget. Quid igitur faciet, qui linguarum donum non habet, neque interpretationem ſermonum, qui cum barbaris cogitur, & ipſe barbarus eſſe, vt cùm loqui neſciat, tacere non poſſit? Linguæ difficultates, locorum non minores fortaſſis excipiunt. Nam, vt omittam nauigationem longiſſimam, moleſtijs periculiſque pleniſſimam, ipſæ habitationes Indorum ferè inacceſſæ ſpem ſalutis videntur excludere. Videas pleroſq; ferarum inſtar non vrbes, & oppida, ſed rupes, atque antra incolere, neque

gregatim vitam degere, ſed ſparſim, ſæpe incertis vagari ſedibus. Itinera ceruis aut ibicibus tantùm peruia. Domus nullæ, non tectum, non paries fundamento ſurgens. Caulas pecorum, aut biuaria dicas potius, quàm hominum cœtus. Hos quæſo quis adeat? quis conueniat? quis conuocet? quis doceat, & cohortetur? Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam, ait Sapiens. Cùm ſint igitur inter domeſticos fidei, quibus doctrinæ panis erogari fructuosè poſſit, cur filijs tollendus eſt, & canibus dandus, vel potius proijciendus? Quid conſilij eſt, incertis certa poſtponere, & labores ſubire maximos vtilitate nulla vel perexigua? Atque ad hunc ſanè modum qui negotium ſalutis Indicæ vel difficile reputant, vel etiam exoſum habent, ſententiæ ſuæ cauſas, ſi ſeriò interrogentur, videntur mihi non improbabiles reddituri.

Eccli. 22.

Matth. 15.

Quod difficultas prædicationis non debeat terrere Chriſti ſeruos: & qua ratione ſunt animandi.

CAP. III.

VALET ſanè commemoratio difficultatum, quæ in diſſeminando verbo Dei occurrunt, ſi prudenter adhibeatur, non parum, vt quorundam iuuenilis quidam ardor temperetur, ac refrænetur audacia, quam rectiſſimè Ariſtoteles dixit pericula vt ignota citius aggredi, ita tentata celerius fugere. Fortes enim milites poſtulant bella Domini exercituum, non audaces & temerarios, qui more Ephraim inter ſuos ociosè intendentes, ac mittentes arcum, in die prælij conuerſi ſunt. Eſt verò prudentis & fortis viri, pericula,

4. lib. Ethi.

Pſal. 77.

cula, difficultates omnes, rerumq; incertos exitus ſecum ante meditari, non vt magnitudine laboris territus, ſpem abijciat victoriæ, ſed quò & paratior, inſtructiorq; accedat ad rem, & dubiam ſortem, ſi ſecus cedat, minus iniquè ferat. Ita certè videmus Moſem ſuas metientem vires, detrectaſſe cum Pharaone congreſſum, Hieremiam prophetandi prouinciam deprecatum eſſe, Saulem cū adhuc Dei ſpiritu regeretur, ob regnum delatum latitaſſe: quos tamen omnes cæteroſq; homines Dei & ſi rei magnitudo probè perſpecta terrebat; tamen Dei omnipotentis amplius recreauit, & confirmauit autoritas. Illud enim veriſsimè à quodam noſtro fratre, diu multumq; in hoc negotio Indorum exercitato dictum etiam ipſe experiri iam mihi videor; Inter omnes virtutes ad functionē eam neceſſarias caput eſſe humilitatem. Hæc neq; magna ſapit, neq; ſibi pollicetur illuſtria, neque labore vnquam frangitur, neq; verò fructus etiam tenues dedignatur: ſed quiduis per eam efficiat Dominus, id gratum pro magno habet. Verè humilibus dat gratiam Deus, atq; his adminiſtris, fortia ſæculi & præclara cōfundit. Ac mihi quidem humilitatis maximè inopia in cauſa eſſe videtur, penuriam vt fructuū videamus, & cùm multum fortaſsis ſeminauerimus, metamus perparum, quia iuxta Prophetæ ſermonem, Vnuſquiſq; in domum noſtram feſtinamus, & domum Domini non curamus, id eſt, auidius noſtram quàm Dei gloriam quærimus. Sed venio ad rem. Indorum veram conuerſionem ad Fidem perdifficilem eſſe dicunt. Eſt ſanè. At illud non oſcitanter cogitare oportet, ſemper Fidei prædicationem fuiſſe difficillimam, &

Exod. 3. *Hierem. 1.* *1. Reg. 10.* *Iacob. 4.* *1. Pet. 5.* *Aggæ. 1.*

mam, & fructificationem Euangelij laborioſiorem longè exiſtimatione noſtra. Vt enim omittam dicere, quanta præceſſerint, quanta cõſecuta ſunt, quæ ſemen Dei ne ſuſciperetur, vrgerent, ne ſuſceptum matureſceret, impedirent, profectò generalis ratio doctrinæ Chriſtianę ſatis per ſeipſam verticem formidabilem monſtrat. Etenim ratione omni ſuperiora docet, nec probat: mores ab omni cupiditate, & gloria alienos inſtituit, vitijs omnibus funditus euerſis, quibus eſt humana natura pleniſſima, & diuturna conſuetudine offirmatiſſima. Præmia pollicetur, quæ non videntur; ea, quæ videntur, contemnere iubet: ſenſum hominis ad ea transfert, quæ ſentiri nequeunt: vitam non humanam homines agere vult. Quis igitur facile ac ſuaue putet, belluas in Angelos transformare, idque voluntate ipſorum adnitente, quibus vis iſta affertur? Verè opus hoc non hominis, non alterius cuiuſquam, quàm Dei vnius. Ipſe ſibi proprium vult. Hoc eſt opus DEI, inquit, vt credatis in eum. Et, Nemo venit ad me, niſi quem Pater traxerit. Et, Dei donum eſt, non ex vobis, ne quis glorietur. Quòd ſi in ipſum Fidei noſtrę auctorẽ, & conſummatorem IESVM, oculos conuertamus, eſt omninò aliquid, quod nos magnopere conſolari, & erudire poſſit, vt obſtruatur omne os, & ſubditus fiat DEO omnis ſpiritus. Quis enim æternæ ſapientiæ celſitudinem cogitans, miraculorum potentiam, benignitatis viſcera, cùm ad homines docendos, & alliciendos ſe inclinaret, nõ pro certo ſibi perſuaderet, vel vna illius concione mortales omnes fuiſſe flectendos, vt tantum Prædicatorem innumerabili

Lege Chryſ. hom. 7. in 1. Epiſt. ad Corint.

Ioan. 6.

Ephеſ. 2.

bili multitudine certatim orbis vniuerſus ſequeretur? At vide, quàm res euenerit ſecus. Diu Euangelizauit, ſummo conatu, magna diligentia, adhibitis ſignis ingentibus, quæ nemo aliàs fecit, vita innocentiſſima, conuerſatione ſuauiſſima, auctoritate diuina, quid egit? quid conſecutus eſt? Si conſilia æterna ſuſpicias, pluſquam intelligi poſſit. At ſi hominum gratitudinem & obſequium conſideres, horror eſt dicere. In exiguo populo, eoque per plus mille annos inſtructo legis, & Prophetarum oraculis, vix paucos diſcipulos habuit, eoſque neque præcipuos, neque conſtantes: plurimos aduerſarios, innumerabiles obtrectatores, qui de malis verterentur in peſſimos. Et indignetur homuncio non ſibi latas ſegetes ſurgere ad primum ſeminis iactum? fruſtratum ſe conqueratur, ſi ad prædicationem ſuam non cernat hominum millia datis manibus ſterni? Ioannes Baptiſta ipſa hominum, qui Chriſtum ſequerentur, paucitate commotus, dixit ad ſuos. Qui de cælo venit ſuper omnes eſt: & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Nam pro doctoris dignitate, tam exiguus diſcipulorum numerus quaſi nemo Ioanni meritò videbatur. Audiamus verò ipſum ducem & Apoſtolum confeſſionis noſtrę piè cum Patre ſuo æterno expoſtulantē. Et ego dixi, In vacuum laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi. Nón ne labores tot & tantos prædicandi, pernoctandi, vicos & caſtella circumeundi, clamādi, nauigandi, curādi ægrotos, diuina & mirabilia patrādi, vacuos & infructuoſos penè dicas, ſi paucitatem Chriſti diſcipulorū ſpectes, cateruas inimicorum,

Ioan. 3.

Eſa. 49.

corum,& peruicaciam? Nonne fruſtra tantum robur, fruſtra illam fortitudinem cõſumptam putes, ſi morientem videas, confixum in domo eorum, qui diligebant eum: à ſuis partim deſertũ, partim proditum, ab alienis inſatiabili crudelitate vexatum, cæſum, in crucẽ actum? Sed quam rationem init ſapiens Magiſter? quomodo ſe confirmat, & conſolatur? Ergo, inquit, iudicium meũ cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Id eſt, non amplius homines curo, non reſpicio ad relatam ab hominibus gratiam: ſed Deum meum attendo, illius iudicij æquitatem ſcio: opus meũ illi impendo: ſpem meam apud illum colloco, illius gratia cuncta libens & facio, & ſubeo, diſpẽdia pro compendijs ducens: Hic animus erat, hęc mens ſaluatoris noſtri Dei. Huc deberemus aduertere animum, quicumq; opus Domini facimus, & operarij inconfuſibiles haberi cupimus. Non noſtrum, ſed Dei negotium agimus, curam ipſi omnẽ læte ac prompte laborantes, atque rei exitum relinquamus. Qui hac humilitate veriſſima, hac ſynceriſſima charitate opus Dei tractat, etſi videtur interdum ſine fructu laborare, tamẽ audit ſtatim diuinum reſponſum. Et nunc dicit Dominus formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum, & Iſrael nõ congregabitur, & glorificatus eſt in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. Et dixit, Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitãdas tribus Iacob, & fœces Iſrael conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ. Satis planè Chriſti Domini propoſito exemplo tam perſpicuo & illuſtri, quicquid eſt moleſtiæ leuari, quicquid querelæ deponi queat, ſi

Eſaie 49.

Ibidem.

at, ſi cordis aliquid ac frontis ſuperſit homini. Neque enim diſcipulus ſupra Magiſtrum eſt, neque ſeruus maior Domino ſuo. *Ioan. 13.*

De eadem re. CAP. IIII.

SVfficiebat quidem Chriſti ſeruatoris exemplum: ſed redarguenda eſt adhuc noſtra deſidia, & compungenda per cætera exempla Patrũ: Apoſtolorum ſanè trophæa cernimus, & totius orbis victores ſigna crucis vltra Romanas aquilas extuliſſe miramur, magnæ fęlicitatis curſum ducimus, & ſi daretur, tantam gloriam iuuaret imitari. Sed cohibeamus tantiſper animum, & illorum ſudores, pericula, certamina, temporis difficultates, hoſtium magnitudinẽ cogitemus: intelligemus profectò longè carius illis ſtetiſſe victoriam, quã quiſquam facilè credat. Arma, inquit, militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentẽ ſe aduerſus ſcientiam Dei. *2. Cor. 10.* Quid igitur? Commemorat ſe alibi ab Hieroſolymis vſq; ad Illyricũ propagaſſe Euangeliũ Chriſti, & longè latè per circumpoſitas regiones, quas, ſi quis conſideret immenſa terrarum ſpatia, mirabitur potuiſſe vnius hominis peregrinatione cognoſci, nedum doctrina Apoſtolica impleri: *Rom. 15.* quo etiam in loco in Hiſpaniam profectionem ſuam prędicit, eamque prædictionem poſt priorem eius catenã Romæ re ipſa completam, non deſunt, qui affirmẽt, in quibus eſſe videntur Hieronymus & Chryſoſtomus. *Hier. in c. 9. Amos.* Sed quibus periculis & ærumnis tanta peregerit, nemo melius poſſit narrare, quàm ipſe in poſteriore ad Corinthios Epiſtola. Pelagus

illud

Chryſoſt. ho. 10. in 2. ad Timoth. & de Laudibus Pauli ho. 7. 1. Cor. 11. & 12.

illud laborum, ac tempeſtatem ſi quis intuetur, videt omnino nullo modo niſi per crucem crucis prædicatores viciſſe, eorum quoque æmulatores non aliter eſſe victuros. Verùm cùm Crux non diſſimilis ſit, neſcio tamen quomodo difficultates patimur nunc omnino contrarias, vt ſi quis attentius conſideret, diuini conſilij altitudinem admiretur. Nobis nihil eſt perinde graue, ac nimius ſtupor & inſipientia barbarorum: contra Apoſtolos nihil ita exercuit, atq; inflata illa præpotenſq; ſapientia, tum Iudæorum, tum Græcorum, tum maximè Romanorum: vt ſe veluti ridiculos exhibere viderentur ſynagogis, Academijs, curiæ. Nos prædicamus, inquit, Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalũ, gentibus autem ſtultitiam: ita vt in magna laude ſua Paulus ponat, Non enim erubeſco Euangelium, & ad Timotheum ſcribat, Noli erubeſcere teſtimonium Chriſti. Illos vrgebat poteſtas ſæculi, cùm imminerent imperij faſces. Nos poteſtates quidem ac Magiſtratus Gentilium parum timemus, cùm ſit ſumma penes Chriſtianos: ſed ab eadem poteſtate non parum ſuſtinemus nonnunquam moleſtię, & incommodi, cùm cernamus non rarò euerti prauis exemplis auaritiaque quorundam, quicquid ab alijs ædificatur ad fidem. Illi ingenia hominum nacti ſunt elata, & peruicacia, ipſaque ſæculi prudentia ſimplicitatem Fidei inflexibiliter reſpuentia: Nobis mobilitas contrà imbecillitáſque naturalis Indorum ingenij moleſtiæ plurimum affert: vt illos quidem ſaxis mandare Euangelica ſemina diceres, nos arenę. Maiores noſtros labor indefeſſus, inopia, ignominia, cruciatus neciſq; quoti-

1. Cor. 1. *Rom. 1.* *2. Tim. 2.*

quotidianum quodammodo diſcrimen: nos tædium, ſermonis inopia, ipſa hominum ignobilitas, ſolitudo quædam, ac deſperatio maximè oppugnant. Itaq; Fidei prædicatio ſicuti res eſt magna, ac maior omni exiſtimatione hominum, ita nunquam ſine ingenti labore & conſtantia peragi potuit. Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Sed in Deo ponenda ſpes, qui dat verbũ Euangelizantibus virtute multa: vt quamuis euntes fleant mittentes ſemina ſua, venientes certè gaudeant portantes manipulos ſuos. Ipſe dicit, Ecce ego mitto vos: ipſe eſt, qui operatur Fidem, & dat incrementũ, vt Euangelium creſcat, & fructificet in vniuerſo mũdo. Verũ nos tyrones terrent militiæ labores, & frangunt. Et dicimus, Quid putas quia præterita tempora meliora fuerunt? ſtulta ſine dubio cogitatio. Nam ſi in illa ſuperiora incidiſſemus, tantam aſperitatem nequaquàm ferre poſſemus. Sed quia præterita ſunt, felicia, & ſuauia putantur. Si igitur antiquorum temporum allicit nos, atque tenet mirabilis in Chriſtianitate prouentus, & noſtræ nos egeſtatis tædet, cogitemus labores illorum noſtris ſine vlla comparatione fuiſſe maiores, & Dei ſapientiæ ac bonitati gratias agamus, quæ pro magnitudine operis idoneos operarios parat. At ſunt multi, qui tametſi illa magna atque Apoſtolica abeſſe æquo animo patiuntur; tamen pro modulo etiam diligentiæ moleſtiæque ſuæ non reſpondere fructus vehementer dolent. Qua in re vt id quàm maximè verum ſit, quod exiſtimant, illa certè eſt firmiſsima conſolatio Apoſtoli monentis. Vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem:

Iſai. 53. *Pſal. 67.* *Pſal. 125.* *Matth. 10.* *Phil. 2.* *Coloſ. 1.* *Eccleſ. 7.* *1. Cor. 3.*

borem.Dei enim ſumus adiutores. Dei ædificatio eſtis, Dei agricultura eſtis. Non igitur tam expendet fructus Vineæ procurator in mercede reddenda,quàm operam:& gratior erit fortaſſis Patrifamilias labor ſterilis,ſed fidelis,quàm facilis & fœcundus.Quamobrē etiam ipſos magnos fidei præcones videmus fructus exiguitate ſæpe
Ezec.3. probatos.Nam vt omittam Ezechielem,cui Dominus teſtimonium fert:Si ad populos multos profundi ſermonis & ignotę linguæ mittereris, quorum non poſſis audire ſermones, ipſi audirent te:Domus autem Iſrael nolunt audire te: vt
Hier.28. præteream Hieremiam cōtemptum & ludibrio habitum præ Hanania alijſque falſis prophetis:
Amos 7. Amos quoque aduerſus Amaſiā, cæteroſq; prophetas:illi ipſi apoſtoli ſæpe magno labore nil
Act.24. niſi iniurias conſecuti ſunt.Paulus per biênium Cæſareæ tenetur vinctus,& cùm pene quotidie diſputaret ad Felicem,nihil egit.Ioānes propter
Apoc.1. teſtimonium Chriſti relegatum ſe videt: Iacobum illius fratrem vetus narrat hiſtoria in Hiſpanijs præter homines ſeptem aut nouem ad fidem conciliaſſe neminem tam longa peregrinatione abuſque Hieroſolymis ſuſcepta, tam diuturna prædicatione. Verè enim Dominus dixit:
Ioan.15. Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.
Matt.11. Quoties verò ille exclamauit: Cui comparabimus generationem hanc? cantauimus, inquit, vobis,& non ſaltaſtis;lamentauimus, & non planxiſtis.Quanquam neſcio quid iuſtæ querelæ habeat,ſi vel pauciſſimas animas, vel vnam potius totus noſter labor & induſtria lucretur, pro qua Dominus gloriæ,ſi ſola fuiſſet, eaſdem paſſiones

ſubire

ſubire minimè recuſaſſet, vt ſanctus Chryſoſto-mus quodam loco præclarè docet. Cuius aureum os audire libet tantiſper de hac ipſa re,qua agimus. Nihil eſt quod animæ poſſit æquiparari, ne vniuerſus quidem mundus. Itaq; & ſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi vnam conuerteris animã. Et poſt pauca: Quod ſi hodie nemini perſuaſeris, perſuadebis poſtridie, etſi nunquam perſuaſeris mercedẽ tamen integram habes. Et ſi non omnibus, paucis tamen ex multis perſuadere poteris. Nam neque Apoſtoli vniuerſo orbi perſuaſerunt, licet cum omnibus diſputarint, & mercedem in omnibus aſſecuti ſint. Siquidem Deus non ſecundùm bonorum operum euẽtum, ſed iuxta factorum propoſitum coronas elargiri ſolet, etiãſi duos obolos conferas, & quod vidua fecit, idem in docentibus operabitur. Noli igitur, cùm orbem terræ ſaluum facere non poſſis, etiam parua contemnere: neque maiorum deſiderio à paruis te abſtrahas. Si centum nequis, decem curam ſuſcipias: ſi decem non poſſis, noli quinq; deſpicere: ſi quinque vires tuas excedunt, vnum ne contemnas. Quòd ſi ne hoc quoque poſſis, noli deſperare, noli labori cedere. Nam ſi parua non contempſerimus, aſſequemur & magna. Quæ beati Patris exhortatio ad recreandos confirmandoſque animos Chriſti operariorum, vel ſola eſt ſatis, modò ſe rationi quiuis obſequentem præbeat. Deniq; vt communibus non vtamur, habet ſanè Indorũ cauſa propria ac peculiaria emolumẽta, eademque magni apud Chriſtum pretij. Primum humilitatis, quod labor omnis iſtis impenſus tanto ſecurior, quanto ab omni humana gloria remo-

In 2. cap ad Gal. in illa verba: Dilexit me, & tradidit ſemetipſum propter me.

Hom. 3. in 1 epiſ. ad Corint.

tior. Deinde charitatis Chriſti fideliſſimũ teſtimonium,cùm extremæ indigentiæ, & periculo tot milliũ animarum pereuntium vita ipſa cõſecratur. Præterea conſtantiæ, & patientiæ quodnam poſſit inueniri certius vel argumentũ, vel periculum hoc ipſo,quod pleriſque maximè grauat, tædio pro Chriſti gloria deuorato, vt cùm multum labores, parum promouere videaris? Pene dixerim eſſe in hoc vno Apoſtolicæ gloriæ æmulam laudem.Poſtremò illud mihi veriſsimè perſuaſum habeo fructus eſſe pro labore,& merito longè maximos, vehementerq́; eos decipi, vel deſidia, vel ambitione corruptos, qui ſuas operas in hac Chriſti vinea parum fructuoſè locatas conqueruntur.Quod, vt habet, monſtrare erit ſui temporis & loci. Illud modò maneat,etiã ſi penuria quàm maxima exiſteret, in negotio animarum,tamen Chriſti Ieſu fidelibus operarijs non minus, vel gnauiter, vel alacriter deſudandum eſſe, vbi & illius charitati amplius obſequuntur,& de propria mercede nihil deperit.

Quod gentes Indorum,quantumuis barbaræ,auxilio tamen gratiæ ad ſalutem deſtitutæ non ſint.

CAP. V.

IAM verò reſpondendum eſt prioribus illis rationibus,quibus Indorum cauſa,& ſalus oppugnabatur,& reſpondẽdũ eſt Deo adiuuante ſobriè & verè. Quatuor igitur præcipuè obiecta ſunt:Diuinæ gratiæ ſubtractio: Naturæ morumque abſurditas: difficultas ſermonis: locorum atque

atque habitationis incommoda. Principio multos eſſe homines ſuis tenebris relictos occulto Dei veroque iudicio, negare non poſſumus, neque homines modò, ſed & familias, & vrbes, & integras ſæpe prouincias & gentes. Qui & olim fuêre, & nunc vſque ſunt ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamẽtorum, promiſsionis ſpem non habentes, denique ſine Deo in hoc mundo. Cur autem tamdiu eos diuina gratia atque electio prætererit, tot animarũ millibus interim pereuntibus, humana ratione altius arcanum eſt, quod temerare velle impietatis ſit. Hoc loco Paulus Apoſtolus curſum cohibet, & inquiſitionem ſuam ad inſcrutabilis ſapientiæ excelſa ſuſpendit. Cùm enim narraſſet gentes Iſraele obcæcato vocatas ad Euãgelium, in fine autem etiam ipſum ſaluum futurum, cũ intrauerit plenitudo gentium, perpendens, quæ profunditas ſeſe obijceret perueſtiganti vltra, cur Deus incredulitatem Iſrael diuitias gentiũ eſſe voluerit, & cur eo vſque ſalutem earum diſtulerit, eaque oblata repulſam tulerit Iſrael, quaſi vtrumque populum diuina gratia capere nequiret, hæc & ſimilia ex ſua narratione conſequi cernens, ſiſtit gradum, & exclamatione illa mirabili mauult hominem in ignorantiæ ſuæ tuto hærere, quàm per obſtructiſsimæ quæſtionis abrupta præcipitem dari: nihil omittens, vt egregiè dixit Ambroſius, ſiue quiſquis is autor fuit de vocatione gentium (nam ſtylus magis referre videtur Proſperum Aquitanicum) de ijs quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de ijs, quæ nõ licet ſciri. Multa enim ſunt, inquit, in diſpenſatione operum diuinorum, quorum cau-

Epheſ.2.

Rom.11.

Lib.1.de voc. gent.cap.5.

ſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, vt cùm pateat, quod geritur; non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione ſubducta: vt in eadem re & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur, & de manifeſtis falſitas refutetur. Idemque rurſus libro ſequente. Et quis inter hæc querulis aut curioſis notum faciet, cur adhuc ſol iuſtitiæ quibuſdam gentibus non oriatur, & à tenebroſis cordibus etiam nunc radios ſuas veritas reuelanda contineat? Satius ergo eſſet in re tanta, tamque abſtruſa infirmitatem noſtræ ſcientiæ confiteri, tuto negotium integrum Dei æquo veroque iudicio committentes, quam dum nitimur, quæ ſunt ab oculis noſtris abſcondita videre contra præceptum, fortaſſis immenſæ lucis fulgore cæcari. Sed quia creberrima eſt quæſtio inter infideles, & quæ acrius animos pulſare ſolet & pungere, addendum eſt aliquid, quod etſi elatam mentem non ſatis premat; tamen obedientem atque ſubiectam non parum conſuletur. Id verò nemo melius explicet, quàm beatus Auguſtinus, qui in hanc quæſtionem diu ac ſæpe à ſe verſatam incidens in epiſtola ad Optatum Epiſcopum ita ſcribit, Cur autem creentur etiam illi, quos creator præſciuit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apoſtolus tanto ſuccinctiore breuitate, quanto maiore autoritate commemorat. Deum enim dixit volentem oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam attuliſſe in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Et mox: Meritò autem videretur iniuſtum quòd fiunt vaſa iræ ad perditio-

Libr. 2. de voc. gent. cap. 1.

Eccli. 3.

Epiſt. 157.

Rom. 9.

ditionem, ſi non eſſet ipſa vniuerſa in Adam maſſa damnata. Quòd ergo fiunt naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quòd autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Oſtendit ergo Deus iram ſuam, id eſt iuſtam fixamque vindictam, quæ de ſtirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque ſupplicij: oſtendit & potentiam ſuam, qua bene vtitur etiam malis, multa illis naturalia, & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione admonendos bonos accommodans, vt in eis diſcant agere gratias Deo, quòd ab eis non ſuis meritis, qui in eadem maſſa pares fuerant, ſed illius miſeratione diſcreti ſunt. Et infra. Notas etiam fecit diuitias miſericordiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, ita enim quid præſtetur ſibi diſcit, gratis iuſtificatus, dum non ſuo merito, ſed gloria largiſſimæ Dei miſericordiæ diſcernitur à damnato, cùm quo eadem iuſtitia fuerat & ipſe damnandus. Tam multos autem naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere preſciuit, vt multitudine incomparabili plures ſint illis, quos in ſui regni gloriam filios promiſſionis predeſtinare dignatus eſt; vt etiã ipſa reiectorum multitudine oſtenderetur, quàm nullus momenti ſit apud Deum iuſtum quantalibet numeroſitas iuſtiſſimè damnatorum. Atq; vt hinc etiam intelligant, qui ex ipſa damnatione redimuntur, hoc fuiſſe debitum maſſæ illi vniuerſæ, quod tam magnæ eius parti redditum cernerent. Hæc Auguſtinus, quibus generaliter quantum ſacræ literæ inſinuant, rationes attingit, cur tam innumerabilis hominum ac populorum multitudo

ſuo dimittatur arbitrio, id eſt perire ſinatur. Verùm cur illum, vel illum populum ante vocauerit ad ſalutem; illum autem, & illum tandiu in ſua cæcitate reliquerit, quis audeat inquirere? cũ legamus Apoſtolos aliquando parantes profe-
Act.16. ctionem in Aſiam, vt Euangelizarent, prohibi-
Ibidem. tos eſſe à Spiritu ſancto: & rurſus in Bythiniam nauigantes non eſſe permiſſos à Spiritu Ieſu. Qui ergo nemini gratiam debet, ille, quem oporteat, vocare, & quo tempore, & per quem ſapientia ſempiterna diſponit. Et quanquam hæc, quæ de ſententia Sancti Auguſtini, imò Apoſtoli Pauli diſputata ſunt, veriſsima ſint: ſed illud tamen nihilominus intelligendum eſt, nullum vnquam hominum genus, ita à ſuo eſſe autore deſertum, quin pro ſuo modo Dei teſtimonium, auxiliumque ſufficiens haberet: ita vt ſint inexcuſabiles diuinæ legis in ſuis cordibus ſcriptæ corruptores, ingrati beneficijs cœleſtibus, pa-
Rom.2. tientiæ, & bonitatis tantæ contemptores. Quam-
Act.14. uis enim, vt Paulus & Barnabas Lyſtris egregiè prædicarunt, Deus in præteritis generationibus dimiſerit omnes gentes ingredi vias ſuas, id quod huc vſq; etiam in non exigua orbis portione accidere videmus: tamẽ non ſine teſtimonio reliquit ſemetipſum, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda hominum, vt ipſius naturæ admoniti operibus ex his, quæ videntur bona poſſent
Sap.13. intelligere eum, qui eſt, & agnoſcerent quis eſſet artifex, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit, à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum creator videri. Huius ſapientis ſententiam ſecutus Ambroſius

broſius libr.2.de Vocatione gentium: Adhibita ſemper eſt, inquit, vniuerſis hominibus quædã ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris oc cultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium. Non quod ſine Chriſti fide ſalutem cuiquam, quod abſit, permittat Am broſius: ſed quòd gratia in naturæ doctrina luceat, & ſequentem, ad ſpiritum fidei & charitatis inducat. At dicet aliquis hoc loco. Quomodo credent, ſi non audiunt? quomodo verò audient ſine prædicante? Prædicabit ſanè Philippus Eunucho, & Petrus ad Centurionem mittetur, modò illi præſtent, quod per ſe poſſunt. Neq; enim qui per naturam inuitat, deerit per gratiam, ſi liberum non reluctetur arbitrium. Quamobrem idem autor in eodem opere. Quod ſi fortè etiam nunc in extremis mundi partibus ſunt aliquę nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit: nõ ambigimus etiam circa illas occulto iudicio Dei tempus vocationis eſſe diſpoſitum, quo Euãgelium quod nondum viderant, audiant, atq; ſuſcipiant. Quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur: quamuis tam acerbo vulnere humana natura ſauciata ſit, vt ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire, niſi obumbrationem cordis lux vera diſcuſſerit. Quibus profectò verbis vniuerſam Indorum cauſam præclarè actam eſſe ab Ambroſio nemo non videat. Interim verò flagitia & crimina omnia iſtorum, quamuis veniam neque mereantur, neque impetrent apud ſummum Iudicem Deum, leuius tamen omnino

2. de vo. Gent. c. 5.

Rom. 10.

Act. 8.

Act. 10.

2. de voc. gen. cap. 6.

puniuntur. De his quippe ſcriptum eſt, ſed partibus indicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quia nequam eſt natio illorum, & rurſus: Cap. 12. Veniam dabas peccatis eorum, virtus enim tuæ iuſtitiç initium eſt, & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Denique vt quicunq; ſine lege peccauerunt, ſine lege iudicabuntur, ita & qui ſine Euangelio peccauerunt, ſine Euangelio iudicabuntur. Rom. 2. Hæc eo commemorata ſunt, vt querela multorum aduerſus Deum compeſcatur, firmiſſimeque teneamus iudicia Dei omnia in tot & tantorum perditione populorum iuſtificata eſſe in ſemetipſis.

Quod Indos Deus iam vocet ad Euangelium. CAP. VI.

VErùm quod ad inſtitutum noſtrum attinet, quanquam ſunt, vt dixi, nón ſolùm homines, ſed populi & gentes longo tempore permiſſæ infidelitati ſuæ; tamẽ nullum eſt hominum genus adeò ineptum, adeò brutum, & ſaxeum, quin ad Euãgelij doctrinam idoneum ſit. Omni enim Mar. 16. creaturæ, quæ ſub cœlo eſt, prædicari Euangeliũ Gen. 22. præceptum eſt: & in ſemine Abrahæ omnes gen Pſal. 21. tes benedicentur: & vniuerſæ familiæ terræ venient coram Domino, vt adorent. Eſſe quidem alijs alias nationes hominum aptiores felicioreſque Euangeliçe frugi, vt agros fertiliores, negare planè non poſſumus: ſed qui omnes vocat, neminem faſtidiendum docet. Sunt hebetes, ſunt lubrici, ſint ſanè. Sed cui minus donatum eſt, minus requiretur ab eo. Non inuoluat ſeruus piger talentum vnum: & vno negotiari poteſt. Erant

in arça

in arca Noë triſtega ſiue tabulata infima, & media, & ſuprema, omne genus animantium eo iubetur induci, vt cęteris pereuntibus, ipſa ſeruentur. Non excluditur coruus præ aquila, non lepuſculus præ leone. Petrus quoque occidere iubetur audacter, & manducare de omnibus, non ſolùm volucribus, ſed etiam reptilibus, & nihil immundum, & alienum cenſere, quod à Domino ſanctificatum ſit. Habet cœleſtis ciuitas manſiones plurimas non minus genere, & gradu, quàm ipſa numeroſitate mirabiles. Neque aurum ſolùm & gemmæ, ſed pili quoque caprarum tabernaculo Dei oblati recipiuntur. Denique qui abiectos iſtos ac miſeros Euangelio ineptos putant, & patriæ cœleſtis beneficio excludunt, qui contemnunt, atque peſſundant, audiant tandem Dominum, & ſuum, & ipſorum pariter, ſeuerè admonentem. Videte ne contemnatus vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Opinor non indignos humano ſuffragio, & patrocinio, quibus famulatus exhibetur Angelicus. Omnes enim adminiſtratorij ſpiritus ſunt propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis. Nullum ergo etiam abiectum, & belluinum genus hominum à ſalute Euangelica alienum cenſendum eſt, cùm Deus neminé vocet, cui non ad id conſequendum quò vocat, intelligentiam, & gratiam idoneam conferat. Etſi enim vocantur multi, eliguntur pauci, tamen nemo vocatus negligitur, niſi qui vocantem, cùm liceret, audire contempſit. Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum: noſtrum eſt, quoniam ad omnes ire iuſſi ſumus, nemi-

Gen. 6. *Act. 10.* *Ioan. 14.* *Exod. 25.* *Matt. 18.* *Heb. 1.* *Act. 15.*

nem præterire, omnes vocare, omnes allicere, omnes conuenire. Quinam ex quibuſue aſſumendi ſint, ille nouit, cui eſt æqualiter cura de omnibus, & tamen nõ omnes prædeſtinauit ad vitam. Sed ex omni genere, & natione aſſumi, & oſtenſum iam eſt, & præclaro Eſaiæ teſtimonio tandẽ confirmandum. In fine Prophetiæ illius Dominus loquitur: Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes ſagittam, in Italiam, & Græciam, ad Inſulas longè, ad eos, qui nõ audierunt, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad mõtem meum in Hieruſalem, dicit Dominus, quomodo ſi inferant filij Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini. Et aſſumam ex eis Sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus. Hoc tanto circuitu verborũ ſatis Spiritus ſanctus oſtendit, quã eſſet Dei conſilium immobile, nullum eſſe genus hominũ tam remotum, ad quod Euangelij gratia non perueniret, & de quo pretioſa Deo munera non referret. Signum enim ſalutare Crucis ponit in frõtibus ſuorum, quod ſub Thau olim viderat Ezechiel, & ſic armatos mittit ad gentes in mare, ſiue, vt Septuaginta legunt, & in Hebræo eſt, in Tharſis, quo nomine Indiæ remotiſſima loca ſignificari in ſcriptura Hieronymus hîc refert, & Theodoretus in Ionam, aut immenſum mare, vt alij malunt, id eſt, Oceanum. Poſtquam autem Aſiam, Africam, Europamq; percurrerint, & ad Inſulas vſq; vltimas ſe protulerint, vt non ſit loquela

Sap. 6.

Eſa. 66.

Ezec. 9.

Hierony. in vlt. c. Theodoretus in 1. c. Ionæ.

quela

quela & ſermo gentium adeò barbararũ,vbi non audiantur,& reſonent verba eorum,tũc munus Domino egregium afferent, id eſt, fratres ſuos, magnum & glorioſum prędæ apparatum agẽtes in equis, in curribus, in quadrigis, in mulis, & carrucis,quod quid eſt aliud quàm pro diuerſitate venientium ad Fidem diuerſa eſſe aptata vehicula? Alij equis vehi poſſunt, vtpote celeri & pernici ingenio, alij quadrigis glorioſi & curribus præpotentes. Sed qui tardiores fuerint & ignobiliores, habebũt etiam ipſi ſua vehicula. Si equis minus ſunt apti, at mulis inſidere poterũt: ſi quadrigæ non erunt, at non deerunt vel carrucæ, qui bus imponantur. Vt non ſolũ Græci & ſapientes; verùm etiam barbari & rudes in domum Domini, quæ eſt in Hieruſalẽ, id eſt, in Eccleſiam Chriſti cõgregentur. Atq; vt intelligant omnes, etiam in iſtis beneplacitum eſſe Deo noſtro, eliget de ijs ipſis Sacerdotes ſibi & Leuitas. Diſtribuet, inquam, ſpiritum ſuum, & chariſmata non ſolùm Apoſtolis, & Iſrael, verùm etiam gentibus, vt cùm Petrus, qui eſt cœli ianitor, viderit Dei donum diffuſum in eas pariter, nõ prohibeat aquã, quæ introitus eſt Eccleſiæ: fratres quoque ſi fortè elatius diſceptẽt, ipſo exemplo ac teſtimonio diuino edocti conticeſcant. Nihil enim magis confirmat animos fidelium Chriſti prædicatorũ, quàm teſtimonium Spiritus ſancti per dona ſua, & chariſmata, quæ partitur, vt vult. Et quidẽ dona Spiritus, ſigna & miracula, quæ in Fidei prædicatione innotuerunt, his etiam temporibus, quãdo charitas vſq; adeò refrixit, enumerare longũ eſſet tum in Orientali illa India, tum in hac Occidentali. Res Iapponenſium notæ iam ſunt.

Act.10.
Act.11.

ſunt. Synarum regio ingens diu tentata, iam vtrimq; aperta nauigatione Luſitanorũ, & noſtrorum ex noua Hiſpania. De Mexicanis multa narrantur. De Inſularibus ipſe quoq; aliqua ex parte nonnulla conſpexi. Hiſtoriæ inuenti noui orbis loquũtur multa, & miranda, & vera, quorũ hodie quoque teſtes ſatis fide dignos habemus. Duo, quæ recẽtia ſunt exempli gratia nõ morabor apponere. Fœmina in ſuæ infidelitatis errore obſtinata, & ſuperſtitioni cuidã venefice addictiſsima, quæ cæteris omnibus in illa familia baptizatis ſola repugnauerat: morbo iã vltimo laborãs miſit ad ſacerdotẽ, vt ad ſe feſtinaret, nõ enim ſe poſſe exire de vita, niſi aqua prius ſalutari perfunderetur. Semel atq; iterũ accerſitus tandẽ venit, inuenit anum in extremis agentem, & baptiſmũ magno affectu poſcentem: rogat, cur tã diu diſtulerit: reſpõdet illa, ſibi nihil minus fuiſſe ſemper in animo, quã fieri Chriſtianã, oderat enim, vel ipſum nomẽ, ſed tamẽ morti iam propinquãti aſtitiſſe ſibi iuuenẽ cãdidũ, qui ante actã vitã acriter reprehẽderit, & Chriſti religionẽ quãtocyꝰ ſuſcipere perſuaderet: cõtra verò tetrũ quẽdã Aethiopẽ altera ex parte patriã ſuperſtitionẽ diu inculcaſſe: & cũ anxia diu hęreret, tandẽ viciſſe iuuenẽ Chriſti: ſtatim tantũ ſibi baptiſmi deſideriũ accẽſum, vt nihil aliud lamẽtaretur, q̃ ſe à prima ętate nõ fuiſſe Chriſtianã. Quid multa? Interrogata de fide pro more, & pœnitẽtiã ante actę vitæ magno dolore ſignificãs, baptizatur, & baptizata protinꝰ animã efflat, ipſo ſacerdote cũ cęteris, q aderãt, admirãte vehementer; huius ego factũ narratione cognoui, q etiam legitimo teſtimonio probatũ ad Epiſcopũ ſuum

ſuum trāſmittendū curauit. Fuit vir quoq; apud nos, qui hodie etiā viuit, coniugatus in valle Humai vocato, olim baptizat⁹, & teſtimonium habēs bonū in ſimplicitate ſua & ſobrietate. Hic grauiter ægrotans, cū mortuus omnino crederetur ab vxore, quæ ſola cadauer viri ſeruabat opertum, expectās ad ſepulturam alicuius adiutoriū (erāt enim ſoli in loco ſatis remoto) triduum integrū iacuit, vt putabatur, exanimis, panno coopertus: cùm repēte mouere ſe cœpit, & vxorem admirātem ac pauentem vocans, vera eſſe dixit, quę a Patribus dicerentur de vita futura. Nā & ſe perductum à quodam multa ac ſtupenda vidiſſe. Cùm res ſacerdoti innotuiſſet, qui hominis ruditatem optimè noſſet, & miraretur tanta de rebus ſpiritualibus, & occultis ex ordine referentem, iam morbo leuatum ad Archiopiſcopum examinandum tranſmiſit: cuius conſilio, & à noſtris fratribus, & à multis alijs diligēter interrogatus, apertè, & reſponſionem ordine, & ſenſu, & ipſa vnitus conſtantia, & lacrymis ac profundo quodam affectu declarauit illa omnia non aliter ſibi potuiſſe innoteſcere quàm facta ſuper eū manu Dñi per mirabilē extaſim. Id quod vitę demū innocētia ſatis poſtea cōfirmauit: atq; hodie quoq; Dominicus (hoc hominis nomen eſt) dicitur multa narrare de ſæculo futuro ijs, quos audituros vtiliter iudicat. Ferè eiuſdem exēpli eſt cū illo Curma curiali, de quo Augu. ſcribit in libro de Cura pro mortuis agenda, & cum illo altero Steelſio, de quo narrat in hiſtoria Angelica Beda. Non dubium eſt quin Deus charam habeat ſalutem Indorum, atque ex his numeroſiſſimis populis multos in regnum Chriſti adoptarit, perducendos ad patriam eo ordine, & modo & tempore, quod ipſe

Aug. de cura pro mortuis c. 12.
Bed. lib. Anbli. hiſt.

ipſe conſtituit. Firmum enim fundamentum
2.Tim.2. Dei ſtat,habens ſignaculum hoc: Cognouit Dominus,qui ſunt eius.

Quomodo Indorum ingenia tractanda ſunt, vt Chriſto lucrifiant.

Cap. VII.

SED ingenium barbarorum,moreſque belluini nobis ſtomachum mouent. Primùm quidem debemus non eſſe nobiſmetipſis ſapientes,
Rom.12. ſed humilibus,vt monet Apoſtolus,conſentientes. Deinde repetendum eſt ſedulò Chriſtum
2.Cor.5. pro omnibus eſſe mortuum,vt qui viuunt non ſibi viuāt,ſed ei,qui pro ipſis mortuus eſt,ſed quia non hoc,vt par eſt,æſtimamus, iccircò charitas Chriſti non vrget nos. Quòd ſi pro barbaro, &
Col.3. Scytha mortuus eſt Chriſtus, profectò à ſalute non alienātur homines,ſi dici poteſt,etiam irrationales,quód oportet etiam atq; etiam aduerte re,& animo altius inſculpere. Non enim exiget amplius à quoquam Deus,quā illius natura Deo adiuuante præſtare queat. Barbaros præ Græcis, atque Indos nonnullos præ noſtris ſi quis diſpiciat,nihil aliud ferè cenſeat, quàm præ hominibus rationalibus irrationalia iumēta. At vtriſq; Dei bonitas locum parat,vtraq; ad domum ſuam
Hierem. 21. congregat.Seminabo, ait in Hieremia, domum Iuda,& domum Iſrael ſemine hominum, & ſemine iumentorum. Vna eſt Eccleſia, quæ nō ſolùm propagatur humano ſemine, ſed etiam belluino. Cuius magnificentiæ amplitudinē admi-
Pſal 35. ratus Propheta exclamat: Quemadmodū multiplicaſti miſericordiā tuam Deus?Quid ita? Dixe

rat nempe, Homines & iumenta ſaluabis Domine. Quæ verba ediſſerens ſanctus Ambroſius, Quid eſt homines & iumenta? Rationabiles vtique & irrationabiles. Rationabilibus iuſtitia: irrationabilibus miſericordia. Alij reguntur, alij nutriuntur. Quam interpretãdi rationem vt per iumenta diuinæ literæ intelligant homines iumentis ſimiles ſenſu, etiam Hieronymus ſequitur, atque alij patres, vt Gregorius in illa verba, Animalia tua habitabunt in ea. Reuera in Eccleſia Chriſti etiam iumenta ſaluantur, quia Dei miſericordia multiplicata eſt. Vides hominem exigui ſenſus, ingenio tardum, iudicij inopem, ne contemnas, ne regno cælorum ineptum putes. At non percipit quæ Dei ſunt, & ſtultitia eſt illi quicquid ſpiritualiter dicitur, nec poteſt intelligere. Adhuc noli repellere, & iſtum poteſt ac vult ſaluare, qui neminem vult perire. Myſteria fidei pronunciat, neq; intelligit, imò vix etiã pronuntiat: ſæpe dicendo, ſæpe inculcando nihil penè imbuitur, ſemper hebes, & truncus perinde atque iumentum canere doceas. Rurſus aio, ne deſperes irrationalis eſt, iumentum denique Aethiops aut Indus. Audi Ambroſium iſtos eſſe regendos verbi capiſtro ad Fidem. Neq; enim ſi ſatis ratione non poteſt capere, quę docetur, non etiam poterit quantum ſufficit Fide apprehendere, vt ſaluus fiat. Alioqui ſi non poteſt credere, vt illum oportet, quomodo qui non crediderit, condemnabitur? Niſi prædicatione Euangelij contendas damnari poſſe, ſaluum eſſe non poſſe. Quod impium nefas auertat Deus à Chriſtiano. Certiſſimè igitur retinendum eſt nullam barbariem, ſenſu carere ad Fidẽ neceſſario. Indi porrò

Ambroſ. in Pſal. 35.

Hieron. in Hier. cap 31. & Ion. ca. 3.

Greg. lib. 11. mor. cap 2.

Pſal. 67.

1. Cor. 2.

1. Pet. 3.

Marc. 16.

omnibus conſentientibus,non vſq; adeò ingenij ac ſenſus inopes ſunt:quin potius, ſi velint animum appellere,acuti ſatis. At moribus, inquis, Indus eſt inuerecundis,ventri,& veneri,ſine reluctatione obſequens,ſuperſtitionis mirè obſeruator, & tenax. Et iſti etiam ſalus eſt, ſi regatur.
Pſal.31. Chamo, & fræno conſtringe maxillas,onera cõgruenter, adhibe ſi opus ſit, ſtimulum. Quòd ſi calcitrarit,noli iratus gladium adigere,ſed punge moderatè,&cohibe paulatim,donec ſe aſſueſcat præbere obedientem. Nempè ſi equus tuus impingat calces,ſiue equitem dorſo,ſeu frænum depulit ore,nõ ſtatim ferro enecas,aut domo abijcis,propterea quòd rem tuam,ac pretium pecuniæ tuæ non vis tibi perire.Quod ſi homo doctrinam ſtatim nõ accipiat,neq; ſe docenti bene accõmodet,ſtatim faſtidiendus,aut exterminãdus erit?neq; Chriſti pretiũ, & ſanguis cogitabitur? Seruilem planè naturam eſſe barbarorum experientia magna ex parte docuit. Ac ferè niſi metus,& vis aliqua afferatur,more puerorum,obedire contemnũt. Quid igitur?liberali tantùm,& virili ingenio ſalus ſperanda eſt?An etiam puero pædagogus in Chriſto adhibendus eſt?Eſt planè, eſt diſciplina quædam cautior,& vigilantior exercenda,& virgã interdũ vtendum,ſed in Chri-
Lucæ 14. ſto,compellendi ſunt intrare ad cœnam, ſed in Domino. Non enim quæ ipſorum ſunt, ſed ipſi
Prouerb.29. quærendi.Scriptum eſt,virga,atq; correptio tribuit ſapientiam: puer autem qui dimittitur vo-
Prouerb.29. luntati ſuæ, confundit matrem ſuam. Et rurſus, ſeruus verbis non poteſt erudiri,quia quod dicis
Eccl.33. intelligit,& reſpondere contemnit.Et alibi, Cibaria,& virga,& onus aſino: panis, & diſciplina, &

na,& opus ſeruo, operatur in diſciplina,& quærit requieſcere:laxa manus illi, & quæret libertatem,id eſt,cùm adhuc premitur opere, cogitat deſidiam,quid erit,ſi ſe ſolutum,& vacantem viderit. Fugam ſanè cogitabit, atq; ideò adiungitur,iugum,& lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ. Et mox, Mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas. Ac licet præcepta hæc de moribus data à ſapientibus de adminiſtrando & regendo conuenienter vniuerſo mancipiorum genere perſpicuè loquantur, & verè:quod experientia quotidiana ſatis indicat in his regionibus,vbi nulla domeſtica obſequia, nulla externa opera niſi à ſeruis Aethiopibus ſunt, quorum re vera mores diſciplinam ſeueriorem,& aſſiduos labores exigunt: tamen de ijs etiam accipienda ſunt,qui, & ſi conditione ſerui non ſunt, ingenuos tamen mores non præ ſe ferunt. Etenim ijſdem teſtimonijs ſeueritatem rigidiorem aduerſus contumaces homines adhibendam, etſi olim ſecus ſenſiſſet, tamen aperta experientia rei ſe commotum Auguſtinus profitetur ſcribens contra Donatiſtas & circumcelliones genus hominũ improbiſſimum ac ſæuiſſimum. Illud autem ab eodem glorioſo Patre ſæpè vſurpatum,magnopere ad rem pertinere arbitror: quemadmodum olim ſub veteri teſtamento fuiſſe multos, qui ad gratiam noui teſtamenti pertinerent, id eſt, qui non ſpiritu ſeruitutis in timore, ſed ſpiritu dilectionis, vt Dei filij ducerentur: ita nunc quoque ſub Euangelio in Eccleſia plurimos eſſe, quibus veteris teſtamenti ſtatus & inſtitutio quodammodo con-

Ibidem.

Epiſt. 50. ad Bonifa.

gruat,homines magna ex parte animales,ſpiritũ vix habentes. Qui tamen à ſalutis via non protinus excluduntur, ſed pro ſuo modo conueniẽter inſtituendi ſunt. Docuit verò nos cœleſtis ſapientia antiquum illum populum ceruicoſum duabus maximè rebus frænatum, labore, & metu: quod vtrunq; ſeruorum eſt proprium. Laborem quidem & inexhauſtam quandam occupationem videre licet in multitudine ſacrificiorum, lotionum,vnctionum,rituum,obſeruantiarum, ceremoniarumque omnium, ita his vt detinerentur,vt vix idola ſua & commenta cogitare ſinerentur.Metum verò quæ legis pagina non incuteret?vt terrore ſupplicioruin, & ipſo ſæpius iam facto periculo ad præcepta ſalutis appellerent animum,& contentione depoſita, Ducibus ſuis diſcerent obedire. Tale ſanè erat eorum ingenium,vt meliora ac celſiora non caperet.Quã-
Ezech.20. obrem per Ezechielem Dominus ipſe teſtatur, Eo quòd iudicia mea non feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent, & ſabbatha mea violaſſent,& poſt idola patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum. Ergo,inquit,& ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia,in quibus non viuent. Itaque Hebræi atq; carnalis populi more maximè regendas eſſe nationes barbaras has, præſertim Aethiopum & Indorum Occidentalium gentes,vti & per occupationum aſſiduarum ſalutare onus ab otio,& libidine reuocentur, & per timoris incuſſi frænum in officio contineantur, cùm antiquæ ætatis exempla,tum verò peritiſſimi cuiuſq; recens & quotidiana experientia copioſiſſimè, ac maniſeſtiſſimè declarauit. Hoc enim eſt lorum &
Eccli.33. iugum,quod Sapiens commendat: hæc virga &
onus.

onus. Hoc modo ad ſalutem vel inuiti compelluntur intrare. Quæ non eo commemorata ſunt omnia,quo vim & ſæuitiam à Chriſti viſceribus alieniſſimam in Indorum nationes vllo modo probem, aut tanquam in ſeruos dominandum putem,ſed vt oſtendā etiam illiberali & difficili ingenio non eſſe ſalutem deſperandam, ſi & patienter feratur, & ſapienter regatur. Charitas omnia ſuffert,omnia ſuſtinet,omnia ſperat: patiens eſt,benigna eſt. Seueritas ergo quæcunque exercenda eſt, à charitate aliena eſſe non debet. Charitatis porrò nihil eſt ita proprium,quàm vt non quærat,quæ ſua ſunt. Hanc ſi & animo intimè feruet,& re ipſa declaret,qui infirmorum,& inſipientium morbis curandis auſteriorem ſe ſe interdum exhibet medicum,non eſt timendum; ne hominum animos ſubditorum, ita offendat, vt vel à ſe, vel ab Euangelica ſimplicitate alienet. Facilè enim recuperat charitas, quos diſciplina commouerit. Imò verò per vtilem timoris vim ad libertatem filiorum paulatim homines diuinitus inducuntur. 1. Cor. 13.

Barbarorum ineptitudinem non tam à natura, quàm ab educatione,& conſuetudine proficiſci.

CAPVT VIII.

ADdam verò id,quod plurimum intereſſe arbitrór,omninò ad iſtam ineptitudinem animorumque Indicorum feritatem non ita facere natalium, ſtirpiſue, aut aëris natiui cauſas, quemadmodum diuturnam educationem,& cōſuetudinem beſtiarum vitæ non valde diſſimilem. Equidem & olim ita mihi perſuaſeram, &

rebus ipſis iam modò confirmatus ab ea ſenten-tia auelli minimè poſſum. Ac generaliter ſanè ſi quis contẽpletur, in humano ingenio longè plus efficit educatio, quàm natiuitas. Etſi enim vim habet non paruam genus, & patria, cùm Apoſto-lus Paulus Epimenidi Poëtæ ſubſcribat de Cre-tenſibus, Cretenſes ſemper mendaces, malæ be-ſtiæ, ventres pigri, tanquam ad morum peruerſi-tatem patria multum contulerit, notumq; illud ſit alterius Poëtæ,

Tit 1.

Horatius.

Bœotum in craſſo iurares aëre natum:

Tamen infinitis partibus ſuperat vitæ inſtitu-tio, & exẽpla ab ipſa infantia per ſenſus inſcul-pta rudi adhuc, & tenero animo. Sunt hæ viuæ formæ mentis humanæ, quibus imbuta ad appe-tendum, ad agendum, fugiendumve propria ac familiari propenſione fertur, quemadmodum natura quæuis iuxta formam ſibi inſitam opera-tur. Quapropter illud Philoſophi probant om-nes, non afferre dolorem conſueta, ſed volupta-tem: & conſuetudinis vim, alteram eſſe naturã, & illud noſtri ſapientis, Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Ac re vera nulla eſt tam barbara natio, nulla tam ſtu pida, quæ ſi ab ineunte ætate accuratè, & gene-roſè educetur, non deponat barbariem, induat humanitatẽ, & morum elegantiam. Videmus, vel in ipſa noſtra Hiſpania homines in pagis quibuſ-dam natos, ſi apud ſuos perſeuerent, ineptos ha-beri, ac ridiculos: eoſdem traductos in ſcholas, aut Curiam, aut celebres vrbes miræ ſolertiæ, ingenio præſtare, nemini cedere. Ipſos Aethio-pum liberos, quibus nihil apparet abſurdius, in palatio enutritos, adeò promptos ingenio, & ad

Ariſtot. 8. Ethic.

Prouerb. 22.

quiduis

quiduis paratos videas, vt ſi colorem detrahas, noſtros putes. Plurimũ poteſt conſuetudo in omni genere morum in vtramq; partem, & boni, & mali. Quamobrem D. Chryſoſt. vbi mores perditos ſeruorũ expoſuit, parumq; idoneos dixit ad virtutis doctrinam capeſſendam, ſapientiſſimè adiunxit: Non id quidem naturæ cauſa, abſit: verùm propter conuerſationis vitæq; negligentiã, ſolent enim huiuſmodi in ijs, quæ mores tangũt, negligi à Dominis. Nihil enim fermè aliud curant ij, in quorum poteſtate ſunt, quàm miniſterium ſuum. Quod ſi mores illorum componere aliquando ſtudeant, & hoc ſui gratia tantùm faciunt, ne iſtis negotia exhibeant, moleſtiq; ſint. Quæ B. Patris ſententia noſtrorum hominum vaticinatio mihi videtur. Accuſant naturam, moreſq; barbarorum, ipſi nihil adhibent curæ, niſi vt ſeruis vtantur ad ſuas priuatas commoditates. Qua igitur ratione homines pecudũ inſtar enutritos ad fidei doctrinam ineptos eſſe cauſaris? Si ipſe ita eſſes informatus, inter iſtos & te quid quæſo diſcriminis intereſſet? Audi eundẽ Patrẽ in cauſa adhuc ſeruorum immorantem: Cùm igitur ſic negligantur, inquit, neminemq; habeant, cui componendi illos, ac formandi ſtudium ſit, meritò ad ipſa nequitiæ prærupta ac præcipitia deuoluuntur. Si enim vbi Pater inſtat, & Mater, & Pædagogus, & Nutritius, & Magiſter, & æquales, ipſaq; libertatis opinio, & alia plurima, per difficilè quiſpiam malorũ contubernia conſortiaq; deuitat, quid putas his omnibus deſtitutos, qui quotidie ſceleſtis commiſcentur hominibus, & cũ quibus volunt licenter congrediuntur, cùm ſit nemo, qui ipſorum conuerſationem

Hom. 4 in epiſt. ad Titum.

In eadem Homil.

amicitiaſque diſquirat? quid arbitraris eiuſcemodi homines fore? Nonne ad ſupremos ſcelerum vertices euaſuros? Idcirco difficile eſt profectò ſeruum fieri bonum. Hactenus ille. Non ergo naturam barbarorum deinceps accuſemus, ſed ſocordiam potius noſtram, & negligentiam.

Lege Chryſ. epiſt. 1 ad Corint. hom. 7.

Perdifficile negotium eſt dediſcere natales, & conſuetudinem inueteratam, atq; inde ad mores, & inuſitatos, & ſenſui ac libidini penitus iniucundos transformari. In omni antiquitate fuit non mediocris labor Euangelij Magiſtrorum in transferenda ad Fidei regulas, & conuerſationē veteri hominum conſuetudine. Teſtis eſt hiſtoria vniuerſa. Multa Iudæis legi aſſuetis Apoſtolica Eccleſia condonauit, vſq; dum prorſus exuti Moſem, Chriſtum induerent. Multa de Aethniciſmo tolerauit antiquitas: in ipſis primæuis Chriſtianis magna alioqui miracula edentibus vix victimarum cruor elui poterat, vt oportuerit Apoſtolū ſæpius ea de re monere Corinthios.

Greg. lib 9. Reg. cap 17.

Scribit Gregorius Papa ad Auguſtinum Anglorum primum Epiſcopum mores gentilicos, & patrios paulatim debere emendari, & patienter toleranda eſſe, quæ non poſſunt ita facilè corrigi. Lectio omnium pene nationalium conciliorum indicat peculiarem ſanctorum Patrum curam in relegandis paulatim ritibus quibuſdam maiorū.

Auguſt. epiſt. 64.

In Africa multa vſq; ad ſua tēpora Auguſt. perdu raſſe teſtatur. Ne igitur deſperemus, aut tumultuemur, ſi de priſtina barbarie, & ſuperſtitione, & animali vita in baptizatis Indorum populis multū adhuc permanere videamus, cū præſertim & ipſorū ingenia rudiora ſint, & noſtra diligentia nullo modo cum veterum labore comparanda. Mo-

da. Mores ſenſim mutãtur in melius. Fides Chriſti magnam totius humani ſenſus, & affectus habet abnegationem. Pro lucro non mediocri computandum eſt, quicquid ex tam horrida, tamque inculta barbarie humanitatis, aut etiam Chriſtianitatis eluceat. Exemplo ac ſolatio ſit Dominus omnium, qui populi ceruicoſiſſimi mores adeò ingratos, & inſuaues ſuſtinuit per annos 40. imò pluſquam quadringentos: quem tamen, & delere facilè poterat, & magnis potius beneficijs inuitabat: vt hominis improbitatē Dei patientia benignitaſque ſuperaret.

Quòd linguæ difficultas non deterrere debeat ab Euangelij propagatione.

CAP. IX.

SErmonis autem, & locorum difficultates non exiguæ illæ quidem ſunt: ſed vt charitatē exerceant hominis Dei, non vt extinguant. Apoſtolis quidem datum ſcimus donum eſſe linguarũ, propterea quod pauci Chriſti Præcones toto orbe ſalutis nuntium breui inſonare debebant. Quamobrem Paulus gratias agit Deo, quòd omnium lingua loqueretur. Quamdiu verò generale illud munus ſpiritus in Eccleſia perdurarit, neque apud veteres compertum lego, neque ego facilè dixerim. Illud pro cõperto habemus prædicationem Euangelij poſterioribus ſeculis proceſſiſſe, cùm linguarum dona ceſſaſſent, ſed charitas omnium donorum maximum ſtudioſè ageret, vt quod deerat in dono, augeretur ad meritum. Profectò enim poſteriores hac in re, & ſi ſecus alijs fortaſſe videbitur, non ita infeliciores fuêre maioribus, Etenim vt Chriſtus ad Tho- 1. Cor. 14.

mam dixit, Fidem ex oculis, & tactu colligentem, Beati qui non viderunt, & crediderunt: ita
Ioan 20. etiam dicere quiſpiam queat, beatos eos, qui nó acceperunt ſermonem, & tamen prædicauerunt. Hîc enim vtrumque mercedis eſt loco, & pugnare, & ipſa ſibi arma expenſis proprijs parare: & prædicare, inquam, & ſermonem neceſſarium prædicationi diſcere. Vt ergo in prima rerum conditione, ita naturas inſtituit ſummus opifex, vt vnumquodque perfectum ederetur iuxta genus ſuum, nullo terræ labore, nullo cœli circuitu: at mox iuſsit ſemen proferre, vnde terra laborata genus vnumquodque repararet: ita ſanè oportuit in regeneratione mundi per verbum idem omnipotens primas ſtirpes diuinitus perfectas ſurgere, deinceps harum ſeminibus accedente humani ſtudij labore genus Euãgelicum propagari, cũ iam, & numero multi eſſent, & temporum non premerentur anguſtijs.
Luc. 10. Beati quidem oculi, qui viderũt Dominum: ſed beati quoque qui non viderunt, & crediderunt.
Ioan. 20. Felices quibus Spiritus ſanctus dedit donum linguarum, interpretationem ſermonum: at nó infelices, qui per charitatem ſpiritus de ſuo ponunt in opere Domini, quod non acceperunt. Quanquam, & hoc ipſum põſuiſſe, accepiſſe eſt. Iam illud multum mouere nos debet, quòd videmus ad gentes profundi ſermonis, & ignotæ linguæ homines penetrare lucri ſpe, nec deterreri barbarie immenſa, ſed vniuerſa mercium gratia luſtrare, non Aethiopum innumerabiles linguas, non Synarum, non Tartarorum, non Braſilienſium, non extremi Oceani litora recuſare, & quicquid inter Mendocinum promontorium,

torium, & fretum Magallanicum ſitum eſt infinitis terræ, ac maris ſpatijs, idque vtroque ex latere, & Boreali, & Auſtrali, magno ſtudio obire: denique, & ſi quem tellus extrema refuſo ſummouet Oceano, vel ſi quem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui, hunc perſcrutantur, huius linguæ vel balbutientes ſe accommodant, vt aurum, argentum, ligna pretioſa, merceſque exquiſitas ad ſuos euehant, quæſtum vndique augeant: tam longam, & periculoſam peregrinationem auidiſſimè ſuſcipiunt, vt profectò admirabile ſit omnes pene portus vtriuſque Oceani, omnes ſinus orbis terrarum ſtationibus nauium Hiſpanienſium teneri, omnes Indorum ſatrapas cum noſtris mercatoribus, & nautis commercium habere. At qui pretioſiſſimas merces quærimus animas Dei imagine inſignes, qui lucra non incerta, aut breuia; ſed æterna in cœlis ſperamus, linguæ difficultatem, locorum aſperitatem cauſamur: vt appareat verè prudentiores eſſe filios huius ſæculi in generatione ſua filijs lucis. Et ſermonis quidem difficultas in hoc ſpatioſo regno Piru magna ex parte leuata eſt, cùm generalis illa Ingarum lingua, quam Quicham vocant, vbique in vſu ſit, & ea ipſa non ardua ſcitu, præſertim ad artem iam redacta diligentia, & ſtudio viri de Indorum natione optimè meriti. Quod ſi in ſuperioribus prouincijs ea potiſſimum viget, quæ appellatur Aimara, neque ipſa eſt valde difficilis, neq; multum ab illa altera abhorrens. In Mexicano Regno aiunt eſſe linguam quoque generalem, vt facilior ſit communicatio inter ſe tam multorum populorum, & gentium. Quod ſi

Verg. 7. Aeneid.

Luc. 16.

Chri-

Chriſtianus Princeps id effeciſſet in Chriſti gratiam, quod barbarus Guainacapa imperio ſuo effecit, vt vna lingua omnes vterētur, aut vna certè vbiq; haberetur, profectò maximam prædicationi Euangelij commoditatem fuiſſet allaturus. Verùm vbi id fieri minus poteſt, ſupereſt, vt charitas ardens in Chriſtum, induſtria, & labore perficiat, quod deeſt naturæ. Qua in re P. Franciſci Xauieri admirabile extat exemplum, qui in perdiſcenda Malauarica lingua tantum operę, & ſudoris poſuit, tantumdemq; in Iapponenſi, atque alijs longè inter ſe diuerſis, vt ſi Apoſtolico dono linguarum prę̨ditus eſſet, non poſſet maiore gloria Chriſti nomen in tanto terrarum orbe
1. Cor. 13. vulgare. Certè enim charitas omnia poteſt, & cùm linguæ ceſſarint, vna charitas pro omnibus eſt.

De habitatione inter Indos.

CAP. X.

INter obiectiones ſupra propoſitas poſtrema petebatur ex incommoda habitatione barbarorum. Huic modò reſpondendum eſt, hoc excepto quòd quæſtio illa grauis, Vtrum expediat ſedem figere inter Indos, quod vulgò doctrinas tenere dicunt, an potius diſcurrendo inter eos verbum ſalutis diſſeminare, quod proprium eſt miſſionum, in ſuum locum reſeruanda eſt, vbi Deo propitio accuratè tractabitur, & quid habeat commodi, vel incommodi res vtraque, explicabitur, tum verò quibus incōmodis melius ac facilius occurri queat. Illud tantum nunc agitur, vt neque aſperitates locorum, neq; impedimēta itinerum, neq; verò habitationis ipſius Indicæ

dicæ ratio præpoſtera Chriſti ſeruum ab inſtituto retardent. Et quidem labores ærumnæque iter mari terraque facientium, & multæ, & graues ſunt. Verùm quis aliter ſibi perſuaſerit, niſi demens ſit, cùm patria, atque amicis, & charis omnibus relictis velut alter Abraham peregrinatur, & exit neſciens, quò eat? Ego, inquit, ero merces tua magna nimis. Hoc Apoſtolicum opus, hæc gloria propria. Et tamen qui miſit ſuos ſine pera, & ſacculo, & argento, quærit ab ipſis, Numquid aliquid defuit vobis? Nuſquam diuina prouidentia, neque certius, neque dulcius ſui experimentum præbet, quàm cùm illius ope fretus incertas ſedes, & humana præſidia incerta conſtituit experiri. Paulus Apoſtolus clamat, ſint mores ſine auaritia, contenti præſentibus. Ipſe enim dixit, Non te deſeram, neque derelinquam, ita vt fidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Iam verò quod de habitatione rara, & incommoda barbarorum multi cauſantur, Primùm ſunt planè frequentiſſimæ prouinciæ Indorum, & populi numeroſiſſimi, vbi commodè & fructuosè Chriſti doctrina tradi poſſit. Id quoq; quod diu efflagitatum, & non ita dudum inſtitutum eſt de reductione Indorum ad certos populos, vt non ſparſim more ferarum, ſed communiter oppida inhabitent, dici non poteſt quantæ ſit vtilitatis futurum ad omnem vitæ barbarorum informationem. Deinde ſicut Saluator ſuos admonuit, ſi non receperint vos in hac ciuitate, fugite in aliam; Amen dico vobis non conſummabitis omnes ciuitates Iſraël, donec veniat regnum Dei: ita nobis quoq; dictum arbitremur, vt diſperſos fratres

Geneſ. 12. Heb 11. Geneſ. 15. Matth. 10. Lucæ 22. Heb. 13. Deut 31. Ioſue 1. Pſal. 55. & 117. Matth. 10.

fratres noſtros quæramus: quòd ſi alicunde, aut locorum iniuria, aut ſermonis incommoditate depellimur, aut ipſa rerũ neceſſitate vrgemur, tranſeamus ad alios. Neque enim timendum eſt, ne aut electos Dei ſermo prætereat, aut vbi laboret vtiliter, Chriſti operarius non inueniat.
Pſal. 62. Dabit Dominus, dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, qui diuina autoritate promi-
Ioan. 15. ſit. Ego poſui vos, vt eatis, & fructum plurimum afferatis.

Quod Euangelij miniſtri curare debeant, ne impedimentum Euangelio ponant.

Cap. XI.

QVI verò Euangelizandi munus ſuſcipiunt, curare magnopere debent, ne Euangelio ipſi impedimento ſint. Accidit enim ſæpenumerò, vt Indorum deſidiam ac vecordiam ij maximè accuſent, qui miniſterium ſuum minimè implent: qui ſi diligentius ſe ipſos excuterent, ſynceriuſq; iudicarent, profectò inuenirẽt ipſis potius, quàm Indis tribuendum eſſe, quòd interdum minus feliciter res Chriſtiana proceſſerit.
Phil. 1. Quidam, inquit Paulus, non ſyncerè Chriſtum annuntiant, quidam autem ex bona voluntate. Quin etiam addit, omnes quæ ſua ſunt quærere, non quæ Ieſu Chriſti. Quominus mirandum eſt, ſi de nobis etiam tale aliquid dici queat. Vtinãq;
Matt. 23. illud ad nos minimè pertineat, Væ vobis qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum, & cùm factus fuerit, facitis illum filium ge-
Lib. de Fide hennæ duplo, quàm eſtis vos. Quod vehementer
& per. cap. Auguſtinus execratur in libro de Fide, & ope-
26. ribus, Nec ſic, inquit, faciamus Chriſtianos, quo

modo

modo Iudæi proſelytos, quibus Dominus ait, Væ vobis & cætera. Sæpè enim quos paſtores cura, beneficentia, fide ſentire oportuit, hos potius ſæuos lupos miſeri greges experiuntur. Cōminantur certè diuinæ literæ nobis, Qui violenter, ait Micheas tollitis pelles eorum deſuper eis; & carnem deſuper oſſibus eorum. Atque alius quoque Propheta. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem recta ſiue perfectè abominati ſunt. Iccircò pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantiſſimas, & non bibetis vinum earum. Quòd profectò vaticinium vereor ne Indicæ opes nimium experiantur, cùm inſtar ſomnij nimium properatæ fortunæ, & oriantur, & occidant, & quæ de meretricibus congregata ſunt, ita Deo comminante, vſque ad meretricis mercedem reuertantur. Feſtinata quippe ſubſtantia minuetur, deficienteſque ſicut fumus deficient, quoniam non proſperabitur poſſeſſio ſcelerata. Igitur temporales Domini Indorum, ne cupiditate & violentia ſalutem eorum impediant, timendum eſt. De nobis autem, id eſt, de miniſtris Eccleſiaſticis fortaſſis non ſit minor querela, atque vtinam minimè ad nos pertineant illa prophetica, Principes eius in medio eius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. Prophetæ autem eius liniebant eos abſque temperamento, videntes vana, diuinantes eis mendacium, populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter egenum; & pauperem

Mich. 3. *Amos. 5.* *Mich. 1.* *Prou. 13.* *Pſal. 36.* *Eccli. 5.* *Ezech. 22.*

perem affligebant,& aduenam opprimebant calumnia abſque iudicio. Sine temperamento hi liniunt,qui peruerſis auſis colorem vndecumq; quærunt,etiamſi nulla vera ratione ſubſiſtat.Sed illud & formidandum & dolendum,quod adiungit ſermo diuinus.Et quæſiui de eis virum, qui interponeret ſæpem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra,ne diſſiparem eam,& non inueni: &effudi ſuper eos indignationem meam.In igne enim iræ meæ conſumpſi eos,viam eorum in caput eorum reddidi,ait Dominus Deus. Nec diſſimilis Michæas eſt,Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercedem docebant,& ſuper Dominum requieſcebant dicentes,Numquid non Dominus in medio noſtrum? Non venient ſuper nos mala. Propter hoc cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur; & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit,& mens templi in excelſo ſyluarum. Sophonias quoque inclamat, ac poſt multa concludit: Deſolatæ ſunt ciuitates eorum non remanente viro, neque vllo habitatore. Quæ prolixè recitata ſunt Prophetica oracula, quod ſimilia quadam ex parte hiſce quoq; temporibus accidiſſe cernamus. Noui equidem permultos eſſe & Eccleſiaſtici,& ſæcularis ordinis viros,qui piè ac religioſè neophytorum cauſam agant, atque ita commodorum ſuorum rationem habeant, vt ſalutem fortunaſque Indorum non negligant. Verùm apud alios res ita habet, vt expreſſit ſermo Propheticus. Neq; id mirari homines debent,cùm his certè in locis auaritia maximè vigeat,vbi illius plurima materia eſt,auri,atque argenti copia plurima.Quæ enim alia eſt remotiſſimas regiones penetrandi cauſa?

Mich.3.

Sophon 3.

cauſa?Cur immenſos Oceani circuitus, & labores homines ſubeunt? Nempe vt modeſtiſsimè dicam,proprijs fortunis conſulere ſe arbitrantur,cùm aut ſuam, aut ſuorum inopiam argento ex India collecto ſe depulſuros confidũt. Neque id ego reprehendo modò, ſed illud ago, vt non omnem in Indos culpam reijciamus,ſi prouentus Euangelici in hoc agro non ita læti atque vberes extiterint. Exiſtent profectò quales volumus,ſi nos ij operarij ſimus, quos ager dominicus poſtulat, ſi Chriſtum non noſtra quæramus. Nam quæ fidei propagatio, quæ morũ inſtitutio ſperanda ſit, ſi iuxta prophetam ſacerdotes non ſolũ mercede doceamus, ſed mercedem etiam potiſsimũ requiramus? Re vera verẽdum eſt,ne vænale putent barbari eſſe Euangelium, vęnalia ſacramenta, neq; animas nobis curæ eſſe,ſed nummũ. At dignus eſt operarius mercede ſua. Dignus planè. Sed manducandũ eſt, vt Euangelizes, non Euangelizãdum,vt manduces. An verò Euangelizãdum, vt diteris? vt cõgeras? vt opibus plenus reuertaris in patriã? Iam verò quàm ſanctè,quàm integrè,quàm innocẽter viuamus omnes qui Chriſti ſanctiſsimam legem barbaris promulgamus, nos nos ipſos interrogemus. Certè barbari fidem noſtram de moribus iudicant. Procliuius quippe eſt, quod videas, credere quàm quod audias. Raro perſuadet factis ſermo contrarius. Illud autem magnopere prouidendum eſt ijs qui inter fidei tyrones verſantur, ne priuato ſuo malo publicam Chriſtianæ familiæ exiſtimationem lędant, atq; corrumpant, neve dum ex quibuſdam cæteros conie- *Mich.3.*

ctant, omnes criminentur. Vitium enim, vt ſcitè dixit Gregorius Theologus ſimilem cauſam agens, ad omnes facilè manat, atq; ob multorum vel etiam quorũdam culpam, vniuerſus ordo in inuidiam crimenque vertitur. Quodq; omnium miſerrimum eſt hæc criminatio non in nobis conſiſtit ac defigitur; verùm vlterius ſe porrigit, ac magnum & venerandũ religionis noſtræ myſterium in inuidiam trahit. Hoc illud eſt, quod Deus vehementer queritur: Propter vos iugiter nomen meum blaſphematur inter gentes. Deſinamus igitur tantopere barbarorum infidelitatem, & morum peruerſitatem accuſare, & noſtrã aliquando agnoſcamus ignauiam, qui non dignè Euangelio Chriſti conuerſemur, pluſque operæ in colligendo argento ponamus, quàm in acquirendo populo Dei.

In Oratione de Pace. 3.

Eſaiæ 52.
Ezech 36
Rom. 2.

De Caſtitate & Abdicatione neceſſaria ad Euangelizandum.

CAPVT XII.

TRia verò ſunt, quæ fidei prædicationi & cultui vehementiſſimè officiunt, auaritia, impudicitia, violentia: quemadmodum numero totidem Euangelium maximè promouent, Vitæ continentia, Abdicatio omnium, Manſuetudo. Quæ, ſi quis velit parumper aduertere, Apoſtolis & à Domino commendata, cùm prædicando Euangelio inſtituerentur, & ab ipſis diligenter ſeruata comperiet. Atque impudicitiæ quidem labes manifeſtè contemptum parit. Nihil enim perinde homini philoſopho ita ignominiæ ac dedecori eſt, ac more pecudis libidini proſterni. Et quidem in omni doctorum aut magiſtratuum

gradu

gradu ita res haberet in Euangelico viro, qui vitam totam ſupra humanam ac penitus cœleſtem inſtituit, id dedecoris dici non poteſt, quantum offendat oculos, quàm reddat abiectum, & aſpernabilem. Quam ob cauſam, vt ego ſanè opinor, etſi ſunt alia grauiora crimina, nulla tamen ab antiquis patribus grauius animaduerſa in homine Eccleſiaſtico, vt qui priſcos canones legerit, meritò miretur ob ſemel admiſſum ſtuprum, irrecuperabiliter de omni ſacerdotali gradu & miniſterio Eccleſiaſtico depelli conuictum. Idcirco Apoſtolus Paulus & toties & tantopere Diſcipulos Timotheum & Titum, in quibus Eccleſiæ magiſtros informat, caſtitatis cuiuſdam perfectæ admonet. In omni caſtitate, inquit, & rurſus. Te ipſum caſtum cuſtodi. Et alibi, Te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Vt enim nihil conteptum ita ingenerat præceptoris vt turpitudo iſta, & ſordes, ita nihil eſt quod magis admirabilem reddat, atq; perfecta quædam & omni etiam ſuſpicione libera pudicitia. Admirantur, inquit, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem. Virtutis cuiuſdam cœleſtis id eſſe homines opinantur, quod noſtri barbari, vbi fortè intuentur, adeò ſuſpiciunt, vt vix credant. Cũ quadam in vrbe in foro clericum concionantem inter cæteros audiſſet Curaca quiſpiam Indorũ, & ſermonis ardorem ac vim admiratus eſſet, conuerſus ad Hiſpanos, quæſiuit Quænam ratio hominis, & quod inſtitutum eſſet? Cùm reſpondiſſet quiſpiam, Hominem eſſe ſanctum, qui ſalutem ipſorum tantummodo quæreret. Perrexit vltra quærere, vtrum delicijs, opibuſue vacaret,

1.Tim.5.

Ibidem.

Tit 2.

1.Pet 4.

cùm eſſet reſponſum minimè iſthæc ab illo quæri, ſubdidit barbarus: Cur ergo non alio vtitur habitu ac veſte, vt genus vitæ declaret. vide obſecro quàm apud illū laborarit ordo Eccleſiaſticus. Atq; vtinam ſolus eſſet. Quemadmodum verò impudicitiæ fœditas deſpicabilem reddit prędicatorem, ita auaritiæ ſordes faciunt odioſum. Atq; haud ſcio an quicquam aliud magis audiē-
1. Tim 6. tium animos à verbo Dei auertat, & alienet, dū
Sap 15. pietatem quæſtum putant, & ſicut ſcriptum eſt, vitæ conuerſationem compoſitam eſſe ad lucrū. Quam profeſſionis Euangelicæ peſtem Chriſtus Dominus à prædicaturis diſcipulis diligentiſſimè amolitur. Nolite poſſidere aurum, neq;
Matth. 10. argentum, neq; pecuniam in Zonis veſtris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calciamen-
Luc. 9. ta, neq; virgā, dignus eſt operarius cibo ſuo. Gratis accepiſtis, gratis date. Quàm expreſsè, quàm diligenter, quàm etiam minutim inculcatum? Cibum ſolum Euangeliſtę ſuo Dominus permittit, & quidem vt prædicationis non ſit cauſa,
Matth. 6. ſed fructus. Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Sed ne ipſum quidem cibum Paulus excellentiſ-
1. Theſ. 2. ſimus Prædicator admittit, ſed laborat manibus ſuis, ne quem grauet, vt ſine ſumptu ponat Euan-
1. Cor. 9. gelium, & gloriæ ducit quod nemini oneroſus ſit, cùm poſſit oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtolus.
2. Cor. 11. Animaduertebat optimus Architectus & ſapiens fabricam Euangelij magnopere quauis commodi ſpecie etiam iuſti, etiam neceſſarij, vel impediri, vel certè retardari, ob eam rem eligebat potius mori, quàm vt gloriam hāc ſuam, id eſt, fru-
1. Cor. 9. ctum Euangelij copioſum perderet. Quāmobrē

præ

præ omnibus Apoſtolis non ſolùm amplius labo rauit, ſed multò etiam vberius fructificauit. Ingenerat re vera expoliatio hæc Euangelica animis hominum admirabilem quandam vim amoris, vt quem tuis commodis inſudantem videas, oblitum ſui, rem propriam negligentem, hunc totis viſceribus complectaris, tanquam ſyncerè & paternè tua curantem. Quare cupiditatem omnem, & turpe lucrum principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, in Eccleſiæ miniſtris ſæpè & grauiſſimè deteſtantur: Si qua ergo plaga dolenda eſt in hac cauſa, auaritia eſt. Quid enim non agat mali auri ſacra fames? 1. Cor. 15. 1. Pet. 5. Tit. 1.

Quantum officiat Fidei violentia.

CAP. XIII.

SEd præter hæc incommoda, ipſa Fidei primordia ex multa nocendi licentia non mediocre damnum accepêre. Atque vt ſtirps primis initijs nata peruersè, & inflexè non facilè mox vitium deponit, cùm creuerit, ſed aut perfringi, aut natiuo ſuo errori permitti debet, ita prorſus cùm Indorum natio bellici apparatus potius authoritate, quam germana prædicatione magna ex parte initio Chriſtum acceperit, dubitare non poſſumus, quin animo conceptum metum, & ſeruilem conditionem non ingenuè in filios Dei tranſlata per regenerationem, adhuc retineat, ac rebus ipſis, vbi ſibi impunè licere putat, oſtendat. Nihil enim ita fidei ſuſceptioni aduerſatur, atque vis omnis, & violentia. Non enim eſt fides niſi volentium, vt prouerbij loco ſit illud Auguſtini, cætera poſſe hominem etiam nolentem, credere non niſi volentem. Quamobrem man- Aug. tract. 16 in Ioan.

 ſuetudo,

ſuetudo,& ſuauitas vel præcipuè commendatur
Tit. 3. Euangelicis viris. Omnem, inquit, oſtendentes
2. Tim. 2. manſuetudinem ad omnes homines. Et alibi. Cũ modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam, & reſipiſcant. Et Iacobus Apoſtolus monet, in manſuetudine ſuſcipere inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas noſtras. Quoniam ergo voluntarium eſt ac liberum cuique obedire Euangelio credendo, neque fides per vim extorta aliorum poteſt eſſe, quàm dæmonum, ſuauiter ac beneuolè ducendus eſt, non protrudendus auditor. Hinc diuinus præceptor miſſurus ſuos ad Euangelizandum exorditur, Ecce ego mitto vos ſicut agnos in medio luporum. Ac vide Domini magnificentiam, ab agnis lupi ſuperati ſunt, ac depoſita feritate in eundem ſe gregem adiunxerunt. Quando obſecro ferocia potentium minis cederet? Quando orbis domaretur vi? Tacendo, tolerando, benemerendo de inimicis, vicerunt Chriſti milites, non cædendo, non terrendo non minitando. Quod ſi non receperint Euangelium, quid præcipis Domine? Iubebunt ne ignem de cœlo deſcendere? ruinæ tradent ciuitatem? Neſcitis, inquit, cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit perdere, ſed ſaluare. Quid ergo? ſi non receperint vos in iſta ciuitate, ite in aliam. Quàm benignè? quam dulciter? Itaque qui ſponte Euangelio cedunt, verè cedunt, fidē corde concipiunt, & ore confitentur, & fixi manent, & toti Dei ſunt, non partim in Deo, partim in Baal claudicantes, ſpecie & voce Chriſtiani, animo, & re infideles. Id enim conſequatur neceſſe eſt, vbi contra naturam ſuam, contra

Iacob. 1.

Iacob. 2.

Matth. 10.

Lucæ 9.

Domini

Domini voluntatem, Fides extorquetur inuitis.

Qualis in religione Chriſtiana magna ex parte ſit natio Indorum.

CAPVT XIIII.

AC mihi quidem videtur res Indorum perſimilis antiquæ Samaritanorum hiſtoriæ, quã in 4. lib. Regnorum legimus, vbi terrore ac metu ferarum incurſantiũ perculſi habitatores petierunt Dei ſacerdotem, qui Dei legem doceret. 4. Reg. 17. Cùm veniſſet igitur, ait, vnus de ſacerdotibus his qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos, quomodo colerent Dominum. Et mox poſt enumeratas ſuperſtitiones varias illorum adiungit. Et cùm Dominum colerent, Dijs quoq; ſuis ſeruiebant, iuxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam, vſque in præſentem diem morem ſequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque cuſtodiunt ceremonias eius, atque iudicia & legem, & mandatum & cętera. Poſtremò concludit: Fuerunt igitur gentes iſtæ timentes Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes. Nam & filij eorum, & nepotes ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſq; in præſentem diem. Non puto totum noſtrorum Indorum habitum, & religioſitatem deſcribi potuiſſe, vel plenius, vel elegantius. Et Chriſtum colunt, & dijs ſuis ſeruiunt: & timent Dñm, & non timent: vtrumq; enim confirmat ſcriptura diuina. Timent ore tenus, timent dũ inſtat Iudex, aut presbyter, timẽt deniq; ſimulatoriam Chriſtianitatis ſpeciẽ pręferentes: non timent animo, non colunt ſeriò, neq; corde

credunt ad iuſtitiam. Quid plura? Filij, & nepotes eorum, ſicut fecerunt patres ſui, ſic faciunt vſque in præſentem diem.

Nihilominus veræ Fidei, ac ſalutis apud Indos ſpem eſſe magnam, alienumq́ue eſſe à Dei ſpiritu contra ſentire.

CAPVT XV.

EN noſtrorum temporum Samaria: vbi Chriſtus habitat cum Socot Benot Babylonio, cũ
4. Reg. 17. Nergel cuthæo, cum Aſima, cum Nebahaz, & Thartac, & Adramelech, & Anamelech, & quibuſcunque alijs portentis Deorum. Vbi non tam colitur cum alijs, quàm iniuriam ſuam, & contumeliam ferre quodammodo cogitur, Dæmonibus conſociatus, & eorum honores conſortio ſuo cumulans. Sed non ſunt ideo Samaritani noſtri auerſandi, non ſtatim deſperandi. Et Samariæ quoq; recordabitur Dominus: & erit, cùm
Actor 8. accipiat verbum Dei, & Simone relicto Philippum audiat, Petrum ac Ioannem prædicatores
Ioan 4. mereatur. Erit cùm dicat, Et nos credimus, quia hic eſt verè Saluator mundi. Omnino Samaritanis quoque ſui ipſius copiam facit Chriſtus,
Ibidem. & oſtendit ſuis regiones iam albas ad meſſem, & laborem fœlicem pronuntiat, & fructum copioſum pollicetur in vitam æternam. Cur ergo ſpem abijciemus? cur Iudæorum ſupercilio Samaritanos procul abire iubebimus? ac non ma-
Coloſſ. 1. gis Dominum illiuſq; Apoſtolos imitantes Euangelium proferemus? & quod in toto mundo fructificat, & creſcit, & hic in terra arida, & inuia aliquando tandem fructificaturum credemus?
Eſaiæ 35. Nam quæ erat ſitiens, erit in fontes aquarum,

quia

quia ſciſſæ ſunt in deſerto rupes, & in flumina eruperunt. Veniet, veniet prorſus tempus ſuum Samariæ: & qui prius in mandatis acceperant, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, audient poſtea Dominum præcipientem: Accipietis virtutem Spiritus ſancti ſuperuenientis in vos; & eritis mihi teſtes non ſolùm in Iudæa, ſed in omni etiam Samaria, & vſq; ad vltimum terræ. Ac mihi ſanè perſuaſum eſt, neq; inde poſſum reuocare ſententiam, & ſi aliquanto ſerius, & laborioſius, & parcius fortaſſe pro initijs, tamen aliquando Spiritus ſancti benignitate, Indorum gentes fore, vt in Euangelij gratia multum locupletentur, & vberes corā Domino Sabaoth fructus ferant. Neq; verò alias ego difficultates perpendo aut timeo, quàm operariorum fidelium, & prudentium in Christo magnam inopiam cum magna profectò copia mercenariorum, & eorū qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Igitur ſi Dominus veros operarios miſerit in meſſem ſuam, operarios inquam inconfuſibiles, rectè tractantes verbum veritatis, quos hæc natio hominum, non ſua quærere, ſed ſe perſpiciat, qui libenter filijs theſaurizent, inſuper & ſeipſos impendere pro animarum ſalute promptiſſimi ſint, quibus adeo chari ſint filij ſpirituales, vt non ſolum Euāgelium Chriſti, ſed ipſa quoque viſcera tradere ament, qui probati à Deo ita loquantur, vt non quærant hominibus placere, ſed Deo, qui probat corda, quorum ſermo non ſit in ſpecie adulationis, neque in occaſione auaritiæ, deniq; qui non ſuam, ſed Dei gloriam ſynceriſſimè quærant: tūc planè manipuli pleni in area Chriſti colligētur,

Matt. 10. *Actor. 1.* *2. Tim. 1.* *Philip. 2.* *2. Cor. 12.* *1 Theſſ. 2.*

tunc conſumpta ſterilitate, lætiſſimæ ſegetes ſurgent, & congregabuntur in vitam æternam. Patientia interim opus eſt, & fideli ad Deum oratione, vt mittat operarios ſuos. Neq; leuiter hæc & temerè pronuntiata quiſquam putet: ipſa rei experiētia locuples teſtis eſt. Sunt homines Dei, rari illi quidem, ſed ſunt certè, qui exemplo ſuo comprobauerunt Indorum perniciem non ex ipſis eſſe, qui nacti fideles, ſtrenuos, ac prudentes ſacerdotes ac duces, ſentiunt planè doctrinæ diuinæ vim, & vita ipſa reſpondent, paulatim quidem vt ſolent omnia, ſed tamen accipiunt ſemē,
Marc. 4. & vltrò fructificant primùm quidem herbam, id eſt externum religionis cultum, deinde ſpicam intelligentiæ, & affectus qualiſcumq;, poſtremò plenum frumentum in ſpica, hoc eſt Fidem iam plenè per dilectionem operantem dignè Deo. Neque enim ſumma incrementa exigenda ſunt vno ſtatim die. Quod ſi quæ à Catholico Rege, & illius ſenatu (pro magno Chriſtianę religionis ardore, & ſtudio ſalutis Indorum) edicta manarunt, rei fortuniſque iſtorum bene ac ſapienter proſpicientia tam diligenter ac fideliter executioni committantur, quā ſunt neceſſariò procurata, non ſolū facilis, & iucunda; verùm etiā fructuoſa admodum futura eſſet breui Indicæ ſalutis adminiſtratio. Et tamen vtcumque res hactenus ſe habuerit, non tam malè habet, quin multa Indorum millia Chriſto lucrifiant: atq; vbi qui-
3 Reg. 19. dam Heliæ ac nimij zelatores omnes Indorum
Rom. 11. gentes poſt Baal ſuum abire conqueruntur, omnes retinere Guacas ſuas, & ſuo Zupai ſeruire clamāt, ibi reliquit ſibi Dominus pluſquam ſeptem millia, qui non curuant genu ante Baal, ibi
& Ab-

& Abdias interdum eſt, etiam Prophetiæ dono cumulatus. Nouit Dominus qui ſunt eius, omnes gentes ſeruient ei. Quæ cùm ita ſint, nō eſt Chriſtiani pectoris, ſed à Chriſti ſpiritu aliẽniſſimi, homines inde auocare, & à negotio gerendo dehortari: cũ difficultates omnes quantæcũq; ſint, Dei præcepto, & gratia ſuperiores eſſe non poſſint, fructuſque animarum, vt parciſſimè ſuccedat in tam infinita multitudine non poſſit non eſſe copioſus, & merces apud Deum multò maxima. *2 Tim 2.* *Pſal.58.*

Quòd etiam in præſentia labore miniſtrorum fructus animarum ſit longè maior.

CAP. XVI.

AC fructum Euangelicæ prædicationis nos quidem animarum multitudine metimur, ſicut ſcriptum eſt, In vnum colligam reliquias Iſraël, pariter ponam illum quaſi gregem in ouili, quaſi pecus in medio caularũ, tumultuabũtur à multitudine hominum. Ipſe tamen Dominus dicit multos eſſe vocatos, paucos verò electos, multos ad Euangelium, & nuptias inuitatos, paucos dignos ſe conuiuio præbuiſſe. Quod ſapiẽter reputans Paulus ſibi quoq; ipſi timet, & non contentus tam raræ vocationis ſuæ gratia, corpus adhuc caſtigat, & domat, ne prædicans alijs reprobus ipſe efficiatur, neq; nos hoc conſilij vllo modo ignorare patitur. Vt cùm antiquos patres tot ac tantis beneficijs cumulatos videamus, & baptiſmo figuratiuo lotos, & menſa Domini ſpiritua li communicatos, & tamen ex tot millibus hominum vix vnum, aut alterum bene placuiſſe corã Domino, quibus iratus iurauit, ſi introibũt in requiem *Mich.2.* *Matt 22.* *Luc.14.* *1.Cor.9.* *1.Cor.10.* *Heb.4.* *Pſal.94.*

quiem meã: nos quoq; timeamus, neq; nobis ipſis de accepta iam gratia placeamus, & dũ ad correctionem noſtram ſcripta illa omnia intelligimus, qui nobis videmur ſtare in gratia iſta Euangelij, omnibus modis caueamus, ne inde excidamus. Nam & ſemen recipi, & exoriri parum prodeſt, quando vel ſolis iniuria, vel ſpinarum improbitate corrumpitur. Pauci ſunt re vera, qui ſaluantur: neq; ſemper multiplicata gente, magnificatur ſtatim lætitia. Sed & ſi fuerit multitudo filiorum Iſrael, vt arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Tota enim electorum ciuitas magna quidem ipſa per ſe, ſed cùm numeroſitate filiorum ſæculi huius comparata, exigua eſt: vt veriſſimè à ſanctis Prophetis, reliquiæ ſaluæ eſſe dicantur, veluti ex magno aliquo aceruo, aut copioſo conuiuio. Hæc eò pertinent omnia, vt inanis quorundam opinio refellatur, qui iuſtitiam Dei ignorantes, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Hi tum demum meſſem vberem, & fructum copioſum ſibi cogitant, cùm ad votum ſuccedunt omnia, atq; hominum myriades lucro ſuo vix ſufficere putant: quorũ, vt eſt laudanda voluntas, ita corrigenda ſententia: ne ſi gloriam Apoſtolicam æmulentur, & primitias Euangelij, quicquid inferius eſt, aut minus amplum, ſterilitatem, & inopiam arbitrentur. Contentus certè eſſe debet operarius, ſi in vineæ labore & fructu, Domini atque hæredis voluntati ſatisfactum ſit. Sed vt lucra Euangelica ipſa multitudine metiamur, equidem non intelligo, cur labore, & opera miniſtrorum non longè maior apparent fructus ſalutis Indorum. Nam vt ea afferam, quæ omnes norunt, quæque ipſi cau-

Matt.13. Luc.13. Eſai.9. Iſai.10. Oſe.1. Rom.9.

ipſi cauſæ Indorum infeſtiſſimi confitētur, profectò, & renaſcentium, & in Chriſto morientium turba non poteſt non eſſe plurima. Quot enim infantium millia quotidie de interitu æterno eripiuntur ſalutari lauacro? qui empti ſtatim de terra teneri Chriſti ſanguinis fœtus Deo immaculati offeruntur. Etſi enim frequens eſt vbique infantulos recentes ab vtero extingui, ob quam cauſam Ariſtoteles ſcribit gentium fuiſſe conſuetudinem, non ante nomen imponere quā octauus dies veluti iam victurum puerum renunciaret, quòd primo dierum ſeptenario vix vitæ nomine dignus haberi poſſit, propter naturæ inconſtantiam: tamen, vt quorundam opinio fert, neſcio quo cœli, aërisve occulto tactu in tota prope regione duobus circulis Tropicis comprehenſa, multò frequentiſſimum eſt, recens ortos pueros ante paucos dies interire, vt vix auſim dicere, vtra portio ſit maior abeuntium, an permanentium. Quos omnes cùm ſibi Chriſtus amator paruulorum ſacro ſui ſanguinis fonte purgatos lucrifaciat, quis nō vel integrum hoc vniuerſi laboris Indici operępretium ducat? Ipſos grandiores intueamur, Illud firmū eſt diuinæ legis oraculum, in vltimo agone vitę, de tota cauſa pronuntiari: vt quem mors iuſtificatum inueniat, huic non admodùm obſit vitæ ſuperioris iniquitas. Atque de Indorum gente hæc plurimorum ſententia eſt, eorumque maximè, qui diutius cum ijs verſantur, vrgente metu mortis, pleroſque ſacerdotem protinus ſibi vocare, Patrem adeſſe obnixè petere, peccata ſua dolenter, & ſeriò confiteri, magna Fidei, & pœnitentiæ indicia præbere, idque cùm liceret illis,

In lib. de hiſt. Anim.

lis, vel ſine teſte res ſuas agere,& pro arbitratu componere. Quem eorum animum cùm à nonnullis audiſſem, & aliqua ex parte ipſe quoq; expertus eſſẽ, quæſiui tamẽ diligẽtius ex alijs, quos experientiores iudicabã, & minus cauſę Indorũ affectos: & quamuis non pauci eſſent præcipuè inter Satrapas, & Curacas ac vetuſtiores Indorum, qui etiam tunc infidelitatis ſuæ ſigna proferrent, tamen pleroſque, vt dixi, ita ſe comparare omnium teſtimonio comprobaui. Quæ vna res magnam profectò ſalutis Indorum ſpem facit: propterea quod certum eſſe videtur internæ fidei & religionis indicium, eo tempore pœnitentiam Eccleſiaſticam exoptare, quo maximè veritatis & ſenſus intimi ratio haberi ſolet, vtpote nulla iam fictionis aut metus cauſa reſtante. Quocirca narrabat Epiſcopus Popaianenſis, cùm ipſe iam olim in partibus Mexicanis ſimul cum alijs ſui ordinis viris verſaretur (erat enim Auguſtinianæ familiæ) vehementer admirari ſe ſolitum illorum Indorum fidem, qui iam extremo morbo laborantes, & morti propinqui à ſuis ſe portari præciperent ita vt erant decumbentes lectulis aut quas Hamacas vocant, longo itinere ſex aut ſeptem interdum etiam pluribus milliarijs confectis vſque ad ſacerdotem aut monachum, vt fieret ſibi copia confitendi peccata, adeò vt in ipſa via iacentes horum non pauci patris præſentiã præſtolantes occurrerent, interdum in ipſo itinere extinguerentur. Ac reuera credendum eſt horum non mediocrem turbam pro ſua pietate ac fide, ſalutari pœnitentia remiſſionem conſequi apud benignum Deum, atque ad vitam migrare perpetuam. Primùm,

quòd

quòd quibus minus naturalis talenti donatum eſt, ab ijs iuxta Saluatoris ſententiam, minus requirendum ſit, exiguo quippe conceditur miſericordia. Deinde iſtorum crimina vt plurimũ, non eius generis ſunt, vt inexorabilem ſibi reddant Deum, atque in ipſo interitu vetera vlciſcentem, cuiuſmodi ſcripturæ prædicãt maximè peccata in Spiritum ſanctũ, ex certa malitia perpetrata. Peccant enim pleriq; vel ignorãtia, vel carnis infirmitate incitati, quibus ſi ebrietates, & ſcortationum flagitia adimas, vix quicquã reliquum ſit. Poſtremò, neq; reſtitutionibus rei alienæ, neq; iniurijs, aut inimicitijs impediuntur, neq; obſtinatione quadam ſcelera perpetrandi; cùm vix auaritiæ, aut violentiæ apud eos ſenſus ſit. Quibus omnibus rebus meritò adducimur, vt de iſtorum extrema ſalute nõ parum ſperemus, eius præſertim intuentes clementiam, qui pauperis, atq; inopis oblationem licet exiguam non contemnit. Mihi verò perſuadeo, vt de iſtorum miſerorum confeſſione, & pœnitentia melius ſentiam, quàm de multorum ſæculi huius potentium ac ſapientium in extremo vitæ ſpiritu ingenti apparatu, & pompa, etiam ſi ſacerdotum longo ordine cingantur, & de malè partis diuitijs magna legata Eccleſijs relinquant. Solus ille, qui nouit omnes, ſcit vnde plures ſaluifiant. Sępe quod altum eſt hominibus, abominatio eſt ante Deum. Nemo igitur iudicet alienũ ſeruum, neq; ſtulta & ignobilia mundi contẽnat. Itaq; vbi operariorum non cernimus vſq; adeò magnos ſudores pro Chriſto, non poſſumus terræ ſterilitatem accuſare, ſiquidem in tanta deſidia miniſtrorũ hos certè fructus videmus, viſuri

Luc. 12. Sap. 6. Prou. 1. Hier. 7. Eſai. 65. Luc. 16.

ſuri ſine vlla dubitatione longè cumu atiores, ſi modò dignitati Euangelij reſponderit dignitas miniſtrorum. Neque verò pro paruo ducendum eſt, quod expulſo Diabolo Chriſtus regnat, ac pro nefarijs, & impuris idolorum cultibus Eccleſiaſtica ſacramenta celebrantur; quòd veneficiorum, flagitiorum, parricidiorum quotidie decreſcat furor, neq; audeat ſcelus impune graſſari. Tremit Satanas ſe pulſum, & quantis poteſt viribus, agit, vt liceat redire ad priſtinam domũ
Matt. 12. iuxta Euangelium. Iccircò vacuam Chriſti miniſtris optat, & dolens ſe ſpoliari antiquiſſima hæreditate, in omne ſelatus vertit, cui nomina mille, mille nocendi artes, vt ſeruis Chriſti perſuadeat vanos, & inutiles ſuos eſſe labores, vt torpore ac deſperatione ſuperati relinquant diſſipatas Chriſti oues, ab immaniſſimo lupo protinus trucidandas. Sed ſtat Dominus pro populo
Matt. 12. ſuo, & clamat: Qui non colligit mecum, diſpergit, & qui non eſt mecum, contrà me eſt. Adhuc monet, adhuc hortatur leuare oculos, & videre
Ioan. 4. regiones albas ad meſſem: vt qui ſe minat, ſimul gaudeat, & qui metit.

Patientia, & labore effici, vt copioſi fructus ex hoc agro Dominico colligantur.

Cap. XVII.

Ioan. 4. Illa verò Dñi ſententia comprobantis in hoc eſſe verbum verum, quia alius eſt, qui ſeminat, & alius eſt, qui metit, ſatis nos confirmare, & cõſolari deberet ſi pro diligentia ſeminandi ſalutis verbum, nõ apparet illicò fidei, & charitatis fructus aſſurgere. Fieri enim poteſt, vt ſementis facien-

iaciendæ præſens tempus ſit, futurum aliquando certè meſſis colligendæ. Apoſtoli in Prophetarum labores introiſſe dicuntur, neque tamen, vel hi, vel illi ſibi fructificarunt, ſed Deo, qui nouit opportuna tempora iuxta ſapientis ſententiam vnicuiq; negotio. Hominis autem afflictio multa eſt propterea quod futura ſcire non poteſt. Sed tamen & qui arat, in ſpe debet arare fructus percipiendi, & huic ſuæ ſpei, etiam ſi dilata affligat, debet nihilominus patientiam & longanimitatem adhibere. Ecce agricola, ait Iacobus Apoſtolus, expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum, patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra. Abraham longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem. Ac ferè omnis hiſtoria, omnis ſermo diuinus eò maximè tendit, vt per patientiam ſcripturarum ſpem & conſolationem habeant, qui laborant quidem, ſed laborum ſuorum emolumenta non vident. Nihil magnum, nihil gloria dignum ſine patientia vnquam peractum eſt. Ipſos Romanos rerum dominos patientia maximè & tolerantia, orbis potitos, non ſolùm profanæ, verùm etiam ſacræ literæ commendarunt. Neque tam fuit admirabilis potentia in proſpera, quàm in aduerſa fortuna conſtantia. Non videmus nos modò naſcentis Eccleſiæ difficultates à Chriſtianis orti, inter ſolos Chriſtianos educati. Certè fides vbi nunc firmiores altioreſque radices egit, ibi initia habuit longè difficillima. Non igitur ſementis Euangelicæ fruges ex præſentibus tantummodo metiendæ ſunt. In lege ſanè ſcriptum legimus: Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueri-

Eccl. 8. *1 Cor. 9.* *Prouerb. 13.* *Iacob. 5.* *Heb 6.* *Rom. 15.* *1. Mach. 8.* *Leuit. 19.*

tis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorũ, poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt. Fortaſſis in terram nuper ingreſſi ex plantatis lignis nondum poma matura atq; elui apta decerpimus: fortaſſis fides Indorum nondum fructus ſatis famé prædicatorum dignos edidit: adhuc præputia auferenda ſunt: adhuc multus priſtinæ infidelitatis guſtus eſt. Sed quid agimus? ita ne ſemper futurum eſt? Imò verò poſterorum ſaltem generatione quis dubitat fructus diuino conſpectu dignos, omni vetuſtatis ſapore abolito, exorituros? Erunt nati parentibus feliciores, quod experientia ſatis docet, erunt fidei magis idonei paterna ſua ſuperſtitione minus imbuti, religioni diligentius innutriti. Neq; video cur quiſquam contra nobis ominetur infauſta. Natio nulla eſt hominum obſequentior, nulla ſubiectior. Ingenio nequaquã duro & obtuſo, imitandi quicquid viderint, mirè cupidi. In quibus potentiam & regendi authoritatem conſpiciunt, nimium venerabundi, dicto citius obſecundantes. His moribus Indos eſſe præditos, quicunque vel exiliter expertus eſt, non ignorat. Si ergo magiſtros nacti ſint ſtrenuos, Chriſti charitate ferventes, qui bono exẽplo, ac ſana doctrina greges ſibi commiſſos ſolicitè paſcant, quid non ſperandum eſt, diuina in primis, quæ non deeſt ſuis, gratia aſpirante? Sed quoniam omnia hic aſpera, omnia aduerſa narrantur, vel certè exiſtimantur à multis, oſtendam labore & patientia cuncta ſuperari, & de deſpe-

ratis atque ærumnoſis initijs in lætiſſimos exitus ſolere conuerti. Oſtendam verò non tam rationibus, quàm exemplo Patrum, quod efficacius perſuadet. Ac placet paulò fuſius referre, quæ de ſancto Malachia Epiſcopo coætaneo ſuo B. Bernardus ſcribat, cùm primùm creatus eſt Paſtor Connereth, quæ ciuitas eſt in Hibernia. Cũ cœpiſſet, inquit, pro officio ſuo agere, tunc intellexit homo Dei, nón ad homines ſe, ſed ad beſtias deſtinatum. Nuſquam tales expertus erat in quantacumque barbarie, nuſquam repererat ſic proteruos ad mores, ſic ferales ad ritus, ſic ad Fidem impios, ad leges barbaros, ceruicoſos ad diſciplinam, ſpurcos ad vitam. Chriſtiani nomine, re pagani. non decimas dare, non primitias, non legitima inire coniugia, non facere confeſſiones, pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inueniri. Miniſtri altaris pauci admodum erant, ſed quid opus pluriũ, vbi ipſa paucitas inter laicos propemodum otioſa vacaret? Non erat quod de ſuis fructificarent officijs in populo nequam. Neq; enim in Eccleſijs, aut prædicantis vox, aut cantãtis audiebatur. Hoc ſtatu, his moribus nemo opinor cauſæ Indicæ tam iniquus ſit, qui nõ fœliciorem, vel potius minus infœlicem prouinciã iſtam noſtram agnoſcat. Sed pergamus audire, quod optimi Chriſti miniſtri in tã perdito populo officiũ fuerit. Quid faceret, inquit, athleta Domini? aut cedendum turpiter, aut periculosè certandum. Sed qui ſe paſtorem, non mercenarium agnoſcebat, elegit ſtare quàm fugere, paratus & animam dare pro ouibus, ſi oporteret. Et quanquam omnes lupi, oues nullæ, ſtetit intrepidus in medio luporũ, omnimodis ar-

In vita Malachiæ cã. 6.

gumentoſus, quomodo faceret oues de lupis: Monere communiter, ſecretò arguere, flere per ſingulos, nunc aſperè, nunc leniter conuenire, prout cuiq; expedire videbat. In quibus minus hæc profeciſſent, cor contritum, & humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas peruigiles duxit, extendens manus in oratione? Et cùm venire ad Eccleſiam nollent, per vicos, & plateas occurrebat inuitis, & circumiens ciuitatem quęrebat anhelus, quem Chriſto acquireret. Sed horum conatuum exitum forſitan quis expectet? Vbi ergo Bernardus iniurias, & difficultates pro Chriſto multas à B. Malachia tolleratas narrauit,

Matth 7. adiungit: Perſeuerauit pulſans, & ſecundũ pro-

Luc. 11. miſſionem tandem aliquando pulſanti apertum eſt: Ceſſit duritia, quieuit barbaries, & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correctionem admittere, recipere diſciplinam. Fiunt de medio barbaricę leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur vbiq; Eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ reijciuntur, reædificantur Baſilicæ, ordinatur Clerus in illis, ſacramentorum ritè ſolemnia celebrantur. Confeſſiones fiunt, ad Eccleſiam conueniunt plebes, concubinatus honeſtat celebritas nuptiarum. Poſtremò ſic mutata in melius omnia, vt hodie illi genti cõueniat,

Oſe. 2. quod Dominus per Prophetam dicit, Qui ante non populus meus, nunc populus meus. Hactenus Bernardus de S. Malachia, quæ tam fusè recitata ſunt, vt in cauſa ſimili, imò longè deteriore induſtriam atq; operam boni militis Chriſti diſcamus, & fidei ac perſeuerantiæ certiſſimos atq; vberrimos fructus contemplemur, ne noſtra diſſimulata inertia inculti ac ſyluoſi ſoli ſterilis

natura

natura culpetur. Alterum quoq; exemplum eodem pertinens quamuis alia ratione ex hiſtoria Bedę probata afferamus. Is lib. 2. Anglicarum rerum refert Mellitum olim à magno Gregorio cum Auguſtino miſſum, propter ſæuientis regis iniurias & plebis exiguum numerum pulſum propria ſede Cantuam veniſſe, vt cum Laurentio & Iuſto coëpiſcopis ſuis tractaret, quid facto opus eſſet. Decretumque communi conſilio ſatius eſſe, vt omnes in patriam redeuntes libera ibi mente Domino deſeruirent, quàm inter rebelles fidei barbaros ſine fructu reſiderent. Itaq; Mellitus & Iuſtus in partes Galliæ receſſere. Cũ verò Laurentius eos iã ſecuturus, ac Britanniam relicturus eſſet, iuſſit ipſa ſibi nocte in Eccleſia B. Apoſtolorum Petri & Pauli ſtratum parari: in quo cùm poſt multas preces, & lachrymas ad Deũ pro ſtatu Eccleſiæ fuſas, obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum princeps, & multo illum tempore ſecretæ noctis flagellis arctioribus cædens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem & mortem crucis ab infidelibus etiam inimicis Chriſti ipſe cum Chriſto coronandus pertuli? His B. Petri flagellis ſimul, & exhortationibus animatus, atq; eruditus Laurentius, manere decernit, ſocios ex Gallia reuocat, Regem ſibi hactenus infeſtum adit, oſtenſis vulneribus flectit, Deo lucratur, gentis totius ſalutem ad finem vſq; multa cum alacritate procurat, & perſeuerantiæ

Lib. 2. cap. 5. & 6.

tandem meritis impetrat. Sola nimirum eſt, quæ coronatur perſeuerantia. Quibus profectò documentis ſatis Chriſti milites admonentur certare vſq; ad mortem, & in rebus aduerſis diuino auxilio freti, conſtanter ſperare victoriam. Noſtrum eſt pugnare pro viribus, Dei autem, qui bella conterit, vincere. Dei agricultura eſt, Dei
1. Cor. 3. ædificatio eſt: & neq; qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: vnuſquiſque verò ſecundùm laborem ſuum, mercedem accipiet.

Quod non ſolùm futuri fructus ſpes ſit; ſed præſentis etiam ſatis magni certa documenta teneantur.

Capvt XVIII.

Atque hæc ferè ita à me diſputata ſunt, tanquam de Indorum gente ad Euangelij veritatem perducenda, tenuiter, & anguſtè ipſe quoque ſentirem, neq; præclari alicuius fructus ex his laboribus colligendi ſpem vllam certam tenerē. Quod quanquam his gentibus, quibus valde me fauere profiteor, non ſolùm parum honeſtum; verùm etiam, vt quidam noſtri rectè admonent, prorſus iniquum, & iniurioſum eſt, attamē libenter facio, quod malim in cauſa Indorum aſſe eum modeſtus defenſor, quàm nimius laudator exiſtimari. Vt enim omnes nationes hæ, quæ magno Oceano ambiuntur, ita eſſent barbaræ, abſurdæ, inhumanæ, ingratæ, leues, obtuſæ, Euangelio denique, & omni ſpirituali negotio ineptæ, quemadmodum plerique mercenariorum calumniantur, tamen ipſa illorum teſtificatione eſſe-

ne effectum eſt certè hactenus, vt tot gentium ſalutem nullo modo deſperare debeamus, neque verò ſalua rerum fide poſſimus. Itaque quamuis verum eſſet, quod ſumunt ſalutis Indicæ oppugnatores, tamen quod maximè volunt, minimè efficiunt. Ego verò ſi planè quod ſentio dicturus ſum, immeritò prorſus in cauſa Euangelij harum gentium ingenium naturamque accuſari nullo modo dubito, atque equidem certus ſum, ſi Euangelij introitus in has regiones is extitiſſet, quem Euangelij conditor maximè docuit, non alios illius progreſſus futuros fuiſſe, quàm quos in prima, & Apoſtolica Eccleſia legimus. Nam ſi poſt talem noſtrorum hominum corruptionem, Chriſtum tamen colunt, & ſi quando magiſtrum præfectumve paulo modeſtiorem nacti ſunt, mirificè, & auſcultant, & colunt, & ſeipſos quauis cera molliores præbent, & quicquid præclari, atque honeſti vident, imitari contendunt, quid Deus bone, futurum fuiſſe arbitramur, ſi ex ipſis prædicationis exordijs ſpecioſos Euangelizantium pacem pedes conſpexiſſent, ſi ſe ſolos Chriſto, non ſua quæri, & verbis, & rebus ipſis didiciſſent? Noſtræ certè minimæ ſocietatis Patres, qui in his Peruenſibus regionibus annos iam octo verſantur, & harum gentium mores experti ſunt, tum miſſiones diuturnas multaſque obeundo, tum eorum Parochias propriè ſuſcipiendo, tum verò ſine Parochi munere continenter cum his agendo, omnibus prorſus modis ſeſe fructus opinione maiores inueniſſe tam ſeriò teſtificantur, vt Deum inuocent in animam ſuam, ſi non ita res ſeſe habeat. Quidam etiam in primis inter noſtros graues, &

maturi viri ſe nuſquam, neque faciliores, neque meliores Euangelij ſegetes vidiſſe, ſcriptis literis cõfirmarunt, qui tamen, cùm ex Hiſpania aduentarent, vulgari, id eſt contraria opinione tenebantur, quam facto abundè ſatis periculo penitus exuerunt. Nam & ingenioſos eſſe hos Indos, & dociles, & manſuetos, & bonorum ſacerdotum amatores, & obedientes, & faſtus, opumq́ue contemptores, & quod multi minus credunt, ſi ſemel ſeriò, atque ex animo, religionem virtutemq́ue ſuſceperint, in ſententia conſtantes. Quod ego vt ſentiam, non difficilè adducor, cùm videamus Ingarum fidei deditos, aut Guacarum ſuperſtitione aſtrictos, pro occultanda ſibi commiſſa idolorum vanitate, aut gaza recondita, libentiſſimè paſſim occumbere, citiuſq́ue fortunas vitamq́ue ipſam ſuam, quàm paternæ ſuperſtitionis arcana prodere. Quis enim neſcit Indos flagris ſæpè conciſos, ſæpè flammis exuſtos, neq; verbum tamen in his cruciatibus contra ſuam ſententiam protuliſſe? Cur ergo Diabolum Chriſto fortiorem in ſe tuendo putemus? Aut ad falſa, & pernicioſa, quàm ad vera, & ſalutaria conſeruanda conſtantiores futuras eſſe gentes à Deo, & conditas, & redemptas? Da mihi certè apud Indos Apoſtolicos viros, reddam ipſe viciſſim ex Indis Apoſtolicos fructus, Ad noſtros, quod neſcio quàm vitæ honeſtioris ſpeciem, & cupiditatis abiectionem fortè conſpexerint, ita Indi accurrunt, vt paſſim confeſſionis faciendæ cauſa remotiſſimi etiã veniant, triginta, aut octoginta leucas emenſi: conciones ſacras ita frequentaſſe vidimus, vt inſatiabili Dei verbi fame ferri viderentur, vnã ex alia vſq; ad quatuor, &

tuor,& quinque eodem die adeuntes,idque omnibus diebus Dominicis,& feſtis:pœnitentiæ ſacramentum perpetua quadam frequentia ita, & peti,& reddi,qui cerneret,iubilæum,aut magnæ hebdomadæ tempus omnino crederet. Dari ſibi graues pœnitentias poſtulant,& ſi minus pro votis graues imponuntur,ipſi arripiunt,lachrymis & acerbo dolore ſe cõficientes. Inuitãt alij alios ad pœnitentiam tanto ardore, vt noſtri non poſſe omnibus ſatisfacere, & illorum precibus importunis ſe opprimi conquerantur. In melioris vitæ propoſito ita conſtantes, vt nonnullas fœminas,qui ſexus fragilior eſt,conſtet,neq; precibus,neq; minis, neq; verò ſtricto cominus mucrone,& iugulo oppoſito peruinci potuiſſe, vt veteribus amatoribus obſequerentur,ſua omnia libenter dant:Chriſti corpus auidiſſimè eſuriũt, & quibus conceditur, mundiſſimè accipiunt, & religiosè conſeruant,neque vltra ſe ſemel communicatos locum crimini dare poſſe teſtantur. Quod ſecus cùm eſſet aliquando factum, tanta indignatione aduerſus ſe ipſum Indum commotum ſcimus,vt à ſe ſtrangulando tanquam impio,& ſacrilego Domini corporis proditore vix manus temperare potuerit.Quoſdam ea deuotione diuinitꝰ impleri conſtat,vt de rebus diuinis ſapienter prorſus,& excelsè ſentiant, & nonnunquam dono cœleſti futura præuideant.Immodica hæc,& per exaggerationẽ dicta plerique exiſtimabunt, aut etiam velut ficta ridebunt. Verùm ego certa,& explorata loquor. Ac quicquid ij,qui videntur ſibi ſoli eſſe Chriſtiani, contrà diſceptent,in nationes quoque gratia Dei diffuſa eſt,& nihil Deus diſcernit inter iſtos, & nos,

M 5 fide

fide purificans corda eorum. Et quidem ſanè rebus ipſis iam victi fatentur ſe nihil vnquam tale aut vidiſſe, aut de Indorum gente ſperaſſe, atque ita, & admirantur, & Deo optimo Patri orphanorum gratias agunt: nõnulli etiam noſtros ſequi, & ſe ſocios adiungere in hac Euangelij fœlicitate contendunt: plurimi contra oppugnare pergunt, quos oportebat de fratrum ſalute lætari, & coadiutoribus ſuis beneuolè gratulari. Quod verò à noſtris hactenus effectum eſt, tantum eſt quantum operarius quiuis Euangelij non infidelis, & imperitus efficere poſſit. Et ij ipſi ex noſtris hanc operam nauantes ſaluti Indorum pauci admodum numero ſunt, præ innumerabili Indorum multitudine. Quibus ex rebus facilè profectò intelligi poteſt, quàm ſint futuri præclari, atque vberes fructus, ſi plurimi huic agro excolendo operarij ijs viribus, & induſtria, qua decet, à Domino meſſis mittantur. Quamuis autem, multas Indorum nationes Euangelio ita eſſe aptas exiſtimemus, vt nunc ſcribimus, ac Peruenſes profectò tales experti ſimus, tamen in reliquo etiam opere modum tenebimus, neque ita amplè de rebus Indorum dicemus, ne alias Indorum nationes, quas minus eſſe idoneas non ignoramus, prætérijſſe videamur. Nam etſi noſtros Indos, quos nouimus, præcipuè ſpectamus, cuperemus tamen ſi fieri poſſet, omnium ſaluti prodeſſe, quod ſcribitur. Nam ex ijs quoque, quos in extrema claſſe poſuimus, barbaris, ſcimus Euangelij gratiam copioſos, & illuſtres manipulos ferre. Braſilienſes profectò conſtat, nulli barbarorum nationi ingenij feritate, & morũ abſurditate cedere, quos tamen ſocietatis Ieſu

maxi-

maximè opera, ita eſſe domitos,& humanis diui niſque legibus aſſuefactos, noſtrorum literis accipimus, vt & homines,& Chriſtiani boni ſimul eſſe didicerint. Habet etiam nunc Fides gentium primitias ſuas. Habet Euangelium inter nationes fructus omni opinione maiores. Illud ſolummodo orandum eſt, vt Chriſtus Dominus dignos nos reddat noui teſtamenti miniſtros. Nam ad hæc quis tam idoneus? Atque hactenus prædicationem Euangelij apud barbaros, & ſi magna ex parte difficilem, tamen,& neceſſariam,& fructu plenam oſtendimus. Iam quibus modis aggredienda ſit, ſequenti diſputatione explicandum eſt.

DE

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE,

LIBER SECVNDVS.

Difficile eſſe rationem tradere prædicandi barbaris Euangelium.

CAPVT PRIMVM.

QVAE duæ res maximè inter ſe diſſidere videntur, annuntiatio Euangelicæ Pacis, & intentatio bellici gladij, eas neſcio quomodo noſtra hæc tempora non ſolùm coniunxerunt; verùm vt neceſſariò cohærentes certa lege ſanxerunt. Et rè vera complurium barbarorum hunc nouum orbem incolentium ingenium eiuſmodi eſt, vt niſi more ferarum, aliqua ratione cogantur, vix vlla ſpes ſit, aut prorſus nulla, fore aliquando, vt humanitatem libertatemque filiorum Dei induant. Porrò altera ex parte Fides
Epheſ. 2. ipſa veluti reclamat ſe Dei eſſe donum, non opus hominum, & ſuapte natura ita liberam, vt qui coactam velit, nullam potius efficiat. Itaque hæc ſibi adeò repugnantia conciliare, & certam aliquam inire rationem, vt intelligentiæ vera luce conſiſtant, & ſtudioſa charitatis induſtria cohæreant, maius omnino opus eſt, quàm vt noſtra diligentia, aut ingenio perfici
Luc. 14. poſſit. Sed, qui ſimul nuptias præclaras in Euangelio ac verè regias apparauit, ſimul conuiuas

non niſi laceros & pannoſos ac barbaros prorſus offendit, docebit pro ſua diuina ſapientia ſeruos ſuos, qua ratione neq; ad epulas admittant indignos, neq; quantumuis tamen illiberales & ſordidos tantâ Domini liberalitate fruſtrentur, etiam ſi honeſta quædam vis ac voluntaria, vt ita dicã, compulſio afferenda ſit. Huius tam difficilis negotij in conuerſione Barbarorum dux & magiſtra charitas eſt, quæ omnia ſuſtinet, omnia ſperat, quæ non agit perperam, neque inflatur, neque cogitat malum, & vt ſemel omnia dicam, non quærit quæ ſua ſunt. Charitatis verò venenum ſingulare cupiditas eſt, peſſima fidei propagandæ ac nutriendę nouerca, patrona mendacij, temeritatis magiſtra, comes violentiæ: quæ mammonæ ſeruos ſpecie pietatis interdum induit, ſed virtutẽ eius funditus abnegat atque euertit: Funditus igitur extirpanda eſt, ſi in ouile Chriſti per oſtium cupimus introire quàm plurimos, nam qui contra fecerint, Religionis Chriſtianæ amplificandæ prętextu Chriſti nomini infeſtiſſimos ſe hoſtes prębebunt, eruntque de eorum numero, de quibus perſpicuè propheta prędixit: Et eos qui tranſibant ſimpliciter, conuertiſtis in bellum, cauſam paulò ſuperius attulerat, Quoniam contra Deum eſt manus eorum. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt & rapuerũt domos, & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Hos alius quoq; propheta mihi compellare videtur, cùm ita vehementer inuehitur: Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ, vt ſit in excelſo nidus eius, & liberari ſe putat de manu mali. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos

1. Cor. 13. *Mich. 2.* *Habac. 2.*

los multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quòd inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit, & reliqua; quæ ſequuntur. vaticinium ſanè in multis iſtarum melius oculi cernunt, quàm legunt in Prophetæ codice. Auaritia quidem manifeſta eſt omnibus, & auaritiæ cauſa nidus exceſſus ambitionis: vnde magnus error conſequitur hominum, ſibi vt putant conſulentium, cùm potius, & ſibi, & ſuis ruinam parent. Mirabile dictu eſt, quàm citò multorum opes effugerint, atq; euanuerint, vt ad nepotes ex tanta re vix aliquid peruenerit; occulto Dei conſilio, ſed manifeſto adeò effectu, vt eas omnes copias præſtigias putare homines poſſint. Viderint ergo hi, an ad ipſos pertineat, quod propheta loquitur, concidiſſe populos multos ac domui ſuæ confuſionem potius cogitaſſe, quàm ſplendorem & gloriam. Sed de his alio loco dicendum eſt. Illud modò teneamus, quod eſt omnium maximum, & præcipuum fundamentum, In hac diſputatione de ratione prædicandi Barbaris Euangelium, Cupiditatem nullo modo eſſe audiendam, cuius ſuffragio periclitetur Fides neceſſe eſt: Charitatem verò prudentē pro Magiſtra ſemper habendam, quæ cùm fideliter ſalutem proximorum quærit, inter difficiles cauſas viam inuenit, & omnibus rationibus agit, vt conſequatur quod cupit, & quamuis impedimenta interdum multa patiatur, fœlices tamen Deo bene iuuante exitus ſortiri ſolet.

Propter Infidelitatem etiam pertinacem non licere barbaros debellare.

CAP. II.

EXiſtit verò hoc loco quæſtio à multis quidem copioſè grauiterque tractata, ſed neceſſariò nobis quoq; repetenda, An charitatis Chriſtianæ ſit barbaros bello domare, vt debellati Fidei prædicationem recipiant. Illud autem primum ſit in cauſa barbarorum, Non eſſe facienda mala, vt veniāt bona, quod ſentire blaſphemiæ genus interpretatur Apoſtolus. Bella ergo ſi iniqua ſunt, ſuſcipienda non ſunt, etiam ſi certam ſalutem, vel dimidio orbis allatura videantur. Quamobrem ſi nullam aliam patere viam prædicationi inter Indos conſtaret, quàm belli expeditionē non iuſta, clauſam potius illis Euangelij ianuam oporteret exiſtimare, quàm vt lege Dei perfracta ad eiuſdem legis obſeruandæ prædicationem irrumperetur. Si enim ea propoſita quæſtione, vbi quiſquam baptizandus in poteſtate ſit impiorum, atque infidelium conſtitutus, ad quem perueniri non poſſit, vt lauacro regenerationis abluatur, niſi deceptis mentiendo cuſtodibus, Auguſtinus Theologiæ decus ita reſpondendum exiſtimat, vt clauſum omnino reputandum ſit, vbi ad ſubueniendum animæ æternæ ſaluti ſolū per mendacium aditus patet, quis non videat, quanto facilius reſponderet, ſi oſtium fidei ferro iniuſto aperiendum ſit, clauſum potius exiſtimare oportere? Sed quoniā documentum hoc omni dubitatione vacat, quæ ſunt conſequentia videamus. Quæritur, An iuſti belli cauſa in barbaros ſit infidelitas ipſa, quod Euangelium repudient. Sed breuiter & abſolutè, iuſta

Rom. 3.

Auguſt. lib. contra Mendacium, c. 20.

tè, iuſta cauſa non eſt infidelitas, quæ ſolum Deũ
Ioan.3. habet iudicem, & vltorem. Qui incredulus eſt,
Ioan.5. inquit, ira Dei manet ſuper eum. Et, Qui non cre
Mar.16. dit iam iudicatus eſt. Et, Qui non crediderit con
dẽnabitur. Hoc ad illos ſanè. Ad nos verò quid?
Matt.10. Si non receperint vos, exeuntes excutite puluerem pedum veſtrorũ in illos. Non dixit, ſtringite gladios veſtros in illos, iacula eiibrate. Quomodo verò iacula aut gladium intentare præciperet, qui etiã virgam & baculum de manu abſtulerat? qui non ſolùm inermes ad prædicandũ mittit, verùm etiam ſeminudos, diſcalciatos, ſine pera, ſine argento. Neque enim ait, Ecce ego
Rom 10. mitto vos lupos inter oues, ſed oues potius in
Eſa.52. ter lupos. Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantiũ
Nahu.1. pacem, annuntiãtium bona. At, quàm terribiles pedes minantium gladium, effundentium ſanguinem. Et ſi armandi ſunt milites Chriſti, qui bella Domini exercituum præliantur, ſed longè alijs armis, quæ Paulus magnus Dux oſtendit:
Ephes.6. State ſuccincti lumbos mentis veſtræ in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, & reliqua, quæ enumerat. Dicet aliquis, Quid ſi verba non proſunt, & proſunt verbera? ſi pacem oblatam faſtidiunt, bellum intentatum timent? An non ſatius erit vel per vim ſaluos facere, quàm per nimiam indulgentiam perire permittere? Rectè iſta quidem, ſi in ſubditos proferantur. Infideles verò quod nobis ius ſubiecerit, quære: & inuenies Paulum, qui de data ſibi à Chriſto poteſtate
2.Cor.10. & 13. gloriatur, ſe inde colligentem, Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Nónne eos, qui foris
1.Cor.5. ſunt, Dominus iudicabit? Legamus ſanctorum

Patrum

Patrum commentarios,certam ſententiam Apoſtoli conſentienter docentium, Eccleſiæ ius & fas non eſſe in infideles, ſed in eos tantū, qui per ianuam baptiſmi ingreſſi ſunt in ouile Chriſti. Quamobrem Auguſtinus in quodam ſermone alloquens quoſdam Chriſtianos,qui ethnicorum ſe ſacrificijs contaminauerant:De ijs,inquit,qui foris ſunt,nos non iudicamus,illis blandiendum eſt; vt credant, in vobis putredo hæc reſecanda eſt. Et mox, Nō tollo,inquit,idola illorum,quia non habeo in illos poteſtatem, habebo autem cùm fuerint facti Chriſtiani. Diuinè quoq; Bernardus Eugenium admonet libro de conſideratione ſecundo; Vicario Chriſti non dominatum in orbem,ſed apoſtolatum conuenire.Nam principes gentium dominantur eorum: at non ita erit inter vos. Neque ante paratum ſe Paulus dicit vlciſci inobedientiam ſuorum, quàm illorum prior fuerit completa obedientia, id eſt, vt alibi Auguſtinus interpretatur, non ante in quenquam agere lege fas eſt Eccleſiaſtico viro, quā per Fidei obedientiam ſe ipſe Eccleſię ſponte ſubmittat.Siue ergo infideles ſint,& Chriſtum ignorent,ſiue annuntiatum etiam reijciant, nobis in illos belli decernendi ius nullum eſt, nulla honeſta cauſa. Quam ſententiam ſatis authoritate ſua confirmauit D. Thomas, cùm perſpicuè docuit, ad Eccleſiam non pertinere infidelitatem in illis punire, qui nunquam Fidem receperunt.Et quoniam magna copia eſt eorum, qui iſta accuratè expoſuerunt,illud ſolum admonendum arbitror, veniam ijs dare oportere, ſi qui ſint,qui zelo fortaſſis potius, quàm ſciētia ducti; dum ſummi Pontificis nunquam ſatis commen-

Auguſt. 10. tom. ſerm. 6.

Bern. 2 lib. de conſid.

2. Corint 10.

Aug epiſt. 50. ad Bonifacium.

Thom. 2. 2. q. 12. ar. 2.

datam authoritatem amplificare pergunt, etiam extra ſepta Eccleſiæ gladium illius, & leges proferri volunt, quod tam eſt abſurdum, vt à nemine melius confutetur, quàm ab ipſis ſummis Pontificibus, & Eccleſiæ Catholicæ perpetuo ſenſu, atque vſu, quæ nunquam in Paganos, aut Iudæos, quod Chriſti Fidem reſpuerint, animaduertit, neque religionis diuerſitatem cauſam belli iuſtā interpretata eſt. Quando namque vel minimum iuriſdictionis actum Eccleſia exercuit in infideles per mille quingentos annos? quando legem tulit? quando bonis ſpoliauit? quando deniq; ſibi ſubijci nolentes coëgit, vel etiam attentauit? Niſi fortè temporalem dominatum gentium iure obtinentes, etiam temporales leges in ſibi ſubiectos infideles, Chriſtiani Principes tulerint. Quod quia ſine controuerſia omnes ſentiunt, qui modò aliquid ſentiunt, non eſt, quòd moroſa diſputatione reuocetur in dubium.

Conc. Trid. ſeſ. 14. cap. 2.

Quod quibuſdam viſum ſit, propter crimina naturæ contraria, licere noſtris barbaros debellare.

CAP. III.

QVoniam verò infidelitatis etiam pertinacis, & poſitiuæ, vt loquuntur Theologi, crimen ſibi, viuorum, & mortuorum Iudici, puniendũ, Chriſtus reſeruari voluit, neq; vlla Eccleſiaſtica lege in rebelles animaduerti fas eſt, illud diligentius diſcutiendum eſt, quod poteſt ſeriò in quæſtionem vocari, An ſepoſita cauſa Fidei, ob id poſſint Barbari debellari, quod crimina multa eademque atrocia perpetrant contra ius naturæ. Itaq; vtrum poſſint necne cogi, vt ab idololatria

abſtineant, à nefarijs ſacris, & collocutionibus, quas cum ipſo Diabolo per quàm frequentes habent, à concubitu maſculorum, ab inceſtuoſa pollutione ſororum ac matrum, & reliquis id genus flagitijs? Nam facinora longum eſſet commemorare, quomodo alij alios indicta cauſa enecent, compotationes ac temulentias ſuas cruore miſceant, humanis multi carnibus pro ſummis delicijs veſcantur, alij pueros innoxios ſimulachris mactent, alij ſuorum inferias aliorum ſanguine peragant, pleriq; potentiam ad nihil aliud, quàm ad nocendum, & ſæuiendum, ſibi datam arbitrentur, perinde, atq; immanes feræ, quæ naturaliter gradu inferiores ac viribus imbecilles pecudes, prædæ ſuæ vendicant: vt idem ſit apud iſtos dominari, & prædari: nihil aliud ſubditum eſſe, quàm potentioris libidini obnoxium eſſe. Quanta ſit, & quàm latè patens hęc feritas barbarorum in hoc vaſtiſſimo orbe, qui ritus portentoſi, quæ legum ac dominorum tyrannis, referre exactè, iuſti voluminis opus eſſet. Hiſtoriæ Indicę quanquam multa narrant: exigua tamen eſt portio præ illis, quæ res ipſa habet: verùm quod ad rem pertinet, certum eſt mores Indorum plurimorum eſſe ferinos, vt quod fabulæ canunt de quibuſdam facie quidem homines eſſe, corpore verò aut piſces, aut ſues, aut lupos, id verum eſſe noſtri barbari ſuis moribus probent. Fremit ergo noſtrorum hominum turba ac tumultuatur, cũ iſta audiunt, aut etiam intuentur: horum ſe ſcelerum vltores æquiſſimos, milites putant: quicquid contra nefarios naturæ violatores ferro, cæde, incendijs ſæuierint, gloriæ ducunt, ac tum demum excurſiones ſuas in barbaros laude ac

præmio,& apud Deum,& apud homines digniſſimas iactant. Neque verò huic vulgari opinioni patroni defuêre. Nam vt omittam eorum ſententiam, qui penes Eccleſiam & Eccleſiæ caput Rom.Pont.ius eſſe ad hæc Ethnicorum crimina plectenda ſtatuerunt, qui non tam noſtra quàm Apoſtolica voce iam dudum exploſi ſunt, cùm de inceſtuoſo flagitio Corinthij illius(quod con
1.Cor.5. tra naturæ leges pugnare quis neſciat?) ſuos, id eſt,Chriſtianos acriter obiurgans,eorum qui foris ſunt,nempè Paganorum ſimilia crimina ad ſe nihil pertinere teſtatus eſt. Illi porrò probabilius aliquid afferre ſibi videntur,qui huiuſmodi ius ad vindicanda naturæ contraria ſcelera, non Eccleſiaſticum,ſed naturale eſſe volunt penes optimum quemque principem, qui poſſit ac debeat in Remp.perditis legibus ac moribus inſtitutam,ſi verbo audiens non fuerit,ferro decernere,& belli iure ſubiectis iuſtas leges imponere. Quod ſi ab ijs quæras,cùm multi principes,ſapientes,& probi,vel ſint, vel ſibi eſſe videãtur, cui potiſſimum hoc opus delegandum ſit, reſpondent,in hac re vt in cæteris natura communibus, primo occupanti locum cedere. Ipſo ergo iure naturæ barbaros iſtos poſſe ab Hiſpanis debellari,quibus per Rom.Pont. prouincia hæc demandata ſit,quiq; victricia ſigna primi vltra Herculis columnas extulerint,&ad immenſa terrarum ſpatia omni antiquitati hactenus ignota prouexerint. Neq; mirũ eſſe ſi fortunis ſuis exciderint Indi,cùm potuerint propter ſua mala merita etiam vita ſpoliari iuſtiſſimè. Et quoniam quibuſdam dicere aliquid videntur, & magnopere cum populari ſententia iſtorum conſentit oratio,quę

pro

pro cauſa argumenta afferant, recitemus neceſſe eſt. Ariſtotelis, inquiunt, ſententia eſt, qui in libris Politicis ita ſcripſit: Quod poteſt mẽte proſpicere, natura imperat, & dominatur: quod autem poteſt corpore hoc facere, paret natura, & ſeruit. Et mox, Barbari quod natura dominetur, non habent: quamobrem aiunt Poëtæ Græcos barbaris dominari oportere, quod idem natura ſit barbarus, & ſeruus. Cùm ergo barbari iſti noſtri ſupra modum barbari ac ferini reperti ſint, neque mentem habeant ad ſe, & ſua regenda idoneam, natura ipſa comparatũ eſt, vt illis ſubſint ac pareant, qui dominari rectè poſſunt, atq; eos ſecundũ naturę leges conuenienter regere. Quod ſi repugnent, debellari poſſe iuſtè idem author affirmat. Bellica, inquit, vi vti oportet contrà beſtias, & contra eos homines, qui ad parendum nati ſunt, nec volunt parere: quia natura id bellum iuſtum exiſtat. Alibi quoque Philoſophus ſuam hanc ſententiam de iuſto bello in barbaros amplius explicat ita ſcribens. Neq; exercitatio rerum bellicarum ob id eſt meditanda, vt in ſeruitutem adigant immerentes. Sed primùm ne ipſi alijs ſeruire compellantur. Deinde vt imperium quærant gratia vtilitatis ſubiectorum, non ante omnia dominationem. Tertiò vt eis dominẽtur, qui ſeruire ſunt digni. Hæc ille. Atq; huc pertinere videtur aliqua ex parte Romanorum hiſtoria, qui ꝙ æqui, & boni obſeruantes forent, omnium potiti exiſtimantur, diuino ita decernente conſilio, quorum imperium à ſanctis Patribus laudatum legimus, & quod eſt amplius in ipſis diuinis libris. At infinitis partibus præſtant Chriſtiani barbaris, quàm olim Romani cæteris. Secundum

Primum. Ariſto. 1. Pol. cap. 1.

1. Poli. cap

Lib. 7. Pol. c. 14.

Auguſt. 5. de Ciu. cap 12. S Thom de Reg. Prin. c. 4. 5 6. 1 Mach. 8.

Secundum.

ſit, Filij Iſraël ob idolatriam atq; alia ſcelera debellarunt Amorrhæos, & reliquas gentes, quarũ ſcriptura meminit, vt libri Ioſue, & Sapientiæ copioſè docent. Cur ergo nõ liceat Chriſtianis veri Dei cultoribus iniurias illius vlciſci, & ad verũ vnius Creatoris cultum idololatras reuocare? Quam rationem Cypriani confirmat authoritas, ſi ante aduẽtum Chriſti, inquit ille, circa Deum colendum, & idola ſpernenda, hæc præcepta ſeruata ſunt, quanto magis poſt aduentum Chriſti, & cætera? Præterea, ſi in lege naturæ viuerent homines, quando nulla erant regna diuiſa, nondum Reſp. collocata, liceret ſapienti, & probo viro improbum à malefactis cõpeſcere, vel verbo, vel vi, liceret de pertinace pœnas ſumere; niſi velimus naturam adeò ſui oblitam, vt nullum conſtituerit naturaliter ſuarum legum iudicium, nulli potentiam ad dominandum detulerit. Igitur ad eundem modum Reip. bene inſtitutæ barbaros, & illeges fas erit ad rationis iura compellere. Alioqui immaniſſima ſcelera naturaliter, & multa & inemendata, imò ne emendabilia quidem permaneãt neceſſe eſt, quo nihil videtur abſurdius. Adde quòd ſi pueri, vel homines ſtupidi & ſemiamentes Remp. aliquam gubernarent, idq; cũ inſigni detrimento ſubditorum, liceret profectò vicinis Principibus lege charitatis, & iure naturæ, ſi non poſſent aliter perditã illorum adminiſtrationem emendare, armis & vi, magiſtratus, & populum cogere, vt aut ſibi Principem crearent idoneũ, aut ſi ne id quidem effici poſſit, Reip. ipſius adminiſtrationẽ ſuſcipere per ſeipſos, multum licet reclamantibus illis. Atqui natio Indorum minus habet, vel æquitatis, vel prudentiæ, & iudi-

Cyprian. lib. de Exhort. ad Martyr. cap. 5. 25 q. 1. c. Si audieris.

Tertium.

Quartum.

& iudicij, quàm pueri, & ſemiinſani. Quid ergo culpatur ſi vel ab inuitis pro ipſorum ſalute, & pace eripitur principatus? Poſtremò innocentem ab iniuria, & cæde defendere quiuis poteſt, atq; ſi opus ſit, aggreſſorem mulctare fortunis, & vita ipſa. Manifeſtum verò eſt inter iſtos innumerabiles innocentium cædes perpetrari, cùm & obuios quoſq; capiunt, & trucidant, & in ſuos quoq; immaniter ſæuiunt, pueros, fœminas, & miſerabile genus neci dantes, adeò vt cruore humano macelli cuiuſdam inſtar permulta loca redundare comperta ſint, quorum teſtis locuples eſſe poteſt Mexicana prouincia. Quamobrem non licere ſolũ, ſed etiam quàm maximè expedire barbaros ita inſapientes bello domare, rationi conſentaneum apparet. Hæc potiſſimum ſunt, quæ pro cauſa belli Indici afferri à nonnullis ſolent. *Quintum.*

Confutatio ſuperioris ſententiæ. CAP. IV.

VErùm ſi partium ſtudijs ſepoſitis, quæ tanquam nebulæ quædam craſſæ veritatis lumen abſcondere ſolent, lex ipſa æterna conſulatur, non dubium eſt, quin puriſſimis radijs omnem hanc caliginem, quæ nobis offunditur, depulſura ſit, dilucidè oſtendens, æquè eſſe iniquũ, ſi vel non iuſta fiant, vel quæ iuſta ſunt, non iuſtè fiant. Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris, ait diuinus legiſlator: quam rem præclarè explicat Dionyſius Magnus, & diuinæ, & humanæ ſapientiæ pôderator. Infideles ſanè, idololatras, maſculorum concubitores, inceſtuoſos, ſine fœdere, ſine miſericordia, parentibus non obedientes, ingratos, ſceleſtos, & quibuſuis alijs nominibus verè notatos coerceri, mulctari fortunis, atq; ipſo capite plecti, iuſtitia, & ęquitate plenum eſt, quis hoc *Deut. 16. Diony epiſt. 8. ad Demophilum. Rom. 2.*

neget? Verùm à quo, & qua authoritate, id verò quæritur. Neque enim quia tu peccaſti, idcirco mihi ſtatim de te pœnas ſumere fas eſt, niſi & ius ego in te habeam, & cauſam tuam legitimè tranſigam. Neque verò ſi Reſp. aliqua peccet leges condendo flagitioſas, & turpes, aut ſi moribus perditis princeps ac Magiſtratus labefactantur, continuò ius erit Reipub. vicinæ, aut principi leges ferre meliores, inuitos cõpellere, vt recipiant, & ſeruent, non obſequentes ferro aggredi, repugnantes bonis, & vita exuere. Etenim ſi tantum licentiæ Reip. in Remp. tribuas, nihil aliud agas, quàm vt breui vniuerſum terrarum orbẽ perturbes, & diſcordia, ac cædibus impleas. Melius, melius omnino diuina, incommutabilis, atq; æterna lex ſanxit, nullius vnquam emendãda ſapientia, aut temeritate violanda, vt id iuris principi in principem, Reip. in Remp. ſit, quod attinet ad leges ferendas, & ſcelera profliganda, quod eſt ciui in ciuem, priuato viro in priuatũ. Vbi illud ſolum intereſſe volunt clariſſima ingenia, quæ totam hanc rem copioſiſſimè, & dilucidiſſimè proſecuta ſunt, vt non modò fas ſit Reip. ſe defendere contra aggredientis iniurias, quod etiã priuato licet, vt vim repellat vi, verũ etiam iã acceptas propria authoritate vindicare queat, quod priuato nequaquam licet, id ita docente ratione clariſſima, quod ciuis ac priuatus habeat apud quem expoſtulet, vbi repetat, à quo iniuriæ recompenſationem meritò expectet, publicum Magiſtratum: at Reſp. contra Remp. alteram nullum habet, quod adeat, commune tribunal; ac niſi ipſa propria autoritate vlciſcatur iniurias, futurum ſit, vt rebus omnibus læſa repa-

rari nullo modo queat. Quæ cùm ita ſe habere tū in ipſa naturæ luce veluti in aperta lege notaſſent, tum perpetuo ab ipſo mūdi exordio decurſu ab omnibus mortalibus ſeruata, quotquot iuſtitiæ qualemcunque prætextum bello gerendo præferrent, animaduerterent, ſapientes omnes & noſtri, & externi eam ſolam cauſam bello aggrediendo æquam, & iuſtam ſtatuerunt, ad reſarcienda dāna, & iniurias vindicandas, vel ſuas, vel ſuorum, id eſt ciuium, aut ſociorum, aut eorum etiam, qui iniquè læſi ipſorum opem implorasſent. Præter hāc cauſam acceptæ iniuriæ, aut violati iuris gentium, nullam noſtri maiores iuſtam agnouerunt, neq; gloriæ quærendæ, neq; cumulandarum opum, neq; amplificandi dominatus, neque verò religionis propagandæ. Quotquot verò non læſi arma ſumpſerūt, eos prædones potius, quā milites vocitandos cenſuerunt. D. quidē Auguſtinus ſuo ipſe ingenio, acerrimus quæſtionum obſcurarum indagator, in hac verò etiam Manichæorum calumnijs, & Ethnicorum contra Fidem Chriſtianam opprobrijs excitatus, ſæpe ac diligenter totum hoc de bello gerendo negotiū tractans, illud vbique conſtituit, cauſam iuſtam belli ſolam eſſe iniuriæ depellēdæ neceſsitatem. Ita quodam loco, bella, inquit, iuſta definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias. Ambroſius quoq; cū de fortitudine in lib. offic. diſputaret, ita ſcribit, Non ſe ipſam committit ſibi, alioqui fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis materia eſt, quo enim validior eſt, eo prōptior eſt, vt inferiorem opprimat, cùm in ipſis rebus bellicis, iuſta bella an iniuſta ſint, ſpectandum putetur. Nunquam

Aug. lib 6. Quæſt in Ioſue. c. 10. Amb. lib. 1. offi. cap. 25.

Dauid niſi laceſſitus bellum intulit. Vides quale bellum Ambroſius iuſtum definiat. Illud planè quo exẽplo Dauid non niſi laceſſitus princeps arma induit. Hos Iſidorus ſecutus bellum iuſtum definit, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorũ hominum cauſa. Deniq; bellum gerere neceſſitatis eſt. Quod etiã Tullius vidit, cũ in tertio de Rep. lib. vt idem Auguſt. refert (nam ad nos non peruenit opus illud præclarũ) definiuit nullum ab optima ciuitate bellum ſuſcipi ſolere, niſi aut pro Fide, aut pro ſalute. Fidem intelligens initũm cum ſocijs fœdus, ſalutẽ ipſum Reip. contra oppugnantes ſtatum. Et planè quotquot in diuinis literis à ſanctis viris bella ſuſcepta referũtur, qui ob id laudantur, quòd fuerint fortes in bello, quòd caſtra verterint exterorũ, à primo illo quòd magnus Patriarcha Abraham pro fratris ſalute geſſit vſq; ad extrema Machabæorum geſta pro patria, lege, & libertate, ſemper mentio eſt acceptæ prius iniuriæ, vt magis non recuſata cũ eſſet opus, quã quæſita cũ non eſſet, appareat, excepto quòd diuina autoritate quædam interdum peracta ſunt, quæ non humanis auſpicijs, ſed cœleſti præcepto adſcribenda ſunt. Sed vt vetera omittamus, Eccleſiæ catholicæ, quæ firmamentum eſt veritatis, ſenſum atque vſũ tenemus apertè, quę per mille quadringentos annos nunquã in barbaros, aut paganos nihil nos aliâs lędentes, arma, vel ipſa ſumpſit, vel ſuis conſuluit, cũ eſſent potentiſſimi ac religioſiſſimi Principes, atq; conſtaret externos omni ſcelere obſtrictos. Scit enim fidelis populus Dei Chriſtũ interpellatum à quodam, reſpondiſſe, O homo quis me conſtituit iudicẽ inter vos? Si le-

Iſidor. lib. 18. etym. c. Gratia. Cauſ. 23. q. 1 2. & 3

Auguſt ad Bonifacium.

Auguſt. lib. 22. de Ciu. cap. 6.

Heb. 11.

Gen. 14.

Luc. 12.

Si legati nationis Indorum rebus ſuis componendis vltro accerſerent noſtros, haberet fortaſſis aliquid rationis eiuſmodi introducta poteſtas leges ferendi, emẽdandi, puniendi. At nunc moleſtiſſimè ferũt cauſæ ſuæ nõ vocatos iudices, vltroneos diſceptatores, qui nõ ſolũ leges, & ius dicant inuitis, verùm iam olim admiſſa ferociter vindicent. An ſapimus nos plus quàm maiores noſtri? An Fidei zelo vehementius ardemus? Omnino verum eſt, quod ſanctiſſimus Gregorius de hac re ſcripſit, Qui Fidem aſperitatibus propagare volunt, ſuas magis quàm Dei cauſas probantur attendere. Interim quis illud non videat, quàm implacabile iſto modo Chriſtiani nominis odium apud barbaros excitetur? quàm graue, & immedicabile ſcandalum? Tota iſta res vergit in obſtinatam quandam inuidiam, & odium Fidei, & certam perniciem hominum. Neq; verò ſcandalum iſtud ſeparabile eſt vllo modo ab hac cauſa, aut in ijs numerandum, quæ non data, ſed accepta dicuntur. Chriſtus quod non debet tributum ſoluit, ne ſcandalizet; nos nullo modo debitas terras, ſi ſpoliemus, vexemus, prædemur, nullum ne iuſtum timebimus ſcandalũ? Res ipſa ſatis clamat per ſe. Neque enim ea exempla hactenus vidimus, quæ licentiæ, & furori militari fræna laxanda perſuadeant. Et quod caput eſt, Catholicorum noſtrorum Principum leges longè aliter faciendum eſſe edicunt, quibus obedire par eſt, Quamobrẽ præclariſſima & ſui ordinis & noſtri temporis lumina, quæ in cauſã Indorum propriè inciderunt, eiuſmodi belli ſuſcipiendi conſilium, idq; iuris grauiſſimè cùm diſputationibus ſuis, tum etiam ſcriptis de indu-

Greg. lib. 11. Regiſt. ca. 15. diſt. 45. cap. qui ſincera, idẽ lib. 1. epiſ. 45.

Matth. 16.

Caiet. 2. 2. q. 66. ar. 8. Victoria

ſtria

Rel. de Indis. & De bello nu. 23 24 & 40 Soto in 4. d. 5. q. 1. artic 10 & lib 4 de iuſ. & iur. q. 2, ar. 2. Anton. Corduba Minerita. 1 pa. queſtionarij q 57. Couar 2. p. relec Regul Pecca. §. 10.

ſtria libris improbarunt. Quorum ſententia iam dudum apud omnes obtinuit, Salmantino & Cóplutenſi illuſtribus gymnaſijs damnãtibus, vt audio, atque explodentibus ſcriptum cuiuſdam librũ contra cauſam Indorum, atque ipſo Catholici Regis ſenatu longè aliam rationem in expeditionibus Indicis præcipiente, cuius æquitatẽ opportunẽ exponemus, ſi prius obiectionibus ſupra propoſitis reſponderimus.

Reſponſio ad obiectiones pro expugnatione Barbarorum.

CAPVT V.

Ad primum obiect.

AC primùm quid ſibi voluerit Philoſophus barbaros natura ſeruos aſſerens, non eſt obſcurum cernere, ſi paulò altius illius diſputatio repetatur. Sentit & quidem ſapienter, in Rep. bene conſtituta, natura ipſa docente, alios debere dominari, alios parere, ſapientes & viros imperare, imperitos & fœminas obedire, quod profectò veriſſimum eſt. Hinc colligit Græcos natura comparatos eſſe ad imperandum, quod eſſent ſapientiores, barbaros, vtpote rudes & imperitos ad ſeruiendum. Quid obſecro verius quàm ſenes & maturos præeſſe natura, adoleſcentes obtemperare, fœminas virorum, pueros maiorum arbitrio naturaliter regi? Iam qui velit colligere ex his, à barbaris imperiũ quod iam habent, eripere licere, eadẽ ratione conficiet, à fœmina, aut adoleſcente, vbi regnat, poſſe per vim extorqueri dominatum, itemq; à rege imperito regnum, & à præſule indocto pontificatum: quod omnibus, & diuinis, & humanis legibus, quàm repugnet, nemo non videat. Aliud eſt enim quid faciendum

endum ſit ex ratione ac ſecundùm naturam: aliud, quid ſi fiat, infectum fieri nequeat. Iure ergo ſapientiores, & elegantiores regnant: ſed re ipſa imperitus, & barbarus ſi regnet, non ius, ſed iniuria eſt, de regno hũc pellere. Alioqui rapinæ & cædi res mortaliũ omnes expoſitas eſſe oportebit. Quod ex eodem Philoſopho adiunctum eſt de iuſto bello in barbaros, qui ſeruire recuſant, obſcurius profectò eſt, & quod ſuſpicionem non exiguam parit, illa non tam ex philoſophica ratione quàm ex populari quadam opinione profecta eſſe. Intelligi tamen poteſt, ſi in hac quoque re Ariſtotelis autoritas magnoperè conſeruanda eſt, in eos barbaros ſeruire nolentes bellum iuſtum decernere, qui Remp. nullam habent propriã, neq; Magiſtratus neq; leges, ſed ritu ferarũ incertis, & ſedibus, & legibus vagantur: quales & fuiſſe olim, & eſſe hodie quã plurimos notiſſimum eſt. Bellum autẽ in hos non omnis illa cædis, & ſeruitutis licẽtia cogitari debet, ſed moderata quædam vis, quatenus humanè, & non beſtialiter prorſus viuere perſuadeantur. Quod ſi Alexandri, vt quidam ferunt, potentia delectatus, ſigna Macedonica in orbem vniuerſum proferri voluit, nobis non admodum curandum eſt, quid ille adulatoriè magis quàm Philoſophicè ſcripſerit. Quanquam non diuerſa à noſtris ſapiens, in Rhetorica ad Alexandrum, ſuſcipiendum bellum eſſe conſtituit in eos qui Remp. & eius ſiue amicos, ſiue ſocios iniuria violare moliuntur. De Romanis parum ad rem pertinent, quæ afferuntur. Etſi enim laudari ſolent, neque fortaſſis immeritò quod legibus æquioribus ſubditos gubernarint, fœdera, & ſocietates

Ariſtot in Rhet. ad Alex. c. vlt.

cietates fideliſſimè cuſtodierint; tamen multa vſurpaſſe tyrannicè ne ipſi quidem diffitentur; ita non nemo dixit,

Non ius arma dedit: potius ius arma dedêre.

Auguſt. à S. Auguſtino illorum imperia vocantur honorifica latrocinia. Neque tamen, ſi me non fallit memoria, eorum hiſtorici celebriores bella geſta narrare ſolent, niſi quæ aut pro ſalute, aut pro Fide, vt eorum dixit egregius autor, ſuſcepta videri velint. Nam quod de expugnatis Chananæis per Iſraelitas affertur, multò robuſtius noſtram confirmat ſententiam.

Ad ſecundã obiect.

Nam cùm ſanctarũ ſcripturarum tractatores in eam quæſtionem incidunt, diligenter cauſas iuſti belli exponunt, & vnam quidem potiſſimam Auguſtinus reddit, illud genus belli iuſtum aſſerens, quod Deus imperat, qui nouit, quid cuiq; fieri debeat, in quo bello dux ipſe, aut populus non tam autor, quàm miniſter iudicandus eſt. Vt ergo præcipiẽti Deo necem filij innocentis, religiosè paruit Abrahã, vtpote vitæ omnium Domino, ita quoq; vel Ioſue filius Naue, vel quicunq; alius ſententiam Dei in populos reos exequi debuit, & iudici ac dominatori omnium manus adminiſtras præbere: neq; tamen ob id liceat vel patri in filium, vel principi in externum populum quantumuis impium, gladium ſtringere. Adde quod ijdem ſacri ſcriptores humanas rationes adiungunt, quibus ex iure gentium bella Hebræorum contra Amorrhæos & cæteros Palæſtinos non iniquè geſta declarent. Eas modò perſequi longum eſſet, & inſtituto non neceſſarium. Illud modò agimus, vt fiat perſpicuum ſanctos Patres nullo modo exiſtimaſſe vel idololatriam, vel quæuis alia contra natu-

Auguſt. lib. 6. Quæſq. 10. in Ioſue.

Auguſt. li. 44 quæſt. q. 4. ſuper Num. c. 20. Et ſer 105. de tempore. Caſsianus collat. 5. cap. 24.

naturam piacula cauſam idoneam extitiſſe, vt de loco ſuo pellerentur illæ gentes, vaſtarenturque ab Hebræis, ſiquidem tam ſolicitè cauſas alias exquirunt. Et reuera eadem ſunt vel minus grauia noſtrorum barbarorum crimina, quàm quæ illorum ſcriptura commemorat. Ita enim de his loquitur liber Sapientiæ. Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ, quos exhorruiſti, quia odibilia tibi opera faciebant, per medicamina & ſacrificia iniuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis à medio ſacramento tuo, & autores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluiſti per manus parētum noſtrorum, & reliqua. Non opinor horribiliora obijci Indis, ijs quoque, quos Carybes vocant, qui ſunt omnium truculētiſſimi. Ob id aptè paulo inferius diuinam autoritatem exitio illarum gentium interponens, ſubdit per interrogationem: Quis enim imputabit tibi, ſi perierint nationes quas tu feciſti? Non enim alius eſt Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus, vt oſtendas, quia non iniuſtè iudicas iudiciū. Hoc eſt, non inuadis aliena, neq; vſurpas iniquè iudicium, ſi gentes impias cogis commeritas pœnas ſuorum ſcelerū dare. Cypriani verò ineptè profertur autoritas, cuius longè alius ſenſus eſt. Suſcipiens enim illo opere cauſam Martyrij agere, idolorum cultum vult adeò Chriſtiano viro execrandum, vt quiduis potius perpetiatur, quā id impietatis admittat. Quod vt confirmet, admonet, quā fuerit quōdā infeſtus Deus Idololatriæ, vt ob id cæde graſſari in exteros ſuis iuſſerit, quāto ergo tempore gratiæ reuelatæ amplius amare debet

Cap. 12. Sap.

Sap. 12.

Cypria. c. 5. de Exhor. Ad Mar.

debet fidelis ob fugiendum idolorũ cultum ſanguinem quoque proprium fundere? Ita enim concludit, ſi ante Chriſti aduentum circa Deũ colẽdum & idola ſpernenda hæc præcepta ſeruata ſunt, quanto magis poſt aduentum Chriſti ſeruanda ſunt, cùm ille veniens non verbis tantùm nos hortatus ſit, ſed & factis, poſt omnes iniurias & contumelias paſſus quoque & crucifixus, vt nos pati & mori exemplo ſuo doceret. Hæc Cyprianus. At verò quod de lege naturæ afferebatur, militat potius pro cauſa Indorum. Neque enim iure Naturæ priuatus de priuato pœnas ſumere poſſet, neq; vim aliquam coërcendi haberet, cùm ſint omnes homines natura pares. Quoniam verò mores inſtitui rectè non poterant, neque Societas in officio contineri, placuit omnibus publicam poteſtatem creare, in quã ius ſuũ quiſque tranſferret, quæ proinde & leges condere, & ſupplicio afficere peccantes autoritate totius multitudinis in ſe tranſfuſa poſſet. Quod ſi Magiſtratus, aut Reſp. barbarorum ſuo muneri non facit ſatis, habet iudicem Deum, non Remp. aut principem aliquem externum. Alioqui cùm grauiſſima peccent interdum Principes, au Magiſtratus noſtri, licebit, vel Gallo, vel Italo, vel Anglo, Hiſpanienſis Reip. peccata caſtigare, & ius dicere, vt viciſſim inter ſe Principes hac autoritate fungantur. Hoc neque ineptius, neque rebus humanis exitialius dici quicquam poteſt. Neque verò vbi ſubditorum conſentit voluntas, præſidentium ſtoliditas, atque inſipientia poteſt per vim compeſci. Itaque ſi Principes barbarorum iniquè ac tyrannicè tractarẽt ſuos, poſſent innocentes per vim (ſi ſecus nõ eſſet locus) ab il-

Ad tertiam obiect.

ab illorum ſcelere, & iniuria eripi. Sin autē corruptio morum ea eſt, quam ipſi quoque ſubditi libenter ſequuntur; non poſſunt ab extraneis cōpelli ad virtutem. Neque eſt eadem ratio in pueris, & amentibus Remp. adminiſtrantibus. Naturale eſt enim, vt pueri non dominentur in viros, cùm puer etiam ſi ſit omnium hæres, nihil à ſeruo differat, teſte Paulo, ac multo minus inſanis in mentis compotes iuris aliquid eſſe poteſt, quē admodum, neque belluæ in hominem. At barbari iſti, & imperantes, & ſeruientes æquè vel ſapientes, vel inſipientes ſunt. Quare ſi ligna ſylueſtria, vt eſt in antiqua parabola, Rhamnum ſibi prætermiſſa oliua, ficu, & vite Regem creant, quid mirum ſi illius incendio concrementur? Hoc enim in ſumma intereſt, quòd barbarus non natura, ſed ſtudio, & moribus talis eſt; puer, & amens non ſtudio, ſed natura. Quamobrem quæ barbari peccant, non eſt cuiuſuis animaduertere.

Ad quartam obiect.

Gal. 4.

Iudic. 9.

De bello propter defenſionem innocentium, qui à barbaris trucidantur.

CAP. VI.

IN fine huius de bello diſputationis non prætereo ſententiam illuſtrium Theologorum, qui defenſionem innocentium, iuſtum titulum bello Indico poſſe prætendi ſignificant. Aiunt, ſi mores ſint adeò tyrannici legeſq́; vt innocentes paſſim trucidentur; quòd Carybes faciunt, vt eis veſcantur, dijsq́; ſuis immolent, tunc ſanè tēporis licere noſtris, & cuiuis Principi eiuſmodi infelices homines à cæde tyrannica eripere, ac ſi opus ſit, ferrò decernere, & barbaros ab ea immanitate

Ad quintam obiect.

nitate reuocare. Cuius documenti manifeſtam eſſe rationem quod fas ſit homini priuato innocentem de alterius nece, etiam cum inuaſoris cæde, ſi op' ſit, eripere, multò ergo melius id Reip. licebit in Remp. alteram. Vnicuiq; enim mandaſſe Deum de proximo ſuo. Et rurſus, Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Addunt præterea non obſtare rationi iam dictæ, ſi ipſi, qui occiduntur, ſponte patiantur, & ſeipſos offerant neci, imò etiam à noſtris liberari inde quàm maximè renuant. Neque enim eſſe dominos vitæ ſuæ, & planè quamuis libens patris irati mucroni, filius ſupponeret iugulum, liceret nihilominus vel inuitum à cæde eripere. Hæc illi differunt: quibus equidem nullo modo contradixero, cùm ſciam pro fide iuſtè ſuſcipi bellum, fidem verò ſeruandam ei qui læſus à potentiore, ad noſtra auxilia confugit. Innocētis verò defenſionem à morte præſertim, etiam ſi ipſe taceat, natura ipſa clamante, cuius valenti opem ferre, commendatā eſſe etiam atque etiam omnes quantum puto cōſentient. Itaq; efficitur, iuſti belli cauſam contra barbaros homicidas, defenſionem innocētium eſſe. Verùm hæc quamuis diſputata ſubtiliter, ſi tamen conferantur ad rem parum accommodata inueniuntur. Cùm enim defenſio iſta cum minimo lędentis damno adhibenda eſt, vnde neq; dominio ſpoliari barbari poſſunt aut vita, ſi poſſunt terrore aut ſubiectione aliqua contineri: tum verò nullius eſt rationis eos velle defendere, quorum grauiorem perpetres cædem. Conſtat verò copioſiſſimè, bello Indico plures infinitis partibus abſumi quàm vlla barbarorum tyrannide.

Eccl 17.
Prou. 24.

nide. Quare ſi moraliter loquendum eſt, vix poterit, vel potius nunquam omnino poterit ſuſcepti belli aduerſus Indos cauſa iuſta in defenſione innocentium collocari. Etenim quod & ſupra admonui, & ſæpe repetendum eſt, vaſtationis Chananæorum & terræ Palæſtinæ occupatæ neque hanc commemorant ſancti Patres cauſam, cùm profectò ſacræ literæ manifeſtè doceant nationes illas omni ſcelere contaminatas, neque etiam à plurimo innocentium ſanguine temperaſſe. In libro Sapientiæ legimus ad hunc modum: Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam cuſtodiunt, ſed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat, & omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum coinquinatio, natiuitatis immutatio, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. Atque hæc quidem ſunt illa opera gentium, quæ Dei populum didiciſſe ex earum conſortio Propheta dolenter meminit. Commixti, inquit, ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt eis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Quæ eò fuſius cõmemorata ſunt, quò minus noſtrorũ barbarorũ mores fœdos, & ſanguinarios miremur, cùm

Sap. 14.

Pſal. 105.

ſciamus familiare id fuiſſe perpetuò nefariæ idolorum culturæ,quę,vt Sapiens dixit,omnium malorum cauſa eſt, & initium, & finis. Ita demũ intelligemus eas omnes,quæ à nonnullis aduerſus Indos cauſæ prætexuntur, non defuiſſe antiquis iuſtis ſub lege aut etiam ſub Euangelio agẽtibus,contra ſui temporis infideles, & barbaras nationes:ſed nequaquam tamen eas ſatis eſſe exiſtimaſſe,vt bello infeſtandas arbitrarentur.

Quod omnia iam dicta de bello aduerſus Indos non ſolùm diuina:ſed etiam regia lege firmentur.

CAPVT VII.

HAud parum perfectum eſt,quòd omnes belli cauſas aduerſus barbaros,quæ noſtrum ad illos ingreſſum antecedunt, remouimus, vt vulgari errore profligato putantiũ beneficij loco ponendum eſſe,quod barbaris pro agris,& libertate prærepta, Fidem Ieſu Chriſti, & vitam hominibus dignam reddamus;quorundam etiam plus ſapere volentium,quàm par ſit,ſententia perſpicuè refellatur,qui noſtris ad illorum ſcelera,vel compeſcenda, vel etiam plectenda ius faciunt: quòd ſummæ potius iniurię tribuendum eſſe abundè,vt opinor,apparuit. Hinc iam conſequens eſſe videbatur,vt exponeremus,quid illis faciẽdum ſit,qui eiuſmodi expeditiones in Indos ſecuti,fortunis potiti, & opera ac ſeruitute miſerorum iure belli abuſi ſunt, quorum ſuperſtites ſunt hodie quoq; non pauci. An potuerint excuſari ignorantia?an ſint reſtitutioni obnoxij omnibus modis tum ipſi,tum res ipſorum,ad quoſcunq; tandem deuolutæ ſint? Et quid remedij tandem in tanta perturbatione afferri queat. Sed de

ijs

ijs quanquam eſt difficilis,&periculoſa cenſura, tamen alio loco, ſi Deus annuerit, dicetur opportunè. Nunc vniuersè, ius, & iniuriam indicendi belli tractamus: atq; illud tanquã totius actæ cauſæ firmamentum adijcimus, quòd cùm in omnibus regnis Indiarum tam multa prælia cõmiſſa ſint, & tot nationes ſubactæ; nullum tamen genus Indorum ſeruituti ſubiecit regia lex, quin potius Indos omnes, & liberos eſſe, & ſuis rebus liberè vti declarauit, grauiſſimis pœnis propoſitis ijs, qui veluti iure belli captos, ſibi mancipurẽt. Imò verò in omnibus expeditionibus, quæ fiũt, faciendæve ſunt, ſiue ad nouas gentes quęrendas, ſiue ad iam quæſitas perueſtigandas, inuiolabili lege ſancitum eſt, vt neq; noſtri milites aggrediantur non laceſſiti ad vexandos, cædendóſue barbaros, neq; illos vndecumque captos ſeruire cogant. Quia vna lege pleniſſimè demõſtratur, nullum belli ius noſtris ex quantauis Indorum barbarie, & inhumanitate concedi. Supereſt vt quoniã, & diuinis, & humanis legibus bello laceſſendi Indos omnis cauſa ſublata eſt, hac excluſa via prædicandi Euangelium ijs, quos armorum vis ſubegiſſet, perſequamur, an alius aliquis aditus pateat ad annuntiandum gentibus Chriſtum.

Veterem & Apoſtolicam Euangelizandi rationem non poſſe exactè ſeruari inter barbaros.

CAPVT VIII.

TRibus igitur modis, quantum mihi diligenter cogitanti occurrit, ad prædicationem Fidei apud barbaros inſiſti poteſt: quorum nos tũ æquitatem, tum prudentiam expendere neceſſe

 eſt.

eſt. Primus eſt, vt more, & inſtituto Apoſtolico, gratia Dei freti eant prædicatores ad gentes, & prædicent Euangelium, omni militari remoto apparatu. Alter, vt gentes nouæ non adeantur, ſed quæ iam fuerint principibus Chriſtianis ſubiectæ ſiue per ius, ſiue per iniuriam, ijs demum operam ſuam impendant verbi Dei miniſtri. Tertius, vt adeant quidem, & prædicent Chriſtum, vbi nominatus non eſt, ſed tamen humanis præſidijs, & copijs adiuti, quibus ſeruentur illæſi. Habent autem hæ ſingulæ viæ, proprias & commoditates, & difficultates ſuas, neque parum diuinæ lucis expetendum eſt, vt intelligatur, primùm, an quæuis iſtarum probanda, improbanda ve ſit, tum quæ debeat cæteris anteponi, ſi omnes ſequi non vacet, poſtremò quid in vnaquaque prouidendum ſit Chriſti ſeruo. Prima igitur illa non dubium eſt, quin ſit non ſolũ officij, & æquitatis plena, verùm etiam omni laude ſuperior, in ipſo duce, & Apoſtolo conuerſionis noſtræ Ieſu Chriſto primùm dedicata, deinde in ſanctis eius Apoſtolis illuſtrata, qui patientia ſua, & eximia paupertate potentiam mundi vicerunt, de
Eſai. 26. quibus Eſaias præcinit. Conculcabit ciuitatem ſublimẽ pedes pauperis, greſſus egenorum. In quo genere Euangelizandi prorſus Euangelico (neque enim dici aliquid maius poteſt) primùm conſolationis eſt plurimum, ipſis Dei miniſtris, quod vitam cœleſtem inſtituant, ab omni cupiditatis, & violentiæ ſpecie remotam, ideoque
Heb. 13. iucundam, & liberam. Ipſe enim dixit, Non te
Luc. 22. deſeram, neque derelinquam. Et, cùm miſi vos ſine ſacculo, & ſine pera, numquid aliquid defuit vobis? Teſtis huius rei locuplex eſt M. Franciſcus

ciſcus noſter, qui tanquam de alio loquatur, tantum diuinæ voluptatis, & conſolationis flumen in illa ſua verè beata peregrinatione in animum influere ſolere affirmat, vt cogeretur à Deo petere, vt aut imbecillitati ſuæ parceret, aut ſi ita decreuiſſet, iuberet ſe vitam commutare, quòd tantam vim cœleſtis dulcedinis ferre non poſſet. Id fortaſſe minus facilè credēt homines: ſed experti ſciunt, quid accipiant, & nemo ſcit, niſi qui accipit. Deinde fructus ipſe Euangelij meritò ſperatur vberior, vbi verbis facta non diſſident, ſed exemplo ſuo, manſuetudine, paupertate, benignitate, Chriſti prædicator vehementius pulſat animos, quàm aures quibuſuis vocibus. Nihil Paulus audebat loqui eorum, quæ per illum non efficeret Chriſtus. Admirabilis eſt vita Euangelica, & oculos ad ſe omnium animoſq; ipſa nouitate conuertens; cumq; intelligunt homines non ſua, ſed ſe quæri, tunc neſcio quomodo, & ſe & ſua libenter impertiunt. Poſtremò quicquid moleſtiæ accidit, quicquid difficultatis & periculi, mors deniq; ipſa & quiuis cruciatus, ſi tandem deſignetur in Chriſti militem, videtur ad illius gloriam cumulandam pertinere, neq; tam in fugam vertere, quàm palmam offerre, & certaminum omnium fructum pretioſiſſimum Triumphum Crucis. Quæ cùm ita ſe habeant, plerique eorum, qui ad munus dilatandi Euangelij excitantur, eam ſortem fœliciorem putant, vbi poteſt, vt dixi, Euangelium Euangelicè prædicari. Atq; in ea re nō dubium eſt, quin præclarè cum noſtris magna ex parte in India Orientali actum ſit, in qua verè more Apoſtolico licuit inter tot gentes Chriſtum annuntiare

Apoc. 2.

Rom. 15.

O 4 Indis,

Indis,Perſis, Arabibus, Aethiopibus, Malauaribus,Iapponenſibus,Sinenſibus,& infinitis alijs. Quam tamen Euangelizandi rationem ſi in pleriſque huius Occidentalis orbis gentibus ad amuſſim tenere quis pergat, nihil aliud quàm amentiæ extremæ damnandus ſit, neq; immeritò.Experiētia ipſa omni exceptione ſuperior teſtis rem abundè monſtrauit. Nam vt de alijs taceā,ſola terra illa Florida ſemel,atq; iterū,& tertiò pacificè ad ſe venientes prædicatores,inauditos indictā cauſa trucidauit, quòd & Dominicani probarunt, & noſtri plus ſatis experti ſunt. Itaque inſtitutum illud Apoſtolicum vbi teneri commodè poteſt, nihil prius, neque melius. Vbi autem non poteſt, vt ferè in omni barbarie res habet, non eſt prudentiæ, ſpecie iuſtitiæ ſanctioris committere, vt ſalutem ipſe abijcias, & alienam nihilo amplius compares. Mihi verò attentius intuenti in hoc inſtituti genus, duæ occurrere cauſæ ſolent, ob quas Apoſtolica illa Regula, & forma inter has nationes teneri exactè non poſſe videatur. Vna eſt ſatis nota, quòd hæ gentes ſicut beſtiarum moribus vtuntur, ita humanitatis parum permittant, ſine fœdere,ſine miſericordia,prout quiduis collibitum eſt,ita temerè agentes.In hoſpites,&externos nullum gentium ius obſeruantes,cùm ne inter ſe quidem naturæ leges ſciant. Quamobrē qui horum ſe rationi,& arbitrio commiſerit,poterit is cū apris & crocodilis amicitiā inire. Neque verò ab iſtis Martyrium expectandum eſt, quæ fortaſſis ſpes tantum diſcrimen leuaret, non enim pro Fide,pro Chriſto, pro Religione moriendum eſt:ſed vt vel ſuauiores epulas de te

præbe-

præbeas, quod Braſilienſibus, & toti Septentrionali oræ huius orbis vulgare eſt, vel ſpolium præbeas barbaris elegans, vel denique quia viſus es nunquam, & quid in te ſibi liceat, experiri iuuat. Apoſtoli prædicabant Chriſtum Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, alijs ſapientiam, alijs ſigna quærentibus: ſed vtriq; tamen ratione agebant: oderant verò illos propter nomen Chriſti, atque ita beatos potius faciebat perſecutio; per quam etiam miro modo Dei gratia amplius dilatabatur. At barbari, excepto hoc quod homines ſimus, nihil cogitant, imò illud quoq; diu addubitaſſe non pauci comperti ſunt. Altera cauſa in nobis eſt, cur Apoſtolica prædicatio inſtitui omninò Apoſtolicè non poſſit, quod miraculorum nulla facultas ſit, quæ Apoſtoli plurima perpetrabant: quorum ſplendore & potentia freti, authoritatē dicendi apud quoſuis quicquid placebat, facilè vendicabant. Habebantur homines Dijs ſimiles, atque ita cætera eorum paupertas, abiectio, ignobilitas, ineruditio ſæcularis, ornamento potius erant, quàm contemptui & faſtidio, diuinam eorum vim admirantibus, & prudenter iam inde colligentibus gentibus, quàm eſſent homines affectibus ſuperiores, & toti pene cœleſtes. Quod de Sergio Paulo Proconſule viro prudente diuinæ literæ commendandum memoriæ putarunt. At noſtri, nunc temporis, cùm talium operum maieſtate ſeſe barbaris admirandos, & timendos non præbeant, nihil reſtat, niſi vt reliqua vitæ inopia & impotentia penitus contemnatur, neque à generoſo & excelſo animo, ſed à miſera & aduerſa fortuna profecta intelligatur, atque adeò cùm ſordidi

1. Cor. 1. *Act. 10. & 14. & 28.* *Act. 13.*

illiberaleſq; iſti maxima ex parte ſint, omnium rerum penuria noſtros conſequatur neceſſe eſt. Et ſi enim ob cibum Euangelizare non expedit, ſed ſine cibo tamen Euangelizari non poteſt. His accedit, quod perſpecta noſtrorum hominum auaritia & ferocia ita hæ nationes perculſæ ſunt, vt ſibi conſulendum putent, noſtris vbicumque conceditur, ſine vllo diſcrimine interemptis. Non ſolùm ergo ſignorum vis noſtris temporibus deeſt, verùm pro ijs etiam ſcelera vbique feruent. Quo grauiſſimo incommodo intercluſa ferè videtur via ad primam illam penitus Apoſtolicam Euangelizandi rationem: vt maiores ſocietatis noſtræ ſapienter edixerint, ſpecie Euangelicæ perfectionis non eſſe temerè arbitrio barbarorum, prædicatores Euangelij committendos. Quandiu enim porcorum, & canum ſocordiam, atque impudentiam agnoſcimus, nobis
Matth. 7. quoque à Chriſto Domino præceptum exiſtimare debemus, ne pretioſas margaritas fruſtra mittamus ante eos, qui & eas conculcent pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant nos.

Cur miracula in conuerſione gentium non fiant nunc, vt olim, à Chriſti prædicatoribus.

CAPVT IX.

MVltos verò inter hæc illud quærere & admirari nô temere ſolere animaduerti, quid ſit, quod noſtra ætate in prædicatione Euangelij, apud nouas gentes miraculorum illa vis non cer
Marc. 16. natur, quam Chriſtus ſuis promiſit, quæque ad confirmanda ſuperhumana dogmata ſingulariter efficax eſt. Nam & nationes innumerabiles ſunt,

ſunt, quarum ſalutem Deo eſſe charam dubitare non poſſumus:& hæ, ſi quæ vnquam aliæ, externis ſignis & operibus prodigioſis fidem commodare pluſquam dici queat, facilè ſolent. Argumento eſt mirabilis illa, & inaudita noſtrorum hominum peregrinatio in terra Florida, vbi ex immenſo naufragio quatuor illi homines tantum ſuperſtites Cabeça de vaca, Dorantes, Caſtillo,& quidam alius, diuinitus gratia curationum donati,&opera Apoſtolica perpetrãtes,homines alioqui militares & profani, inter immaniſſimos barbaros per totum decennium non ſolùm illæſi ſeruati ſunt, verùm infinitas populorum cateruas poſt ſe agentes, itinera ad id temporis inaudita confecêre ab Oceano Arctico vſque ad Antarcticum mare penetrantes. Qua in peregrinatione,quemadmodum eorum fide digni commentarij habent, propter ſanitatum operationes vitæq; innocentiam tantum admirationis,& gloriæ apud barbaros ſunt conſecuti,vt propemodum adorarentur pro dijs, & quicquid imperarent,non aliter quàm de cœlo profectum acciperetur. Quæ res abundè monſtrauit, vt eorum etiam quidam literis prodidit,quàm eſſet facilis,ac certa via ad conuerſionem gentium harum,vitæ innocentia,præſertim ſignorum ſplendore decorata. Quid ergo? Cur putamûs Excelſi dexteram ſe continere, neq; quod facillimè poteſt,gratia miraculorum tot populos ad Fidem trahere? Iuuat interdum illa Prophetica oratione exclamare ad Dominũ, Miſerere noſtri Deus omnium,& reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum,& immitte timorem tuũ ſuper gentes,quæ nõ exquiſierunt te, vt cognoſcant,

Barbari Act 28. prim Paulum homicidam, mox Deum dicebant, quòd nihil læſus eſſet à vipera.

Eccleſ. 36.

cant, quia non eſt Deus niſi tu, vt enarrent magnalia tua. Alleua manum tuam ſuper gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis: vt cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus, quoniam non eſt Deus præter te Domine. Innoua ſigna, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachiũ dextrum, & reliqua. Atque hæc ſanè oratio huic tempori, & negotio non aliena videtur. Verùm cur tanta ſignorum parcitas ſit, cùm videatur tam eſſe effuſa neceſſitas, meritò cruciat animum. Etſi enim Apoſtolica tempora vberiore Spiritus Sancti dono ditata ſunt, & ſpiritus primitias habuerunt; tamen non ſtatim cum ſæculo illo primo euanuit poteſtas ſignorum. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrant tempore Conſtantini Magni totam Iberiam Prouinciam, quæ eſt Armeniæ proxima, Chriſtianæ mulieris captiuæ opera, & ſignis, ad Chriſtum eſſe conuerſam. Legimus in hiſtorijs Anglorum quot & quàm magna per Auguſtinum, & Iuſtum, & Mellitum, cæteroſque monachos miracula Chriſtus ediderit, & magni Gregorij in hac cauſa teſtimonium tenemus, quod gentium ſaluti Deus tanta indulgeret. Cur ergo noſtra tempora deſerta ſunt, quibus tanta orbis portio innotuit, vt cum ea Anglia vniuerſa ſi conferatur, vix domus exigua ad ingentem vrbem futura ſit? Multos ergo, vt dixi, ad hunc modum ſecum cogitantes, pia hæc neq; indocta quæſtio tenet. Mihi verò illud Auguſtini opportunè occurrit, qui cùm commemoraſſet paulò ante, diuinam vocationem interdum ſignis externis, aliquando interno potius impulſu fieri,

Auguſt. li. 83. q. q. 68.

fieri, mox adiungit, Hæc autem vocatio quæ ſiue in ſingulis hominibus, ſiue in populis, atque in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur altæ & profundę ordinationis eſt. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut cum quo iniјt conſilium? Populum Iſraêl ſibi charũ, initio de ſeruitute Aegypti Pharaone toties profligato ingentibus prodigijs eripuit: eundem populum longè poſt de Babylonica captiuitate patriæ reſtituit, non ita magnis operibus perpetratis: illic quidem per Moyſem, & Aaron; hic per Zorobabel & Ieſum: neque tamen minus ſe mirabilem prædicari vult ſecundo iſto reditu, quàm primo illo ingreſſu in terram promiſſionis. Proinde Hieremias loquitur, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur vltra, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aegypti, ſed viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, & de vniuerſis terris, ad quas eieceram eos. Cui rei non diſſimile mihi videtur, quòd Eccleſiam ſuam olim in ipſis Euangelij cunabulis, multorum ſignorum & variorum chariſmatum copia congregauerit, eandem modò de gentibus non minus mirabiliter mirabilium parcitate colligit, diuerſa tempora ſecundùm altiſſimas ſapientię ſuę leges diuerſis rationibus adminiſtrans. Attamen in re obſcura, quantum ſapere datur, nonnihil etiam rationis inuenire poteſt humana cogitatio, modò ſobriè quærat, in charitate primùm radicata & fundata, vt poſſit comprehendere. Ac mihi quidem aliquoties iſta animo repetenti tam perſpicuæ diuerſitatis in poteſtate ſignorum, illa occurrere cauſa ſolet, quod priſcis temporibus omnino neceſſaria fuerint, no-

Eſaiæ 40.
Exod. 14.
Agg. 1 & 2.
Zach. 1.
3 Eſd. 5.
Hier. 16.
Epheſ. 3.

rint, noſtris non item. Etenim fides myſteriorum ſublimium omnem humanam rationem ſuperātium aſtruenda tunc erat apud homines maximè ratione ſua cuncta metientes, & ad ſolitos calculos reuocantes, Græcos inquam atque Romanos, cæteroſq; illa maximè ætate ſapientia huius ſæculi florentes. His quomodo per homines paucos, ignobiles, imperitos perſuaderi poſſet, doctrina omnibus humani ingenij viribus validiſſimè obſiſtens, quam proinde ſtultitiam Dei Apoſtolus vocat, niſi diuina quædam, atque ineluctabilis euiciſſet authoritas, conteſtante Deo ſignis, & prodigijs, & varijs chariſmatibus? Quod etiam Paulus Apoſtolus ſæpè commendat. Sermo meus, inquit, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, & alio in loco, Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiam & apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Ita religio Chriſtiana, vbi humana præſidia prorſus aberant, diuinis eſt fundata miraculis. At noſtrorum temporum longè alia ratio eſt. Nã & ij, quibus fides annuntiatur, omnibus rebus inferiores ſunt, ratione, cultu, authoritate: & ij, qui annuntiant antiquitate religionis ſuæ, multitudine ſuorum, ingenio, elegantia, cæteriſque copijs ad perſuadendum ſuperiores ſunt, & abundant. Neque barbarorum ingenia ea ſunt, quæ fidei difficultatibus terreantur, cùm à maioribus ſuis obſeruent ipſi longè incredibiliora. Ac reuera ſi

1. Cor. 1.

Heb. 2.

1. Cor. 2.

Rom. 1.

Chriſtus annuntietur, vt opus eſt, obſequentes, & ad credendum faciles ſeſe exhibent. Denique quid magnorum ſignorum confirmatione opus eſt, vbi potius deſideratur acutior intelligentia, quæ altitudinem doctrinæ noſtræ aliqua curioſitate diſquireret? Vnum illud his gentibus huic nouo orbi potentiſſimum, & ad Fidem efficaciſſimum ac pene ſingulare miraculum neceſſariũ eſt, mores cum Fide congruentes Hoc & abundè ſufficit, & omnibus conceſſum eſt, modò velint. In hoc argumento explicandò de ſignorum raritate, mirificè verſatur S. Ioannes Chryſoſtomus in epiſtola priori ad Corinthios tractans illa verba Apoſtoli, vt Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Ac primum quidem monſtrat ſigna Euangelicæ prædicationis initio patrata Fidem non illi ſolùm ſæculo, ſed & futuris peperiſſe. Si enim illa tunc peracta creduntur, certum eſt, doctrinam, cui confirmandæ adhibebantur, diuinitus, eſſe profectam & inſpiratam, ſin autem hiſtoriæ, ac veritati ſignorum minus gentilis credat, at longè omnibus ſignis maius eſt, homines paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus expoſos toti orbi perſuaſiſſe Religionem adeò intellectu arduam, & omnibus affectibus oppoſitam, qua neque ratione firmarent, neq; potentia defenderent, neq; viſibili aliquo præmio perſuaderent. Non ergo Fides iam ſatis fundata miraculis, nouis indiget cõfirmari, quin potius vtilius eſſe aſſerit ſignis nũc carere, quoniam maioris meriti ſit. Poſtremò id, ꝙ de vitæ integritate ad fidem conciliandam Euangelio admonui, adeò confirmat, vt dicat, Quòd etſi in præſentia ſigna viderẽtur, quis tamen perſuaderet? quis

1. Corin. 2.

Chryſo. hom. 6 in 1. ad Corinth.

ret? quis externorum aures nobis accommodaret,cùm tantopere increbreſcat malitia? Etenim probata Chriſtianorum vita maiorem apud multos authoritatem ſibi vendicabit,quàm ſigna. Siquidem hæc apud impudentes, & malos homines malam concitant opinionem. Vita autem pura,etiam ipſum Diaboli os maiorem in modum obſtruere poterit. Hæc ille. Quibus ego addiderim inter Apoſtolica ſigna ad ſubiugandum orbem in obſequium Chriſti hoc maximum extitiſſe. Signa,inquit Paulus, Apoſtolatus noſtri facta ſunt ſuper vos:in omni patientia,in ſignis, & prodigijs,& virtutibus. Vide obſecro te quid loquatur,vbi inter ſigna Apoſtolatus primũ locum tribuit Patientiæ,ſecundum miraculis,& prodigijs. Atque ad Theſſalonicenſes, Ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed ante paſſi,& contumelijs affecti,& cætera,vbi qualis fuerit vita,qui mores, quàm ab auaritia,ab adulatione, à faſtu omni remoti, id verò pro certo, & inſuperabili veritatis annuntiatæ teſtimonió profert. Sit vita pura, & innocens,in Chriſti prædicatore: & hęc ſignorum omnium vim obtinebit.

2.Cor.12.

1.Theſſ.2.

Quod etiam exiguo merito Prædicatorum, ſignorum parcitas aliqua ex parte attribuenda ſit.

Capvt X.

Qvod ſi quis præter allatã rationem,amplius adhuc requirat,accipiat etiam alteram. Miracula quidem etiam per homines à charitate Dei alienos effici poſſe, notior res eſt, quàm vt longa probatione indigeat. Habes Paulum dicentem;

centem, ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Habes ipſum Dominum perſpicuè docentem: Multi dicent mihi in illa die, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? quibus ipſe reſpondebit. Amen dico vobis, neſcio vos: Diſcedite à me operarij iniquitatis. Quo in loco Baſilius Magnus, & autor de Eccleſiaſticis dogmatibus ſeriò monet vitæ potius fidendum eſſe quàm ſignis; quod his interdum etiam peccatores abundent. Nam & ille in Euangelio dæmones expellebat, qui Chriſtum non ſequebatur. Hæc quanquam ita ſe habent, tamen non dubium eſt, quin frequentiſſimum ſit, & veluti lege fixum, vt quo quis fide & ſanctitate magis eminuerit, eo aptius inſtrumentum ſit, per quod Spiritus ſanctus tam præclara opera perpetret. Vix enim inter multos vnus occurret, qui vera ſignorum gloria claruerit, qui non idem egregia fide opus Domini operatus ſit. Cùm enim Apoſtoli etiam ſemicinctia ac ſudaria magna in oppreſſis peragerent, Scæuæ cuiuſdam filij viribus maiora conantes, etiamſi Chriſtum inuocarent, & Paulum commemorarent, tamen iuſtè audierunt ſibi à malignis ſpiritibus reſponderi, Ieſum nouimus, & Paulum ſcimus: vos verò qui eſtis? Quo facto nos admonitos ſcriptura voluit, etiamſi Chriſti nomen ad profligandas hoſtes ex corporibus humanis ſatis potens eſſet, ſed tamen malorum meritis impediri ſæpe rem tantam. Quid ergo mirum, ſi rara illa, & admiranda teſtimonia aufugerint, ſi ſigna noſtra, vt eſt in Pſalmo, non videamus, neque ſit propheta in terra, vbi Fides exigua eſt, vbi charitas refrigeſcit,

1. Cor. 13.

Aug. li 83. q. q. 79 fusè.

Luc. 9.

Act. 19.

Psal 73.

raruſque omnino eſt, qui parem animi cum cor pore curam gerat, & celebretur ille pro ſancto, qui paulo ſtudioſius puerilis carnis illecebras, & ſæculi vanitates ab ſe abdicarit? Equidem non dubito ſi illa priorum priſca fides, ſi pietas, ſpirituſque feruor ille rediret, quin priſca etiam opera ſpectaturi eſſemus. Conuertamus oculos in noſtri ſæculi hominem B. Magiſtrum Franciſcum, virum Apoſtolicæ vitæ, cuius tot, & tam magna ſigna referuntur per plurimos, eoſq́; idoneos teſtes, vt vix de alio exceptis Apoſtolis plura, aut maiora legantur. Quid M. Gaſpar, alijq́ue ſocij non pauci in India Orientali, quantam diuinæ magnificentiæ laudem nouis conuertendis populis operibus admirabilibus pepererũt? Quod in alijs ſacrorum Ordinum viris perſpectum etiam eſt, & in noſtra quoque Occidentali India non omnino inuſitatum. Verè humilibus

Iac. 4. 1. Pet. 4. dat gratiam Deus. Atq; vt eos canales infundendo liquori ſapiens artifex eligit, qui neque comminuti, neque vitiati aliqua ex parte ſint, ne hũmorem infuſum, vel non tranſmittant quò oportet, vel propria affectione corrumpant: ita profectò Spiritus ſanctus ad ſuã potentiam, & gloriam declarandam, eius puritatis viros, atq; humilitatis aſſumit, qui nihil ſibi ſumentes, totum Deo, cuius eſt omne donum perfectum, & ſaluti proximorũ ſyncerè refundant. Quod quia magnum, & rarum eſt, ita ſcilicet, Deo eſſe fidelem, vt neq; in magno, neq; in paruo Dei gloriam ſibi quis ſuffuretur, iccirco rara etiam ſunt talia dona. Si enim in iniquo mammona infideles eſtis,

Luc. 16. ait veritas, quod veſtrum eſt, quis credet vobis? Hoc profundè ſignificans, quod qui etiam de pueri-

puerilibus, & ſæcularibus ſuperbimus, de opibus, de genere, de elegantia, quod vocat iniquum mammona, & alienum, quia verè, neque noſtrum eſt, neque iuſto dignum, quomodo non magis intumeſcemus, ſi ſpiritus dona illa magna, & præclara noſtræ fidei committantur? Atq; has ego duas præcipuas eſſe cauſas reputare ſoleo in raritate ſignorum: & alteram diuinæ eſſe iuſtitiæ, alteram ſapientiæ, quibus ſuprema illa, & inexhauſta potentia quodammodo cohibetur, atque libratur, ne ſe ſecundùm diuitias ſuas effundat. In omnibus verò bonitatem ſuperexcedétem conſiderare licet, quæ etiam hoc ipſum quod minus præſtare, atque indulgere videtur, ad hominum certam ſalutem accommodat, atq; conuertit. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

De Prædicatione inter eos qui Fidē iam receperunt. CAP. XI.

IGitur morem illum Apoſtolicum Euangelizandi vbi nominatus Chriſtus non eſt, vt omnium beatiſſimum, vbicumq; licet, retinendum eſſe, vbi id verò minus conceditur propter malitiam, vel regionum, vel hominū, ſaltem ſuſpirandū, & quoad eius fieri poteſt, imitandum, ſatis, vt reor, monſtratū eſt. Sequitur vt de eo predicandi genere diſſeramus, in quo auditores iam vtcumq; Chriſtianos offendimus, & legibus noſtris ſubiectos. Id quod eſt modò vſitatius, propterea quòd non tam nouis regionibus inueſtigādis, quàm olim repertis excolendis, magis inuigilare hominum ſtudia cœpere. Qua in re duo præcipienda videntur. Vnum, vt Principum ciuili iuriſdictioni minimè reſiſtatur. Alterū vt in

Eccleſiaſtica cura religiosè, & magno animo perſeueretur. Nihil perinde inſtructioni, & ſaluti Indorum nocere compertum eſt, atque peruerſam quandam, & malignam poteſtatum temporalis, & ſpiritualis concertationem, aut imminutionem, aut quoquomodo offenſionem. Atque vt de cæteris modo magiſtratibus ſæcularibus taceamus, certè grauiter errant quidam ſpecie fortaſſe pietatis, ius regium, & adminiſtrationẽ vocantes in dubium, quærentes interdum, quo titulo, & iure Hiſpani dominẽtur Indis? Num hæreditario iure ad nos deuoluti ſint, an bello iuſto ſubiecti? Quæ ſanè diſputatio eò pertinet, vt adminiſtrationis Indicæ, vel tollatur, vel certè debilitetur autoritas, quo ſemel ſi grad⁹ fiat, quãta ſit futura pernicies, quæ perturbatio rerũ omnium conſequatur, dici vix poteſt. Neq; verò id ego modò ſuſcipiam, vt bella, bellorũq; geſtorum rationes defendam, atq; omnes illos ſuperiorum temporum turbines. Illud religiosè & vtiliter moneo non oportere in hac cauſa amplius diſceptare, ſed veluti præſcriptum iam ſit, optima fide agere debere Chriſti ſeruum. Neq; alia ſubtilior petenda eſt cauſæ euictio, quàm quòd, vt demus quàm maximè peccatum eſſe in vſurpatione dominatus Indici, tamen neque reſtitui iam poteſt (cui enim, aut quibus modis?) neque ſi maximè poſſet, Fidei Chriſtianæ ſemel ſuſceptæ euidens iniuria, & periculum, id illo modo pateretur. Nam etſi infideles ad Fidem profitendam cogi violenter ab alienis præſertim principibus, diſciplina Chriſtiana grauiſſimè deteſtatur, & prohibet: eadem tamẽ ipſa religionem ſemel, ſiue iure, ſiue iniuria ſuſceptam, nullo modo de-

dò deſerendam eſſe,& deſertores coërcendos eſſe ſeuerè decernit.Qua de re extant Patrum antiqua decreta in Concilio Toletano, Oportet, inquiunt,vt Fidem etiam,quam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt,tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur,& Fides,quam ſuſceperunt,cõtemptibilis habeatur. Plus enim habet iuris, vt Auguſtinus cenſet, quod in eis Dominicus character agnoſcitur. Adde,quod ſubditorum non eſt iſta examinare, ſed honorem potius omnem deferre principibus.Certè Cæſarum dominatus in orbem inuectus,ſi quis exactius diſcutiat,maxima ex parte tyrannicus fuit,neq; tamen Paulus, & Petrus eorum potentiæ reſiſtendum docuerunt,quin potius honorem, obediẽtiam ac tributa reddenda diligenter præcipiunt, idq; non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ac licet alijs gentibus iure aliquo imperarent Romani, at in Iudæos iniuriosè profectò irruerant:tamen Chriſtus Dominus, neq; cenſũ, neque tributa reprehendit, ſed ſoluit ipſe quoq; libertate ſua non vtens, cùm eſſet filius ſummi Regis. Et cùm multa in Herode Ioannes Baptiſta acriter obiurgaret,potentiam tamen nunquã increpuit, imò verò milites ſtipendia Romana, qualis eſt in Actis Apoſtolorum, ille Centurio, rectè mereri ſanxit. Deniq; & magnarum opum & Regnorum maximè iura, cùm ſæpe per iniuriam introducta ſint,tamen videmus in ſacris literis principibus ſua imperia conſtare,& ſubditos obedientiam doceri. Igitur ſiue iniuria vſurpatus ſit dominatus Indicus, ſiue quod magis exiſtimandum,& prędicandum eſt, quantum attinet ad Regum adminiſtrationem, iure & ordi-

Conc. Tol. 4. c. 55 d. 45. De Iudæ.

Epiſ. 50. ad Bonifa.

Rom. 13.
Tit. 3.
1. Pet. 2.

Matt 22.
Matt 17.

Luc. 3.

Act. 10.

ne, nequaquam expedit Indorum adminiſtratio nem, quæ illis vtiliſsima eſt ad ſalutem æternam, Chriſtianis principibus derogare. Hoc ſibi cùm perſuaſerit Euangelicus operarius, poterit ſine vlla offenſione, & ſcrupulo in hanc latiſsimam ſegetem falcem mittere: & tam de ſalute Indorum, quàm illos adminiſtrantium in Chriſto cogitare, atq; operam ſuam omnem impendere fideliter, ingreſſurus ſine dubio vaſtiſsimam quã dam ſyluam, multis quidem aſperitatib⁹ horribilem, ſed tamen fertilitati Euangelicæ commodiſsimam, modò zelus Dei vigeat, & tolerantia non deſit cum fiducia coniuncta. Et quoniam, quod ad caput alterum attinet de Eccleſiaſtica, & religioſa diſciplina cõſeruãda tam in noſtrates, quàm in ipſos Indos, vbi iam Fides Chriſti ſuſcepta eſt, prolixiorem orationem deſiderat, tractãda res eſt vberius cõſequẽtibus libris. Modò illud maneat, vt in militari diſciplina res habet, non rectè prouinciã aliquam expugnari, & in ditionem redigi, niſi deducta colonia, & præſidio impoſito, gradus figatur, ita profectò in horum infidelium conuerſione, nihil ſperandum eſſe lucri, niſi obfirmato animo, ijs corripiẽdis, inſtruendis, atque ad perfectum vſque promouendis conſilia, curæ, conatuſque omnes admoueantur. Neque enim repente quicquam legitima incrementa ſuſcipit.

De expeditionibus neceſſarijs ad prædicandum barbaris Euangelium.

CAPVT XII.

QVoniam conſtat antiquo, & Apoſtolico more non poſſe pleroſque infideles obiri, & debel-

debellari barbaros prius, vt mox domiti religionem Chriſtianam recipiant, multis, & magnis rationibus peruerſum eſſe monſtrauimus, non exiguæ occurrere videntur anguſtiæ, quonã modo, & via verbũ Dei ad nouas nationes peruenire queat. Sed quia omnibus gentibus prædicari Euangelium oportet ſecundùm Saluatoris præceptum, & prædictionem, & nulla eſt hominum portio, quam incurabilẽ reliquerit ſummus cõditor, colligitur, nouo aliquo Euangelizandi genere vtendum eſſe, nouo quoq; hominũ generi accõmodato. Vt enim barbari, veluti mixta humana & ferina natura conſtant, vt moribus non tam homines, quàm hominum mõſtra videãtur, ſic quæ cum illis inſtituenda eſt cõſuetudo, partim humana & liberalis, partim ſubhorrida, & ferox ſit, neceſſe eſt, vſq; dũ natiua illa ſua feritate depoſita, paulatim mãſueſcere incipiãt, & ad diſciplinam humanitatemq; traduci. Nõ igitur negligẽda eſt accuratior de expeditionibus tractatio, quibus, vel incognitæ nationes explorantur, vel iam exploratæ adeuntur, idq; ſæpius nauigatione prolixa, interdum terreſtri itinere. Quo in vtroq; genere in hoc Occidentali orbe, atq; Oceano Antarctico nouæ quotidie gentes, & huc vſque inauditæ occurrũt, quarũ ſalus nullo modo contemni poteſt. Simul ergo proficiſci oportet viros militares, neceſſaria humanæ vitę præſidia in tam longa, tamq; periculoſa peregrinatiõne ferẽtes, ſimul vitæ æternæ præcones, caſtris Chriſti militãtes, vt diabolica tyrãnide captas animas Deo expugnent. Id ita cõiuncto officio oportere fieri, non ſolũ ratio docuit, verùm ipſa iam longo vſu comparata experiẽtia. Qua-

re ſi qua ſpes eſt ſalutis barbarorum,in his certè expeditionibus poſita eſt.De quib⁹ primū quod ad militiæ leges ſpectat ſecūdum omnium ſupremam Dei legem,dicendum erit:deinde quod ad prædicationem conuerſionemq; gentium pertinere arbitrabitur. Prius enim quod animale eſt, deinde quod ſpirituale. Tria igitur quæri poſſe videntur, Primum quo iure, quave ratione nouæ expeditiones in barbarorum terras ſuſcipiantur:tum quid in ijs fas ſit agere noſtris: poſtremò quibus iniurijs laceſsiti Chriſtiani poſsint ſibi barbaros ſubijcere, vel bello vel vi.

1.Cor.15.

Quo iure Chriſtiani expeditiones facere poſſint in regna barbarorum.

Capvt XIII.

Regna igitur barbarorū quo iure Chriſtiani adierint,adireve poſsint, ſi quis ex me quærat,facile reſponſurus ſum, nō alio opus eſſe quàm ipſo communi naturæ,quod homines ſint.Peregrinari cuiuis quocumq; fas eſt: nefas verò hoſpitem pacatum,neque lædentem, neq; ſuſpectum cōmuni ſolo excludere. Quamobrem leges illæ Chinenſium,quę capitis ſupplicium in hoſpites iniuſſu Regis venientes ſtatuunt,iniquæ profectò ſunt,& ab omni humanitate alienæ. Nam vt nihil aliud, certè innatus amor noua diſcendi,atque experiendi,ius cuique facit,vt remotiſsima quæq;,ſi libeat, oculis, atq; animo luſtret, quòd ad rerum humanarū, atque etiam phyſicarum prudentiam non parum conferre cenſuit Poeta, qui ſagaciſsimi viri laudes exordiens, Qui mores hominū, inquit, multorū vidit,& vrbes.Itaq; hoſtibus tanquā pœna dignis adi-

Homerus initio Odiſſeæ, vt vertit Horatius.

aditum ad nos præcludimus,cæteris non itẽ, niſi meritò in ſuſpicionem veniant. Iam verò mercaturæ artis hoc proprium eſt,vt quæ apud ſuos abundant, deferant ad externos, & quibus viciſſim illi circunfluunt,reportent ſuis. Ita enim communis noſtri generis author mortales omnes inter ſe ſociandos, & quadam communione in officio retinendos exiſtimauit, ſi ſibi eſſent viciſſim opportuni,& commodi. Atq; vt in hominum ingenijs alios alia curare cernimus, vt hic calceos paret,ille contra domum ædificet, ita ipſas orbis terrarum regiones ſuo quoq; quodam fœdere coniunxit,dum rerum aliarum alijs atque alijs feracitatem attribuit, nec fœlicitatis humanæ eſſe cenſuit,quod ille cecinit,

Omnis feret omnia tellus. *Virgil.*

Auri atque argenti haud ſcio an ditior vlla regio poſſit concurrere hoc ipſo Piru, aliarum pene omnium rerum olim ſummopere indigente. Alibi metalla,alibi gemmæ abundant, alibi ligna, piper,herbæ medicinales,lana,ſerica,artificia,& id genus ſexcenta. Qui ergo commoditates ſuas, nauigantes aut peregrinantes apud exteros quærunt,illis viciſſim vtiles futuri, operæ pretium facere quis non videat? At in iſtis, dicet aliquis, cupiditas potius regnat, & immoderata rapacitas,ſicut & in illis alijs pernicioſa ſæpe curioſitas aut oſtentatio potius,quàm vtile aliquid diſcendi communicandiuè ſtudium. Neque humanitatis eſt officium,ſed auaritiæ ſitis, qua feruntur. Quis hoc neget? At modò non quid vitioſitas hominum habeat,ſed quid ipſa communis vtilitas concedat,expendimus. Licet ergo, licet ſine vlla dubitatione barbarorum fines penetrare,

idq; ſi renuant nulla vel accepta vel meritò expectata iniuria, iniqui ſunt. Verùm his ſepoſitis rationibus, quas habet ipſa natura communes, eſt omninò ſingularis quædam cauſa Chriſtianis, & ab ipſo omnium conditore ius conditum, vt quæ à Deo didicerunt, doceant ipſi cæteros mortales, quorum ſalutem optare & quærere debent. Qui ergo dixit, Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, is certè aditum liberum quocumque terrarum aperuit, quem qui nobis præcludere velint, & ſummi Dei præcones ac legatos inauditos à ſe relegant, non ſolùm contra ſalutem ſuam facere putandi ſunt, verùm etiam inſignem Chriſtianæ Reipub. contumeliam irrogare. Quod ſi barbari prædicatione Euangelica commonendi excitandique ſunt, neque id fieri vnius, & alterius ſacerdotis peregrinatione permittit, vel ipſorum ingenium ferox, vel regionum immenſa diſtantia, neceſſario præſidio deſtituta, perſpicuum eſt complurium hominum cætu, & rerum opportunarum apparatu opus eſſe: quæ ſanè duo in Expeditionis ratione continentur. Nouas ergo ſiue Expeditiones, ſiue profectiones, ſiue alio melius vocabulo appelles, ad Indorum terras, conuictumque explorandum, eſſe æquitatis, & officij plenas, ſi genus ipſum per ſe ſpectetur, ſatis ex his perſuaſum puto. Ariſtoteles quidem in Politicis ſuis, Peregrinis non admodum fauere videtur: Seditiones, inquit, concitat peregrinitas, donec in eandem ſimul conſpirationem deuenerit. Quapropter quicumq; adhuc inquilinos ſuſceperunt, vel aduenas, omnes ferè ſeditionibus iactati ſunt, cuius documenti exempla plurima accumulat.

Marc. 16.

Ariſtot. 5. Pol cap. 3.

cumulat. Cæterùm & ſi rectè ac perfectè inſtitutis ciuitatibus peregrinorũ turba meritò ſuſpecta eſſe debeat, ac proinde purgatio aliqua iuſta ſit, tamen barbarorũ alia longè ratio eſt, qui vel ob hoc ipſum externis indigent, vt eorum Reſpub. rectè conſtituatur, imò verò vt poſſint eo nomine dignam habere Remp. quippe cùm ferarum magis ritu vitam agant, quos ad ſocietatẽ legeſq́ue naturæ accommodatas attrahere, & reluctantes quodammodo compellere, ſecluſa tamen ſeruitute, & cæde, potius officio aſſignandum eſt. Quod vſque adeò certum habuit Philoſophus, vt barbaros homines parere nolentes, bello etiam domare, iuſtum natura decernat, quod nos ita temperamus, vt capi quidem, aut cædi, aut profligari barbaros nequaquam ſinamus, propterea quòd naturalem ſeruitutem nullam agnoſcimus, ſed tamen melioribus, & ſapientioribus pro ſua ſalute docendos ac regendos, non illiberaliter committamus. *Ariſtot. 1. Pol. c. 5.*

Quid in terris barbarorum Chriſtianis liceat.

CAP. XIIII.

VNDE fit conſequens ea omnia, quæ huic fini honeſtè præſcripto neceſſaria ſunt, ipſa lege naturæ, & Chriſti, noſtris apud illos licere, imò verò etiam expedire, modò id quod vbique quidem, ſed in hac maximè cauſa ſeruandum eſt, modus adhibeatur; Vt ne quid nimis. Quoniam ergo natura barbarorum eſt maximè inconſtans, atque infida, opus eſt, vt qui apud illos verſantur, ſecuritati ſuæ conſulant, & neque nocere cupiant, neque tamen ſe fruſtra lædi permit-

permittant. Quare quæ defenſionis ſunt propria & tutelę, ea nemo culpare debet, ſi Chriſtiani ſatagant. In quo genere ſunt portus naualibus ſtationibus occupati, arces erectæ, ac munitæ, præſidia militaria cætera, quo cōfugere violati queant, & barbaros quantum ſatis erit, terrore ipſo, in officio continere. Hoc à Luſitanis factitatum in pleriſque Orientis maritimis vrbibus, non ſine egregia ipſorum gloria, & magna Chriſtianæ Reipub. commoditate, nemo eſt, qui nō laudet. Quod ſi moroſior quiſquam id interpretatur iniuriam, propterea quod in ſuo regno munitiones, & præſidia extrui ab externis, quiuis noſtrorum principum grauiter indignaretur, & quantis poſſet viribus obſiſteret, intelligatis oportet, barbarorum ingenium eiuſmodi eſſe, vt nullam patiatur iniuriam, ſi contra ipſorum iniurias ſe quiſquā muniat, quod in noſtris humanè & pro dignitate ſeſe gerentibus ſecus habet: qui enim inter ſuos non niſi armatus incederet, iniurius eſſet, idem ſi inter externos, & meritò ſuſpectos armatur, cautus & prouidus potius dicetur. Adde quod ipſorum barbarorum intereſt, vt noſtri cum illis conſuetudinem habeant, quā fieri poſſit, tutiſſimam, & diuturnam, vt religionis veræ, ac ſalutis ſuæ, documenta percipiant. Atque hæc quidem militaris apparatus, & diſciplinæ cauſa eſt, quam dixi. Iam quod ad commutationes rerum pertinet, & mercimonia, nihil eſt quod hoc loco peculiariter pręcipiendum ſit, præterquam vt pretia rerum iudicio boni viri atque prudentis conſtituantur. Qua in re non mediocrem habet quæſtionē, vtrum quanti barbari merces noſtras æſtimant, tanti tranſigi poſſint.

ſint. Nam bracteolas,& calculos, & gladiolos,& ſiſtra,& vitrea,& id genus nugas ac ſcrupea, tanto in pretio apud iſtos haberi compertum eſt, vt auri,aut argenti non paruam vim,interdum eximios etiam ſmaragdos cum his cõmutare perlibenter ament. Verùm iſta diſcutere enucleatè, non huius negotij eſt. Illud exploratum teneamus,omne genus mercimonij cum iſtis exercere licere,pretium verò neque lege, neque certa ratione conſtare,ſed iudicio ſapientis, qui perſpiciat quantum abundent ijs,quæ ipſi reddunt, & quanti faciant,vel ad vitæ præſidia, vel ad ornatum quendam ipſis charum ea, quæ accipiant à noſtris,& quanta horum copia inopiauè ſit: vt omnibus probè perſpectis atque libratis quæ rerum æſtimatio iuſta cenſenda ſit,ſtatuere poſſit. De agris verò colendis, & fructibus faciendis, dummodo fundi ijs neceſſarij aut culti non occupentur, non dubium eſt quin beneficij etiam loco ponendum ſit, ſi deſertos & infœcundos agros noſtri exerceant,& ſementem faciant, atq; Europæ frugibus aſſuefaciant. Idem in gregibus alendis iudicium eſt, vbi paſcua vberrima nullis vſibus vacant,quod plerique barbarorum armenti,ac pecoris negligentes ſint, venationibus delectentur. Denique quicquid vtilitatis noſtris ex illorum ſolo accedere poteſt, ſine vllo eorum detrimento, imò cum non exiguo emolumento, id iure naturæ conceſſum eſſe dubitare non poſſumus. Quamobrem quod ad auri & argẽti fodinas exercendas ſpectat, quod præcipuè noſtrates curant, pro conceſſo reputandum eſt, quicquid barbari pro neglecto habent. Ita metalla fodienda ſuſcipere,aut auri grana ex fluuiorum obicibus co-

bus cogere, aut argenti fundendi induſtriam ſequi, aut gemmas ex fundo expiſcari, aut pretioſos vniones eruere, aut quicquid denique rarum eſt, & indigenis, vel ignotum, vel deſpectum, nõ eſt contra æquitatem, ſi harum rerum ſtudioſi ſua diligentia & induſtria perſequantur. Sed obſeruandum tamen, vt neque iam ab incolis occupata, & habita in pretio, iniurioſè dolo, aut vi præripiantur, neque ipſimet noſtris ad noſtras non ipſorum commoditates ſeruire cogantur: quod vtrumque periculi plenum eſt.

Quando liceat barbaris infidelibus bellum inferre.

Capvt XV.

QVod ſi barbari, vt ſæpe ſolent, nullis iniurijs læſi, ſed humanè ac beneficè affecti, noſtros lædere pergant, aut fide violata cædem meditentur, præſidia aggrediantur euertere, agros populentur, fruges corrumpant, naues iniecto igne cremare ſtudeant, dolo alimenta ſurripiant, aut denegent, cæteraſq; iniurias adoriantur, non ſolùm noſtris ſeſe defendere, ac tueri licebit, verùm etiam damna illata reparare, & acceptam contumeliam vlciſci, ac ſi res exigat, ſeriò agere, & bello proſequi rem. Nam belli eam iuſtam definiuimus cauſam, vbi iniuria laceſſitus princeps arma induit. Verùm illud ſummoperè aduertendum, non eodem modo barbarorum iniurias ac cæterorum hominum perſequi oportere. Cùm enim ſint imbecilli, ac puerili ingenio Indi, magis puerorum ac fœminarum, vel potius pecudum more tractandi ſunt, vt non tam eos ſeriò vlciſci velis, quàm neceſſariò caſtigare,

ſtigare, & terrere, neque tam gladius in iſtos acuendus eſt, quàm intentandum flagellum, vt vel ita mulctati diſcant timere & parere. Non enim ad illa ſæua ſtatim veniendum eſt, ad ædes incendio conflagrantes, viros ferro trucidandos, ſeruitutem perpetuam, & reliquas bellorum calamitates. Sed quatenus progrediendum ſit, & vbi ſiſtendum, Ducis Chriſtiani charitas cum ſalutari prudentia coniuncta, & melius dictabit, & plenius, modò meminerit ſe Chriſti religionem profiteri, & verbo & exemplo debere, vt non tam ſuas curet, vel incommoditates, vel iniurias, quàm vt pretioſa animarum lucra Domino acquirat.

De officio prædicatoris Euangelici erga ſocios itineris.

CAPVT XVI.

HIs ita explicatis, iã quod ſit Euangelici prædicatoris officium in nouarum vocatione gentium, intuẽdum eſt. Atq; illud in primis præcipiendum, ne quoniam nouo modo & immutata ratione Chriſtum barbaris annunciaturus ſit, ſeptus militari præſidio & multiplici apparatu, idcircò ſe Apoſtolico officio minus fungi arbitretur, animumq; demittat, quaſi Euangelium non euangelicè annuntiet: Oportet Dei ſeruum diuinæ per omnia voluntati promptiſſimè ſubdi, ac ſe æterna illius ſapiẽtia regi, generoſè permittere. Non omnium eadem tempora, ſed cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo. Nouo generi hominum, nouam Euangelizandi rationem non ingratè ſuſcipiet, quiſquis non ſuam, ſed Dei gloriam meditatur. Sæpe aurea illa & depicta an- *Eccle. 3.*

ĉta ante oculos antiquitatis laus, ſi ad nos referatur, nihil aliud, quàm vmbram quandam & faſtum & nominis appetentiam immoderatam ſapit. Etenim quid magis Apoſtolicum quàm vbique, & in omnibus inſtitutum eſſe, vt ſciat Dei
Philip. 4. ſeruus, in quibus eſt, ſufficiens eſſe, & abundare
Matth. 10. & penuriam pati. Aliquando Chriſti diſcipuli ſi-
2. *Tim.* 4. ne ſacculo, ſine duplici tunica Euangelizant, ali-
Tit. 3. quando verò etiam penulam poſtulant, & ſolicitè præmitti iubentur, vt nequid illis deſit. Quod ſi militum & ſæcularium profana turba mouet
Actor. 27. Chriſti ſeruum, meminerit Paulum apud Iuliũ nauigantem cum cohorte Italica, eaque ſuperſtitionis Gentilicæ, eundem doctorem Gentium
Actor. 28. recolat Romam caput mundi primùm ad ſe ingredientem ſpectaſſe vinctum, & militari cuſtodia circundatum. Quis verò ita crederet? Maximi prædicatoris in maximam vrbem ingreſſum quàm alienum, quàm incommodum putes, ſi hu-
Philip 1. manas rationes conſulas? at ſi diuinas, Quæ circa me ſunt, inquit, magis ad profectum venerunt Euangelij. Verbum enim Dei non eſt ligatum. Quamobrem glorioſè prorſus nos hortatur ſtre-
2. *Tim.* 2. nuus militiæ cœleſtis dux, Vt in omnibus exhi-
2. *Cor.* 6. beamus nos ſicut Dei miniſtros, non ſolùm in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in lõganimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, quæ poſtea commemorat, verùm etiam in ijs, quæ prius admonenda putauit, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus. Deniquè, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem,

per

per infamiã, & bonam famam, vt ſeductores, & veraces, ſicut ignoti & cogniti, quaſi morientes, & ecce viuimus, vt caſtigati, & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. His cœleſtis tubæ vocibus generosè animatus Chriſti miles, cũ ad rem induxerit animum, & ſe totum diuino arbitrio permiſerit, iam quid ſibi præſtandum ſit erga cæteros, animaduertat oportet. Atq; hic aduerſus ſocios itineris, vel maritimi, vel terreſtris, partes ſuas diligenter intelligat, vt eos quãtum fieri poſſit, in diſciplina Chriſtiana conſeruet, primùm beneuolentia in omnes, omnibus omnia factus, vt omnes Chriſto lucrifaciat, affabilis, ſuauis, ſermonem habens ſemper in gratia ſale conditum, vt ſciat quomodo vnicuiq; eum oporteat reſpondere, ac nihilominus tempus redimat, vt ſibi interdum vacet & Deo. Infirmitates aliorum portare, & non ſibi placere, & præoccupatum in aliquo delicto ſi ſpiritualis eſt, in ſpiritu lenitatis inſtruere, omnem hominem iuxta Apoſtolum, corripere, & docere, & conari, vt exhibeat perfectum in Chriſto Ieſu. Hoc vt efficiat, frequenter Verbum Dei proponet in ſpiritu, & virtute conterens petras. Neque valdè locis aut temporibus impedietur, ſciens Paulum in litore oraſſe, & prædicaſſe in plateis, in tentorijs, in nauigio, omnem locum Dei verbo non incommodum iudicabit. Ad pœnitentiam maximè hortabitur omnes, confeſſiones indefeſsè excipiet, & ſcelerum, neq; multitudine, neq; magnitudine perterrebitur, ſciens Chriſti ſanguinem propitiationẽ eſſe pro peccatis totius mun-

1. Cor. 9. *Col. 4.* *Epheſ. 5.* *Rom. 15.* *Galat. 6.* *Coloſſ. 1.* *Hier. 23.* *Actor. 21.* *1. Ioan. 2.*

di. In ſumma duo magnoperè prouidere debet, vnum, vt ſaluti ſuorum conſulat verbo, & re, quantum licebit: alterum, idque præcipuè, vt infidelium ac neophytorum illis curam ſeriò ac ſæpè commendet: ne noſtrorum, vel iniurijs læſi, vel malefactis offenſi Chriſtianæ religionis nomen blaſphement. Quid illis fas ſit, quid nefas, cum quid deceat, & expediat, ſecundùm ea, quæ ſupra ſunt diſputata, docebit, atq; eos quamuis in militari claſſe, tamen Apoſtolorum quodammodo officio ſatisfacere debere admonebit. Denique ſataget Chriſti ſeruus omnibus modis, vt Chriſtiani Chriſto, ſi non militent, vt par eſt, ne ſaltem bellum implacabile indicant; facti laqueus (vt ſcriptum eſt) ſpeculationi, & rete expanſum in Thabor. *Oſee 5.*

Qualem ſe præſtare debeat Chriſti ſeruus in conuerſione infidelium.

Capvt XVII.

Cvm noſtris cura erit, quam diximus. Cum infidelibus verò ad Chriſtum conuertendis, cuius rei cauſa omnis iſte labor ſuſceptus eſt, omnes charitatis vires exeret operarius Domini, memor ſe opus Domini operari, repetens verò animo & altius expendens, Neminem venire ad Chriſtum niſi quem Pater traxerit, Fidemq; Dei donum eſſe, & corda hominum in manu Domini, vt quò voluerit vertat, voluntatemque à Domino præparari, & multa talia, quibus Spiritus ſanctus certiſſimos nos eſſe voluit, nullius eſſe induſtriæ, nullius diligentiæ noſtræ vocationem gentium ad Euangeliũ, ſed ſolius miſerentis, & præuenientis Dei; ad orationes, & preces aſſiduas,

Ioan. 6.
Epheſ. 2.
Prouerb. 21.

duas, atque feruentes totum ſe conferat, ſpem omnem in cœleſti gratia collocans, & diuinæ miſericordiæ fores diutiſſimè pulſans. Et quamuis in omni negotio orationis præſidio fidendum ſit, at in hac vna re nihil oratione magis neceſſarium, nihil omnino potentius: hæc vna impetrat gratiam, cui acceptam oportet referre Fidē. Apoſtoli quidem cùm cætera beneficentiæ officia ab ſe ablegaſſent, Nos, inquiunt, Orationi, & *Actor. 6.* miniſterio Verbi inſtantes erimus, adeò inter ſe duo illa cohærere intelligebant. Nunquam Petrus, & Ioannes, nunquam Paulus ante precem ad Deum fuſam, de Chriſto ad populum verba fecerunt. Et rectè Dionyſius monet antè omnem *Dionyſ. de* actum, Theologiæ præſertim, orationem præire *Diu. nom.* oportere. Auguſtinus quoque cùm Eccleſiaſti- *c. 3* cum Oratorem informat, initio ſermonis ſe, *Aug. 4. lib.* & ſua omnia, & fructum atque exitum orationis *de Doctrin.* Deo committere ingenuè admonet: In cuius *Chriſt. c. 15.* manus ſumus, & nos, & ſermones noſtri. Ipſe *Sap. 7.* mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus non ante ad prædicandum Apoſtolos mittit, quàm in oratione peruigil pernoctarit. Neque enim *Lucæ 6.* tam ſermonis, & diligentiæ ſuæ fructum, quàm orationum expectare debet fidelis Dei miniſter. Neque ſuis tantùm ſacrificijs, & precibus quamuis aſſiduis, quamuis feruentibus, contentus eſſe debebit; ſed aliorum etiam Chriſti ſeruorum auxilia ſtudioſiſſimè efflagitare, vt ex multarum perſonis facierum gratiæ agantur pro eo, *2 Cor. 1.* & conſenſus fratrum ſuper omni re, quam petierint, in nomine Chriſti, obtineat apud Patrem *Matth. 18.* miſericordiarum. Paulus tantorum apud Deum *2. Theſſ. 3.* meritorum vir per omnes epiſtolas pro ſe orari

obnixè contendit, vt ſermo Dei currat, & clarificetur, vt liberetur ab importunis, & malis hominibus, vt detur illi fiducia in apertione oris ſui, vt loquatur Dei verbum ita, vt oportet eum loqui. Atque hæc, & alia huius generis cogitans Chriſti ſeruus, maximam atque optimam miniſterij ſui ſpem, in efficacibus & frequentibus, & ſuis & ſuorum orationibus collocabit. Deinde exẽplo ſuo, ac vitæ integritati, & innocentiæ ſecundas partes attribuet, patiens, benignus, humilis, beneficus, continens, manſuetus, ſuper omnia verò Chriſti, & fratrum charitate ardẽs. Sermones noſtros minus fortaſſe barbari intelligent: at virtutis officia, vbique & clarè loquuntur, & perfectè intelliguntur, & potentiſſimè perſuadent. Sed in hoc genere peculiariter fides, ac ſyncera beneuolentia in barbaros ac veluti paterna quædam prouidentia exhibenda eſt. Nihil æquè animorum fidem conciliat ac beneficentia: vt de eo factis optimè mereri ſtudeas, quem dictis tuis audientem velis. Quamobrem prædicaturos Apoſtolos iubet Chriſtus infirmos curare, leproſos mundare, dæmones eijcere, gratis accepta gratis dare, quod expeditiſſima ad conciliandos Euangelio homines via ſit benignitatis ac beneficentiæ. Sentiant infideles, ſentiant catechumeni, ſentiant neophiti patrem, & aduocatum: pro ijs ſæpè interpellet apud Ducem, & magiſtratum, hos à militum iniurijs tueatur, horum egeſtati conſulat, vel propria mendicitate. Si quid acerbius deſignandum erit in aliquem, huius ipſe adminiſter non ſit. Theſaurizet potius filijs parens, ac non ſolùm ſua, ſed & ſe libenter impendat, & ſuper impendat pro animabus eorum

Epheſ. 6. *Coloſſ. 4.* *Lucæ 9.* *2. Cor. 12.*

rum, licet plus diligens minus ipſe diligatur. Neque datum requirat, ſed fructum. Dici non poteſt, quàm ſit ad perſuadendum efficax charitas, & viſcera digna Apoſtolo. Vbi tamen (ne & hoc *Philip. 4.* prætereamus) ſic dilectionem impendere norit, vt ſeſe tamen non improuidè committat alienis: ne, quod quibuſdam contigit noſtris, dum plus æquo indulget infidis, temeritatis ſuæ pœnas luat. Nihil mutabilius barbarorũ ingenio. Paulo Apoſtolo naufraganti exhibent non modicam *Actor. 28.* humanitatem pyra accenſa, eundem à vipera appetitum, homicidam reputant, mox nihil à beſtia læſum, pronunciant Deum. Huiuſmodi barbarorum ingenium eſt. Qui heri habebaris pro amico ſummo, hodie indicta cauſa interire iuberis, quem paulò ante homicidam & extremo ſupplicio dignum ducebant, mox, ſi ita res tulerit, adorabunt pro Deo. Itaque prudens ac fidelis Dei ſeruus, & illis conſulet quantum poterit, & ſui nihilominus non erit negligens. Iam tertias partes in miniſtro Euangelij, Verbum Dei ſibi vendicabit, qua vna in re vehementer, & indefeſsè laborandum erit. Primùm, vt ſermonis aliqua copia ſit, vel per interpretem fidum, vel per ſeipſum, ſi conſequi potuerit. Quocirca non multa neque ardua, ſed pauca eademque ſæpius repetendo elementa ſermonum Dei tanquam pueros edocebit: & M. Franciſci induſtriam ſequens, ſermone vernaculo atque ipſis familiari myſteria fidei præcipua & vitæ Chriſtianæ regulas repetet: illorum fabulas ac nugas facilè confutabit: exemplis vtetur atque ſimilibus, quàm fieri poſſit, ipſis accommodatis: interrogationibus vrgebit non inſuauiter. Si depre-

hendat in quopiam ingenij aliquid atque iudicij, diſputationes non admodum Philoſophicas, ſed populares potius inſtituet. Signa adhibebit externa, & ceremonias cultumque omnem eccleſiaſticum plurimi faciet, vt vel hoc modo homines ſenſu obtuſos commodius inſtruat. Iam concionibus publicis ſtatis temporibus aget, iam priuatis colloquijs. Demulcere verbis, inuitare præmijs, minis terrere, perſuadere exemplis, ſed in Chriſti virtute, non in hominum ſapientia. Deus pater miſericordiarum aderit ſeruo ſuo in omnibus, vt verbum
1. Theſ. 2. Euangelij recipiatur, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, vt verbum Dei. Sed quoniam cùm de ordine, & modo catechizandi agetur, latius iſta explicabuntur, ſatis ſit vel exiliter adumbraſſe Euangelici prædicatoris officium.

De tribus impedimentis, quæ conuerſioni gentium maximè obſtant.

CAPVT XVIII.

VErùm in conuerſione gentium ad fidem, hoſtis noſtri generis diabolus, cùm acerbiſſima torqueatur inuidia, quibus poteſt viribus atque artibus agit, ne opus Domini proſperetur. Itaque innumera impedimenta molitur, vt fructum ſementis diuinæ de cordibus audientium rapiat. Ad hæc paratum atque conſtantem oportet militem Chriſti ſtare, ne aſperitatibus offenſus, ab incepto pedem referre incipiat, tum verò vt contrarijs vndique perſpectis, remedia adhibere opportuna conetur. Oſtium fortaſſe erit apertum

pertum & euidens, ſedtamen aduerſarij multi. Et quanquam ſunt impedimenta verbi Dei plurima, tria tamen præcipua ſunt: quorum vnum à noſtris, alterum ab externis, tertium ab ipſiſmet, quibus Fides annuntiatur, proficiſcitur. E noſtris quidem, ſolent plurimum Indorum veram conuerſionem retardare peſſimi exempli mores. Vnus autem ædificans, & alter deſtruens, quid proficit eis niſi labor? Nullam re vera ego grauiorem difficultatem ſentio in hac cauſa: propterea quòd cùm barbari religionis noſtræ ignari ſint, omnes nos ſimiles ac veluti vnius coloris reputant. Ita crimen huius atque illius, in omnium redundat infamiam, & quod eſt grauius ipſum Chriſtianum nomen apud infideles in odium venit. Huic malo quid poteſt afferri remedij, niſi vt noſtrorum hominum licentia, quibus modis poſſit, frænetur, neq; vſque ad miſeras infidelium animas ſæuire ſinatur? Deinde illud multum à B. Auguſtino commendatum in catechizandis rudibus documentum accuratè ſeruetur, vt admoneantur ij, qui Fidem ſuſcipere parant, ne religionem noſtram ex noſtris hominibus metiantur, ſed ex ipſius potius æquitate, & ſanctitate. In noſtris ſi quem viderint modeſtum & probum, eum ſecundùm legem, & Fidem ſeſe gerere, quos verò arrogantes, auaros, obſcænos, immites notarint, hos nobis quoq; odio eſſe perſuadeant, ac iuxta legem noſtram multo grauiſſimas ſuorum ſcelerum pœnas daturos. In omni genere hominum bonos eſſe & malos: neque Chriſtum cogere quemquam vi, ſed in futuro iudicia vel præmia, vel ſupplicia cuiq; pro meritis reſeruare. Ad hæc quantum licebit, vt à talium

1. Cor. 16.

Eccl. 34.

De catechi. rudibus. c. 25.

conſuetudine & familiaritate abſtineant, curandum, & boni viri frequentius barbaris obijciendi, & mutuo connectendi. Ad quæ omnia præſidis, ſiue ducis voluntas religiosè ac beneuolenter affecta, multum momenti afferet, vt cohibeat atque caſtiget nimiam ſuorum inſolentiam. Verùm à ſuis quoque fidei candidati moleſtiam patiuntur non mediocrem, tum à Dominis, & proceribus, qui ſuos ad alienas leges trāſire grauiter ferunt, tum maximè à veneficis & præſtigiatoribus, & idololatriæ magiſtris, qui auaritia & ambitione corrupti lucri & gloriæ iacturam facere ſe vident Chriſtianæ religionis
2.Timoth. 3. augmento. Hi vt quondam Iamnes & Mam-
Actor. 13. bre Moyſi, Elymas Paulo & Barnabæ, obſtinatè reſiſtunt veritati. Quemadmodum in India Brachmanes, in Iapponia Bonzos, apud Noui regni incolas Piaches, in noſtro Piru Humos cernimus. Et quidem Dominorum ac Principum ſuauiter, ac diligenter tentanda voluntas eſt, & expugnanda in Chriſto, & ſuorum obſequia, iuxta noſtram legem promptiora futura, & gloriæ plurimum acceſſurum, cum his etiam crebrius & liberalius agendum. Multum quippè in vtramque partem horum ſtudia promouent. Qua in re grauiter à noſtris peccatum eſſe in Atabalipæ Ingarum principis nece, ipſi quoque eius ſucceſſores conquerebantur, quod affirmarent, ſi regis voluntas delinita obtineretur, breui admodum futurum, vt vniuerſum Ingarum imperium fidem libentiſſimè acciperet. Miro enim modo barbari omnes Regibus ſuis ac ducibus addicti ſunt. Aduerſus Magos acrius pugnandum erit: eorum fuci ac fraudes detegendæ, &

tradu-

traducenda inſipientia, & ridenda deliramenta, & confutandæ verſutiæ. Quod ſi reſipiſcere nullo modo velint, & facultas non deſit, à cæteris ſeparandi, & grauiter interdum mulctandi, modò plebem reliquam maior turbatio non ſequatur. Sed his ambobus maius ac difficilius Fidei impedimentum ex ipſa inueterata conſuetudine proficiſcitur. Vbique ſanè conſuetudo magnas vires habet, ſed in barbaris longè maximas, quippe vbi rationis eſt minimum, ibi conſuetudo radices profundiſſimas agit. In omni natura motio eò diuturnior ac vehementior, quo magis eſt ad vnum determinata. Ita lapidem ſurſum ferri, impoſſibile: deinde bruta animantia dedocere, difficile: mox hominem parum mente vigentem à conſuetis retrahere, graue. Proinde in hac vna palæſtra omnes ſuos ſudores, operas, conatus exercebit copiosè Chriſti diſcipulus. Proderit autem quàm plurimum, ritus, & ſigna, & omnem externum cultum diligenter curare. His quippè, & delectantur, & detinentur homines animales, donec paulatim aboleatur memoria, & guſtus præteritorum. Quæ cauſa fuit Moyſi, vt populum Aegyptijs ritibus aſſuetũ, multitudine ſacrificiorum, & ceremoniarum diſtineret. Neque enim prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Poſtea ſuperſtitionis antiquæ monumenta cautè, & gradatim extinguenda curabit, vt idola ſua Guacas adorationeſque omnes penitus dediſcant, ac pro ijs pias alias, atque Chriſtianas frequentent. Deinde teneriores animos puerorum nondum illa ſuperſtitione imbutos Chriſtiana conſuetudo, & diſciplina ſuauiter occupet, & paternas nugas ride-

1.Cor.15.

ridere, ac contemnere iubeat, quod M. Franciſcus ſapienter faciebat. Præmijs, & laudibus paruulos inuitet, atque animet, maiores puerorum exemplo pudefaciat, & terreat. Poſtremò quod omnium eſt, & præcipuè conſiderandum, & diligentiſſimè obſeruandum, non facilè credet verbis, & quibuſuis ſignificationibus Barbarorum, etiam ſi Fidem tenere, & baptiſmum appetere ſe proclament. Cùm enim ſint leues corde, facilè credunt, non Fidem concipientes ex Deo, facilè quoque id retractant inconſtantes, & leues. Diu & multum tenendi, vt quid profiteantur, intelligant, vt veterem conſuetudinem idolorum deponãt, vt mores alios induant. Denique conſuetudinis peruerſæ venenum alterius conſuetudinis antidoto curandum eſt, vt verè Chriſtum induant, ac non partim in Chriſto, partim in Baal claudicantes, ſibi grauiorem acquirant damnationem, & ſancto nomini grauem faciant iniuriam. Non multitudine, ſed veritate, animarum lucra computanda ſunt. Ita & religio Chriſtiana pluris fiet, & qui illi dant nomina, gloriæ atque honori erunt.

Epilogus dictorum.

CAP. XIX.

QVONIAM verò de vniuerſa catechizandi ratione vberius in quarto libro dicetur, nihil præterea addendum arbitror, niſi vt ſummam eorum omnium, quæ diſſerui, ad hoc vnum conferam, vt per iniuriã fides nullo modo propaganda exiſtimetur, tum verò vt nouo generi hominum nouam Euangelizandi ratio-

rationem non faſtidiat Chriſti ſeruus: & quantum per rerum & temporum opportunitates licebit inſtitutum vetus atque Apoſtolicum conſeruet: vbi minus id exactè fieri patitur conditio hominum, intelligat, neque de merito, neque de laude, neque verò de fructu aliquid ſibi perire, ſi fideliter Dei gloriam quærens atque animarum ſalutem, labores ſuos, & curas omnes in Euangelij dilatandi ſtudio ad finem vſque conſumat.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE,

LIBER TERTIVS.

Non eſſe quæſtiones omnes tractandas, ac deinceps de ciuili adminiſtratione diſſerendum.

CAPVT PRIMVM.

SCio equidem, in ijs, quæ de iure belli, deque promulgandi barbaris Euangelij ratione hactenus diſputata ſunt, multa poſſe quæri, multa tractari, quæ à me parum explicata, vel etiam prætermiſſa videantur. Neque verò dubito quin ſtudioſi ac literati nonnulli diligentiorem, atque vberiorem harum rerum, quæ ſunt per ſe quidē grauiſſimæ, & premunt quotidie vehementer animos religioſos, tractationē deſideraturi ſint, quibus in re tanta communiter hæc, atque vniuersè dicta non faciunt ſatis, ſed priuatas, ac familiares quæſtiones ſuas minutè ac ſigillatim ſolui mallent. Quibus profectò ita obſequi cupimus, vt quamuis peculiares de moribus ſermones eſſe vtiliores peruideamus, tamen inſtituti noſtri rationem de tota cauſa Indorum ſuſceptam, varijs, implicatiſque quæſtionibus obſcurandam, ac veluti extenuandam nō arbitremur. Etenim neque doctrinæ, neque experientiæ noſtræ

Ariſto. 1. Ethic.

ſtræ tantũ tribuimus, vt explorare liquidò omnia, ac certo definire poſſimus, quę præclariſſimis etiã ingenijs negotiũ faceſſunt: neq; ſi id mediocriter præſtare poſſemus, ad propoſitum nobis finem accommodatum eſſet, quibus illud maximè animo eſt, ea afferre quæ & intelligãtur ab omnibus, & quantum fieri poterit, nemini non probentur. Nam in tanta ſylua, eaq; ita ſpinoſa, ac denſa, illud potius optandum eſſe videtur, vt via aliqua ad barbarorum ſalutẽ certa, ac tuta muniatur: omnes verò latebras exquirẽdi, omnia abſtruſa luſtrandi, omnia deniq; impedita, atq; implicata perpurgandi onus tantũ nemo nobis æquus imponet. Quamobrem & in ijs, quæ de rebus Indicis adminiſtrandis dicta ſunt hactenus, & in ijs, quæ deinceps plura dicentur, præcipuas quidem res, ac veluti capita, quantum Chriſti Ieſu dono licet, explicare, & confirmare ſatis putamus: tenuiora verò cętera, atq; illarum veluti radicum, vel fibras, vel germina, valde illa quidem alioqui neceſſaria, perſequi hoc loco minimè ſuſcipimus. Igitur Euãgelij ad barbaros profectione, & ingreſſu ſuperioribus libris declarato, quid illis prę̃ſtandum ſit, qui diuinitus tacti verbo veritatis manus dant, & in ouile Chriſti intrare volunt, deinceps pertractandum reſtat. Hi verò tanquam in Chriſto geniti infantes multa cura, diligẽtiaq; egent, ac quemadmodum Regij pueri tum pædagogo regendi traduntur, tum magiſtro erudiendi; ita hi, & ciuilium magiſtratuum adminiſtratione ſolerti regẽdi sũt, vt in officio diſciplinaq; teneantur, & pręceptorum ſpiritualiũ, id eſt ſacerdotum doctrina accuratè imbuendi. Itaque de

cura

cura,& Politica,& Eccleſiaſtica ſaluti Indorum neceſſaria differendum eſt. Cùm verò id quod animale eſt, præire Apoſtolus definierit, tum verò ſequi quod ſpirituale eſt, hanc partem ciuilis adminiſtrationis ſi ante perſequamur, ex ordine certè faciemus. Qua verò ratione barbari omnes, qui Chriſti nomen profitentur, ad Principum Chriſtianorum curam, ditionemque pertineant, antè exponendum eſt, quàm de ijs agatur, quæ vel Indorum populis illi præſtare debent, vel ab ipſis viciſſim percipere poſſunt.

1. Cor. 15.

Barbaros Fidem ſuſcipientes ad curam, ditionemque Principum Chriſtianorum pertinere.

CAPVT II.

PRINCIPIO nemo eſt, qui neget, modò catholicè ſapiat, Euangelij promulgationem per totum terrarum orbem ad Romani ſummique Pontificis autoritatem pertinere. Is enim propriè eſt, cui in Petro ouile dominicum commiſſum eſt, cui grex omnis Chriſti traditus eſt, cuius proinde intereſt non ſolùm oues iam cõgregatas paſcere, verũ etiam diſperſas, ac diſſipatas, quin potius nondum oues quærere, vt oues fiant, atque vt intra ſepta Euangelij cum reliquò grege paſcantur, euocare: de quibus ſanè Chriſtus dixit, Alias ſe oues habere, quas oporteret adduci, vt fieret vnum ouile & vnus paſtor. Hanc ſuam curam, & agnouerũt, & præſtiterunt Romani Pontifices. Nam & Petrus Apoſtolus in Aegyptum Marcum miſit, & Clemens Dionyſium Areopagitam in Galliam,

Ioan. 21.

Ioan. 10.

& Gregorius Auguſtinum ſocioſq; eius in Angliam, Gregorius item ſecundus Bonifacium in Germaniam, Hiſpaniam quoque, & Africam per ſacerdotes à Romana ſede deſtinatos Chriſtum recepiſſe hiſtoriæ veteres tradunt, atque eiuſmodi Euangelicis expeditionibus ad expugnandum Chriſtoque ſubijciendum terrarum orbem factis per ſummos Reip. Chriſtianæ imperatores, id eſt Apoſtolicæ ſedis antiſtites, plena eſt omnis antiquitatis hiſtoria. Et nomen ipsũ Apoſtolicum valde conſentit. Neque enim ob id ſolùm Apoſtolicam Romanam ſedem vocari puto, quòd Apoſtolorum fuerit, nam fuit & Epheſina, & Hieroſolymitana, & aliæ non paucæ; verùm etiam quia Apoſtolorum munus pro Chriſto legatione fungendi, & vſque ad terminos terræ, illius Fidem immobili firmitate teſtificandi propriè ac præcipuè in Romano Pontifice perſeuerat. Hoc cùm ita ſit, quis dubitat, quin ſanctiſſimi Patres, cùm ipſis per ſe orbem obire non liceat, eam curam alijs demandare & poſſint, & debeant? neque vt eant ſolùm, ſed vt deſtinent ipſi ac mittant, quos idoneos iudicarint. Id ergo negotij in noui orbis gentibus adeundis, & infinitis, & difficillimis Romani Pontifices Catholicis Hiſpaniarum Regibus detulêre, vt tanquam proprium, ac peculiare munus agnoſcerêt, & curarent. Cùm enim claſſibus vſque adeò crebris, & magnis, apparatu quoque & ſumptu ingenti opus ſit propter immenſam Oceani nauigationem, & terrarum regiones plerumque incommodas, & egentes, non potuit vllo modo niſi Regiæ potentiæ res tãta committi. Cur verò Hiſpaniæ Regibus potius aut ſolis, ſi

modò abſit inuidia, nõ eſt ab æquitate alienum, cùm & illorum auſpicijs, atque ope primùm inuenta vtraque India ſit, & nauigationi Oceani opportuniſſima Hiſpania ſit. Denique primi illi eam prouinciam, & petiuerunt, & ſtudioſè curarunt. Neque eſt cur de ſummorum Pont. voluntate conqueratur quiſpiam, ſi onus, vt re vera eſt, idque grauiſſimè premens, cogitetur. Eiuſmodi prædicationem conſequitur, vt qui ex infidelibus barbaris, Chriſtianam Religionẽ profiteri velint, ad curam Principum Chriſtianorum, tutelamq; pertineant. Id cùm literæ Alexandri Sexti copioſè doceant, quarum conceſſionem ad hunc modum rectè viri doctiſſimi intelligunt, non eſt, cur in hac cauſa diutius hæreamus. Neque enim poſſet aliter Fides in tot populis recens, & tenera permanere ac creſcere, niſi Chriſtianorum Principum patrocinio, fide, potentia aduerſus inimicorũ Chriſti defenderetur iniurias. Barbari natura efferati & inſolẽtes, fœdera, atq; amicitias parum curare ſoliti, rationem facilè contemnentes, quonam modo frænari, tenerique poſſint, niſi noſtrorũ vim pertimeſcant? Qua ratione Chriſti character impreſſus in nouis Euangelij tyronibus non ſummo opprobrio ſit, ſi ſemel baptizati Indi ſuorum ſcelere, & parricidio Fidem ſtatim ſint prodituri? Denique in tam remota orbis regione, & à cætera Chriſtianitate ſeiuncta, in medio nationis prauæ & peruerſæ, quid ſpei ſupereſſe poteſt, homines vt infirmi, iudicij inopes, moribus perditis, natura inſtabiles perſeuerent, niſi noſtrorum regum ſinu foueantur, atq; vlnis infantium more geſtentur? Cuius rei cùm aliæ pleræq; nationes,

tum maximè Aethiopicæ, Angolæ, & Manicongi teſtimonium abundè dant, in quibus lauacrũ Chriſti ſuſceptum maiorum perfidia & temeritate ignominioſè fœdatum eſt, curſus Euangelij abruptus, ſaluti hominum aditus omnis occluſus; qui ſi vim noſtrorum ſentirent, non in religionem Ieſu Chriſti tam pernicioſè ſæuirẽt.

Rectiſſimè omnino ſentiunt ſummi Theologi *Th. 2. 2. q.*
eſſe penes Eccleſiam integram, abſolutamque *10. ar. 8. ibidem Caiet.*
poteſtatem Fidem ab hoſtium iniurijs, & con- *Dur. 2. d.*
tumelijs tuendi, eaque niſi grauiora exinde ma- *44. q. 3. ar.*
la conſequantur, aduerſus conſilia & vim peſſi- *2. Vict. Re-*
morum eſſe vtendum. Itaque ſi expedire cenſe- *lect. de In-*
at, poteſt ſine vlla dubitatione Eccleſia infide- *dis. Sotus*
les Reges, aut Dominos de Fidelium dominatu, *4 diſt. 5 q.*
& ditione deijcere, eamque ad Fidei defenſio- *vni ar. 10.*
nem committere Chriſtianis. Ac ne noui aliquid afferre videamur, præter concordem, vt dixi,
ſententiam, vetus ſanè eſt Apoſtoli Pauli præ- *1. Cor 7.*
ceptum, in cauſa matrimonij ſi infidelis coniux *Inno. 3. ca.*
fideli, fraudi & impedimẽto eſſe cœperit, liberũ *Quanto &*
eſſe fidelem ab eiuſmodi ſeruitute. Et certè con- *c. Gaude-*
ſtat arctius ac magis naturale vinculum eſſe cõ- *mus. de Di-*
iugij, quàm cuiuſuis ſubiectionis, & ſeruitutis. *uortijs.*
Itaq; ſi periculo Fidei etiam diſſoluto conjuga- *Cõc. Tol. 4.*
li vinculo pro data ſibi à Domino poteſtate, oc- *ca 61 &*
currendum putat Eccleſia, quid mirum eſt, ſi in *62. Refer-*
eadem Fidei cauſa ſubditum, ſeruumuè Fidelem *tur 28 q. 1. c.*
ab infidelis Domini ſeruitute liberet? Adde *Iudæi. & c.*
quod idem gentium Doctor cauſas, diſceptatio- *Sæpe malorum.*
nesq; Fidelium non vult ad ethnicos magiſtra- *1 Cor. 6.*
tus deferri, ſed ipſos ſibi legere, qui ius dicant, *Gelaſ. d. 54.*
propterea quod Fidei iniuriam ab impijs perti- *c. Genera-*
meſcebat. Quin etiam re ipſa Iudæos omnes ac *lis. D. Gra.*

eadem. d. c. Fraternitatem ex li. 5. Regiſt. c. 131. Et titul de Iudæis, & Saracenis. c. 1. & ſeq. & fin Conc. Matiſcon. 1. cap. 16. Apud Gra. d. 54. c. Mancipia. L. Deo nobis § His ita diſpoſitis. C. de Epiſcopis.

Saracenos hominum Chriſtianorum ſeruitijs iam pridem ſpoliauit Eccleſia, cùm primùm ex infidelibus ſeruis fieri illi Chriſtiani liberi velint. Qua de re etiam legem Iuſtinianus Imperator tulit, vt ſiue Paganorum, ſiue Hæreticorum ſerui, ſiue Iudæorum, ad Chriſtianam religionem tranſire velint, dominorum poteſtati eripiantur, nullo etiam dato pretio. Quo minus mirãdum eſt, ſi tyrannide in recens effectos Chriſtianos infideles Domini abutentes, omni in illos ditione ac iure, Eccleſiæ autoritate interpoſita, excidere poſſint. Quod ſi Euangelio prędicando, & propagando nullo modo obſiſtant, neq; ſuis impedimento ſint, quominus Chriſto, qui vel dare volunt, fidem dent, vel quam ſemel dederunt, inuiolatam ſeruent, etiamſi ipſi alioqui in erroris ſui cęcitate perſtent, non iccirco ſuorum gubernatione ſpoliandi ſunt: ſed eſt nihilominus ſũmus veluti Imperator ab Eccleſia conſtitutus Chriſtianus Princeps, vt cauſam Fidei, ac Fidelium prouidentiam, quotieſcunq; res poſtulet, diligẽter agat. Quoniam verò rariſſimum eſt ac penè impoſſibile, vt barbari Domini in ſuo regno auitam religionem contemni, euertiq;, ac leges pleraſq; mutari non ægrè ferant, & quibus poſſint modis nouam religionem auertant, dæmonibus præſertim furentibus, ac multum apud ſuos ea de re tumultuantibus, commune ac veluti canonicum debet haberi, vt hoc tempore Indorum populi, quicumque Chriſtum ſequi deſtinarunt, ſub noſtrorum regum cura, atq; adminiſtratione ſint. Ea tamen moderatione ſe noſtri gerant oportet, ſi Chriſtianam Remp. ſaluam eſſe volũt, & religiónis dignitatẽ pro virili ſua parte tueri,

te tueri, vt neq; ferro, niſi extremum diſcrimen vrgeat, agatur in barbaros, neque de commoditatibus ac dominatu ſuo pellantur, niſi quatenus iniurij Fidei, & ſuis pernicioſi deprehendantur, neq; grauius quicquam deſignetur, quo Chriſti Euangelium lædi, perturbariuè poſſit. Denique vt agnoſcat religioſus Princeps poteſtatem ſibi à Chriſto ad ædificationem, non item ad deſtructionem datam. Et quamuis Chriſtiani principes Domini ſint, parentes ſe tamen præbeant, neq; tam quæ Indorum ſunt ſibi, quàm Indos ipſos omnium Domino quærere videantur. 2. Cor. 13.

Non oportere falſos titulos comminiſci dominationis Indorum.

CAP. III.

HOC igitur ius adminiſtrationis, ac ſubiectionis Indorum ex propria ac certa Eccleſiæ commiſſione generale eſt, & commune tum ijs, qui hactenus explorati ſunt, tum ijs, qui procedente tempore occurrent. Quod quidem niſi aliundè perturbetur iniuria, æquum ac ſalutare eſſe conſtat. Alios verò titulos, quos afferre quidam nituntur, Regiæ potentiæ, vt mihi quidem videntur, aſſertores non neceſſarij, ne aſſentatores dicam, qui nimirum ex tyrannide Ingarũ in hoc regno, atq; vſurpato per vim imperio, itẽq; ex polycratia gentium plurimarum legitimo Rege carentium (has Hiſpani Behetrias vocant) contendunt Chriſtiano Principi regnandi ius facere, equidem neque ſatis intelligere, neq; certè probare poſſum. Etenim ſi à prædone alterius rem deprædari, & tibi vẽdicare non potes, quæ-

ro quid æquitatis, quid rationis habeat, quod à tyrannis (vt ita eſſe faciamus) Indorum dominatum eripias, tibiq; ipſe adſcribas? An iccirco iuſtior Sylla, quod Remp. Marij ſeruituti eruerit, addixerit ſuæ? An verò alienum ſcelus, noſtro ius facit? Hoc verò perridiculum eſt, & Aeſopicæ fabellæ perſimile. Adde quod iſtorum imperia, per vim licet vſurpata, tamen annos iam ſexcentos confirmata ſunt: quam ætatem ſi in alijs pleriſq; imperijs neges præſcriptioni eſſe ſatis, profectò res humanæ omnes miſceantur, neceſſe eſt. Quod enim regnum eſt, quod non violentia magna ex parte initio quæſitum ſit? vt nō ineptè apud veteres, & Reges, & Tyranni eodē nomine cenſeantur. In Polycratijs verò, aut communitatibus, præter ciuium ipſorum conſenſum, imò contra omnem omnium ſententiam, externum principem inducere, ſi tyrannide vacat, neſcio planè quis vnquam tyrannus haberi debeat. Neque verò abnuo multis Indiarum locis ex bello iuſto ac legitimo, quod propter iniurias hominum, aut fidei offenſas exiſtere forſan potuit, ius peculiare Chriſtiano Principi dominandi fieri, nam eiuſmodi Luſitanicæ Hiſtoriæ nonnulla referre videntur. Verùm cùm de communi, ac certo titulo diſputatur, Eccleſiæ autoritatem, Fidei periculum, ipſorum barbarorum ſalutem, Remp. Indicanam adminiſtrandi, & æquiſſimum ius præbere Principibus Chriſtianis, & illud per ſe abundare, certò nobis perſuadet cum ratione valde experientia ipſa conſentiens. Quamobrem ſiue alij tituli etiam ſint, ſiue non ſint, conſtat ad Regum catholicorum curam maximè pertinere ſalutem Indorum, cui procu-

procurandæ,& religionis præceptores,& diſciplinæ ciuilis adminiſtros lectiſſimos mittant, oportet,vt Deo atque Eccleſiæ iniuncto ſibi munere perfungentes,vt & ipſos decet,& cauſa tanta exigit,ſatisfaciant.

Quales adminiſtratores res Indicæ poſtulent.
CAPVT IIII.

IGitur quàm refert vniuerſitatis Indorum præfectos, ac magiſtratus optimos apud Chriſtianos nanciſci, quantumue ponderis in vtramque partem vel ſalutis,vel exitij ciuilis adminiſtratio habeat,quouis etiã tacente,res per ſe ipſa declarat.Nam cũ in omni Repub.Magiſtratus perinde ſit,atque pædagogus quidam,vt eſt ab Ambroſio præclarè dictum,atque iuſti & æqui cuſtos immortalis, facilè quiuis intelliget, ita ad Eccleſiaſticam, ac ſpiritualem inſtitutionem comparatam eſſe ciuilem & humanam,quemadmodum ad Chriſti Euangelicam legem,naturalis iuris diſciplina neceſſaria eſt,quippe niſi hæc fuerit obſeruata,vt ait beatus ille, illa cuſtodiri non poſſit. Quamobrem Paulus docet non eſſe poteſtatem niſi à Deo, eaſque quotquot ſunt, à Deo ordinatas eſſe adminiſtras boni, mali vltrices. Quibus conſentaneum eſt illud Petri,qui & Regibus,& Regum ducibus obediẽdum monet; quod bonis laudi, improbis terrori eorum officium ſit. Ergo ſi ſunt hæc capita populorum, ſi paſtores,ſi duces,gubernatores,aurigæ, tum etiam lumina,ſpecula, leges viuæ,& quibuſcumque alijs nominibus tum diuinæ tum philoſophicæ literæ ornandos ducunt,quis ſatis dicere queat,quantum in horum integritate,& fide præ

In Epiſt. ad Rom.c.1.
Ibidem.
Rom.13.
1.Pet.2.
Amos 6.
Hiere 23.
1.Reg.9.
Ezech.27.
Ariſt.

Eccl 10. ſidij ac ſalutis Reip. ſitum ſit? Qualis enim rector eſt ciuitatis, tales inhabitantes in ea, & ſecũdum iudicem populi, ſic & miniſtri eius. Quem totum locum ab omnibus penè Reip. legumque tractatoribus externis copioſè grauiterque verſatum, à noſtris Eccleſiaſticis, ſacris, & exemplis, & documentis diſertiſſimè illuſtratum, quanquam diutius proferre non opus eſt, tamen iuuat inſignem Baſilij ea de re accumulare ſenten-

Trat. 20. tiam. Neceſſe eſt, inquit, huiuſcemodi viris mandare magiſtratus, ac eos aliorum conſtituere duces, qui cæteros omnes prudentia, conſtantia, ac vitæ ſanctimonia longè anteeant, vt virtutes, quibus prædìti ſunt, communes fiant eorum omnium, qui eos imitãtur. Nam ad mores eorũ, qui gubernacula tenent, componere ſe totos ij, qui parent, ſolent, ita vt quales duces fuerint, tales eſſe neceſſe ſit eos omnes, qui ſequuntur, & quales fuerint in Republica principes, tales vt plurimum exiſtere ſolent reliqui ciues. Atq; hęc quidem Magiſtratum, atque potentiam optimo atq; aptiſſimo cuique demandandi cura in omni Repub. in omni Principe debet eſſe vel maxima: at in noui huius orbis adminiſtratione, in barbarorum nationibus, & ſubigendis & continendis in Fide, quiſquis rerum Indicarum vel tenuiter experiens ſit, nullo modo dubitabit eam, neque primam, neque maximam eſſe debere, ſed omnino ac penitus ſingularem. Etenim à præfectis, à ducibus, à iudicibus, à Regiæ deniq; maieſtatis adminiſtris, perinde, atque à fonte fluuium, ad res omnes Indicas, vel perniciẽ, vel ſalutem, vel ſi quid aliud tertium eſt, deriuari, ac permanare perſpicuum eſt. Neque dici poteſt, eo fonte vitiato,

tiato, quàm latè lues influat, quamque omne remedium reſpuat. Ac ne cui fortè videar in ſuſcepta cauſa amplificāda ſtudio magis, quàm ratione duci, afferam non niſi certa, & explorata argumenta, quæ vtinam quantum habeant ponderis & ipſe exponere poſsim, & ij, quorum intereſt, velint attendere. Primū in alijs Rebuſp. ac ciuitatibus ex multa antiquitate fundatis, & conſtitutis, habent moderatores adiumenta plurima eademq; maxima, quibus etiā volentes non ſinuntur errare. Sunt leges publicæ vtiles, eſt patriæ conſuetudo, ſunt exempla maiorum, eſt denique quidam rerum veluti curſus ipſa antiquitate firmatus, quo in otio & negotio facilè ac tranquillè ciuitatis ſtatus per ſe pene conſiſtit, vel certè ſi deflectat paululum, modica rectoris motione dirigitur, ſicut in trāquillo ac tuto mari clauum tenenti vſu venit. At in Indicana gubernatione, cùm præſertim noua regna adeuntur, atque habitantur à noſtris, omnino eſt ſecus. Omnia noua, nullæ conſuetudines certæ, leges iuraque omnia, naturali excepto, nihil propemodum firma: autoritas exemplaque ſuperiorū temporum vel nulla, vel non imitanda, euentus quotidie inopinati, repentinæ plerunque ac periculoſæ mutationes, municipalia iura tum ignorata, tum non ſatis firma ad iudicandū, Hiſpanienſes, Romanæque leges magna ex parte cum barbarorum diu retentis moribus repugnantes, ſtatus ipſe Reip. adeò inconſtans & varius, ſuiq; diſſimilis, vt quæ heri commodiſſima rectiſſimaq; habebantur, hodie rebus commutatis iniquiſſima, ac pernicioſiſſima exiſtant. Hîc quis nō videat qualem moderatorem eiuſmodi Reſ-

pub.efflagitet, quàm ſapientem,quàm cordatũ, quàm prouidum, quàm integrum, atq; conſtantem,quippe cuius conſilio,& prudentiæ commiſſa ſint omnia, in quo præſidia omnia belli paciſque conſtituta,collocataq; ſint? Si enim primos ciuitatum conditores optimos, ac ſapientiſſimos eſſe antiquitas voluit ad prima fundamenta iacienda, profectò perſpicuum eſt, non niſi præſtantiſſimos, lectiſſimoſque viros orbis indagatores,ac nouarum gentium duces eſſe debere. Hæc planè, vel vna ratio ad obtinendam cauſam ſatis erat. Adiungam tamen alteram non minus efficacem,atque robuſtam. Nam cùm remotiſſimæ regiones hæ ſint,caputque huius vniuerſæ Reip. ſiue Regiam, ſiue Pontificiam maieſtatem ſpectes,longiſſimè diſſitum,licentiæ, ac libidini Præfectorum campus latè patens oſtenditur,vt quicquid collibeat, licere ſibi etiam opinentur.Quod enim longè diſtat,quaſi nihil ad ſe pertineat, facilè temeritas humana contemnit. Hinc ſeditioſa conſilia,tumultus etiam, atq; adeò totius Reip. perturbatio: remedium verò oppidò ſerum,atq; incertum.Quarum rerũ teſtis locuples eſt hoc ipſum regnum Peru toties inteſtinis armis concuſſum, atq; inſtar procelloſi maris contrarijs ventis agitatum. Itaque vt Medici pulmonum,ſi ægrotare cœperint,curandorum perdifficilem eſſe rationem docent, quòd ad traducendum eò vſq; medicamentum longa, & valdè clauſa via ſit per ſtomachum, vt pharmaci vis valdè iam debilitata perueniat, aut ne perueniat quidem, ita planè longinquitas ſupremæ Potentiæ, atque autoritatis, huius Reip. ægritudini leuandæ remedia opportuna vix ple-

rumque ſperare permittit. Quamobrem quicquid in rebus Indicis à Præfectis peccabitur, propemodum dixerim ſine emendatione peccabitur. Quod equidem perſpexiſſe Romanos mihi perſuadeo, cùm ad remotiſſimas quaſque prouincias non niſi lectiſſimos, atque integerrimos viros mittendos cenſerent, aliquando quoque, ſi res poſtulare videretur, ipſi Conſules Reip. lumina non cunctanter proficiſcerentur, quippe qui egregiè noſſent, quos animos faceret temeritatis dilata vindicta, vtq; ſoleat à reliquo grege ſeiunctus vel ipſe bos efferari. Poſtremò ſi hæc tanta non eſſent, illud non paruum exiſtimari poteſt, quod vel leuia peccata gubernatorum, & procerum in rebus Indorum ingentia crimina haberi debent, propterea quod teneros adhuc illorum animos vehementer ſauciant, & à Chriſtiana religione perniciosiſſimè auocãt. Etenim & publicorum Magiſtratuum culpæ abſcondi non poſſunt, quia vt Tragicus dixit,

Pellucet omne Regiæ vitium domus: *Seneca in Thyeſte.*

& infirmi adhuc, & rudes Indorum ſenſus nullo modo de Chriſtiana gente, deque Chriſto ipſo aliter iudicare norunt, quàm ex his, quæ perſpiciunt in noſtris ſublimibus præſertim, atque authoritate eminentibus. Quæ res quanti fiat apud æquiſſimum hominum conditorem, atque parentem, inde facilè intelliges, quod cum lachrymis ac dolori intimo ſancti Regis Dauid flagitium admiſſum condonaſſet libenter, illud tamen ſeueriſſimè vindicauit, & queſtus eſt, quod inimicos Domini nomen blaſphemare feciſſet, cùm inter ſe reputarent, Deum eius regis amicum habitum, qui tanta perpetraſſet, quod ad di- *2. Reg. 12.*

uinæ exiſtimationis contumeliam quandã pertinere videbatur. Propheta ſanè Ezechiel, etſi de ſuo Iſraele narrare videtur, verius tamen de noſtri æui hominibus vaticinari credendus eſt, cùm illa, diuini doloris & querimoniæ plena

Ezech 36. pronuntiat: Et ingreſsi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meũ, cùm diceretur de eis, Populus Dei iſte eſt, & de terra eius egreſsi ſunt. Quas ſanè ironicas voces faſtidij, & deſpicientiæ teſtes, cùm inter ſe gentes de nobis ſæpiſsimè vſurpant, tum verò cùm acrius obiurgantur etiam in os nobis iactare non

Rom. 2. verentur, eadem quippè ipſi agimus, quæ in illis maximè reprehendimus. Si quis igitur animaduertat rerum Indicarum varium, ac mutabilem ſtatum, tum ſupremæ poteſtatis tam longè poſitam ſedem, mox animorum in fide recentium teneritudinem, fateatur neceſſe eſt, ad nullam aliam prouinciam regendam, ad nulla negotia gerenda ampliorem deſiderari ſapientiam, integritatem, pietatem, vt mihi quidem ſæpenumerò occurrat, quodà Probo dictum ſan-

In vita Ambroſij. ctus Paulinus narrat Ambroſio, cùm res Mediolanenſes id temporis difficiles & prætumentes iret adminiſtraturus. Non tam ſe iudicem quàm Epiſcopum vt putaret, benignitate, zelo, paterna cura erga omnes. Qua de re Valentiniani illius maioris non erat parua gloriatio, quod eos ipſe iudices daret, quos Eccleſia ſibi legeret ſacerdotes. Atq; vtinam nunc, vel Ambroſios, vel Nectarios, vel ſi qua ſunt præfectorum celebriora nomina haberemus: profectò noui orbis adminiſtratio tales ſe maximè decere ipſis rebus oſtenderet, quibus, quod Leo magnus Theodoſio

Auguſto gratulabatur, non ſolùm regius animus, ſed etiam ſacerdotalis ineſſet. *Epiſt.*

Quam ob cauſam difficile inueniantur idonei rebus Indicis præfecti.

CAP. V.

HOs igitur duces, hos magiſtratus res Indicæ poſtulant, neque vlla argumenta, quanquam vrgent illa quidē ſatis, tanti facienda ſunt, quanti ipſa longi temporis experientia. Quam cauſam cùm diſertè ageret vir quidam clariſſimus, & inter regios miniſtros princeps, colligebat nuſquam fidem, prudentiam, animi magnitudinem magis requiri, tum verò adiungebat aptiſſimè. Et cùm tales miniſtros efflagitent res, qui homines ad hæc venimus? vt potius exonerandæ Hiſpaniæ cauſa quàm huius reipublicę capeſſendæ miſſi eſſe videamur. Quotum enim quemque inuenies, cui ſi in Hiſpania magiſtratu potiri, ſi præfectura licuiſſet, Oceanum traiecturus fuiſſet, atque hæc in extremo orbe quæſiturus? Ita melioribus rebus excluſi ad hæc veluti extrema conuertimur. Mihi verò hæc prudentiſſimi viri oratio, non tam eſſe iniurioſa videtur in multos, quos prouinciæ hæ, & habuerunt, & habent præſtantiſſimos, Chriſtianæque ac ſapientis adminiſtrationis laude florentes, quàm commonere potius, & conqueri Indicarum rerum natura ipſa comparatam difficultatem. Etenim cùm penetrandi ad Indos pleriſque, vt modeſtè dicamus, familiaris rei anguſtiæ in cauſa ſint, ac relictam patriam, liberos, charos omnes, labóres quoque immenſos, & pericula nauigationum, itinerum, noui cœli, ea vna cogitatione

tione compenſent, quòd aliquando tandem ex India redituri ſint diuites,ac beati, vt quod reliquum eſt ætatis,in otio ſplendidè agant,ſuos etiam fortunis iuuent (quis enim ſi cogitationes, conſiliaq; ſua inſpiciat, ita ſe animatum neget?) quis obſecro non videt cupiditati, atque auaritiæ ianuam eſſe patefactam ampliſſimam? vt cumulandæ pecuniæ cura ſit prima, cætera omnia huic vni poſthabeat, quippè cuius cauſa ſe tanta ſuſcepiſſe, tanta perpeſſum eſſe ſecum reputat, dedecorique ſibi,& ignominiæ vertendum,ſi ex India non optimè nummatus reuertatur ad ſuos? Sic vſus,atque hominum exiſtimatio habet. Hac lege quis iam magiſtratus, vel ſupremus, vel infimus non cupit familiaris rei ſuæ commoda augere? quod non poteſt non vehementer nocere Reipublicæ. Ariſtoteles quidem magnopere intereſſe Reip. cenſet, ne egentes ad magiſtratum vocentur,quòd pauperes in magiſtratu vænales fieri ob egeſtatem afferat. Moyſi quoq; de creandis iudicibus Iethro ſocer ſapienter conſilium dedit,quod ille libenter accepit. Prouide,inquit, de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deũ, in quibus ſit veritas,& qui oderint auaritiam. Et quamuis Indicis magiſtratibus ſtipendia ampla conſtituta ſint, quibus viri boni contenti ſunt, ſæpe tamen ſitis illa opulentè in patriam reuertendi iuſto neſcit expleri, vt hîc quoque verum ſit illud Salomonis, Rex iuſtus exigit terram, vir auarus deſtruet eam. Atque inde quoque rebus Indicis altera non leuior ærumna proficiſcitur, quòd cùm gubernatores omnes, ac iudices Hiſpaniam cogitent, ſtudia ſua omnia,& curas illic collocent, Indicum ſolum veluti alienum,atque

a Pol. cap. 7. & li. 3. c. 8.

Exod. 18.

Prouerb. 29.

extraneum habent,ita parum curant,quod nihil amant,quod quantum ſtatui, atque incrementis Reipub. obſiſtat, dici non poteſt. Inter laudes eorum, qui ciuitatem aliquam adminiſtrant, & neceſſarias dotes, illam primam Philoſophus nu merat, vt ſtatum præſentem Reipub. ament. At Rempub. hanc ita plerique ab animo ſuo alienant, vt exilij loco habere videantur: aut certè præclarè cum rebus Indicis agatur, ſi quemadmodum militares præfecti vbi caſtra ponunt, in id temporis, quod eo in loco ſe acturos intelligunt, commeatum, cæteraq; opportuna curant: inde abeuntes diſſipata omnia, atque exuſta relinquunt, ita noſtri homines ad id ſaltem ætatis, quod hîc exacturi ſunt, vtcumque res Indicas conſtare velint. Hæ ſunt adminiſtrationis Indicæ graues difficultates. Ad quas accedit quoque alia longè quidem maior, verùm non ita communis, ſed propria eorum, qui nouas Indorum terras adeunt, ſedibus ibi collocandis intenti, quòd cùm ad barbaros eant, non niſi armorum præſidijs fulti rebus ſe incertis committant, vbi vel ſe tueri oportebit, vel ferro etiam aperire viam. Itaque totus iſte primus ingreſſus militaris eſt. Quamobrem ei demandari prouincia ſolet, qui peritia militari excellit, neque ad copias ductandas tam Ducis probitas, quàm militaris peritia ſpectari ſolet. Hic quid occurrat incommodi, facilè quiuis cogitare poteſt. Cùm enim primus ingreſſus fidei, prima exordia Euangelij, prima Chriſti annuntiatio pro ductu ac voluntate hominis, vt parciſſimè dicã, militaris tranſigenda ſit, illius ſententia in omnibus princeps ſit, cumque dux ipſe profanus ſit, manus verò ſatellitum

5. Pol.c.9.

tellitum temeraria, qualem expectare debemus adminiſtrationem, quàm rebus Chriſtianis prouidentiam? Quamobrem illud etiam atq; etiam Catholici principes, horumque proreges, aut cuiuſcumque demum interſit, cogitare deberent, cùm ad eiuſmodi expeditiones bellicas duces præfectoſque legunt, vt pij, Chriſtiani, integri, Deum timentes, ſalutemq; hominum plurimi facientes quęrantur. deniq; ij, qui ſe Epiſcoporum, imò verò Apoſtolorum munus ſuſtinere perſpiciant. Quanquam enim ad arma tractanda non tam viri probitas, quàm militaris peritia, vt Ariſtoteles voluit, ſpectanda ſit, tamen vbi de fidei initijs agitur, de ſalute tot barbarorum, deniq; de ipſo Chriſti honore, atq; exiſtimatione, infinitis partibus pluris facienda eſt vitæ integritas, atq; conſtantia. Neque enim tam dilatandę Reip. cauſa res geritur, quàm Fidei amplificandæ. Huic verò duci & moderatori probo etiam adiungere oportebit cohortem non hominum perditorum, ac profligatorum, ſed ſi non optimam ac religioſam, tamen non peſſimam, & infamem. Quod ſi quis nimia iſta cenſebit, ridens fortaſſis in cogendis militaribus copijs eiuſmodi de ſpectanda probitate præcepta, is ſic habeat, longè magis eſſe riſu dignum, ad Euangelij primum introitum eos reputari commodiores, qui ad nocendum procliuiores ſint. At neq; vir ea probitate ac modeſtia facilè reperietur, inquiunt, neque delectus ille hominum ad expeditiones bellicas vllo modo haberi poteſt. Primũ ſi fieri nequeat, expeditiones ne fiant. Neq; enim amat Chriſtus annuntiari cũ inſigni Chriſtianæ religionis dedecore. Deinde non vſque adeo dura res eſt, modò vo-

dò vo-

dò voluntas ne deſit, vt præfectus quiſpiam quæratur non ſolùm militari laude clarus, verùm Chriſtiana pietate commendatus: vtq; ad illius comitatum ſi non deligantur pij homines, tamen non admittantur nefarij. Si enim homines infames, & ſordidos Imperatoribus militare Romanæ leges non iniuria vetuerũt, quid eſt cur Chriſto in primo illius ad infideles ingreſſu perditiſſimus quiſque nomen dare ſit permittendus? Quamobrem cùm in omni Magiſtratu Indico, tum verò maximè in prima ad barbaros profe-ctione viros idoneos ſapientia, & pietate præſtã-tes, præficere oportet, magna adhibita diligentia, vt tales omnino quærantur, inuentique præmijs, atq; honoribus ad rem pro dignitate gerendam permoueantur. Quanquam magna apud Deum gloria copioſaq; pro meritis rei tantæ remuneratione nihil poteſt amplius, ac præſtantius cogitari. Aſſiduæ autem noſtrum omnium ad Dominum preces eſſe deberent, ſi modò tot hominum millia amamus, aut alicuius facimus, *Oſee* 13. vt neque det reges in ira ſua, neque propter pec- *Iob* 34. cata populi regnare faciat hypocritas, ſed mittat *Hier.* 3. potius paſtores iuxta cor ſuum.

Non eſſe iniquum tributa Indos pendere administratoribus ſuis.

CAPVT VI.

QVONIAM adminiſtrationem nouæ Chriſtianitatis penes noſtros principes eſſe iam diximus, & his ex Dei, Eccleſiæque præcepto incumbere, vt ſaluti Indorum miniſtros idoneos tum ad ſpiritualia, tum ad ciuilia præbeant, exinde dicendum eſt, vtrum ad horum ip-

ſorum neceſſarios vſus, poſſit ab Indis exigi aliquid, quidve illud ſit: mox, quid viciſſim Indis rependi debeat. Tributa ergo neceſſaria ad ſpiritualem, politicamq́ue gubernationem certa ratione moderata, ac definita non iniquè Indorum gens pendere exiſtimanda eſt. Nam vt omittam Philoſophorum Reſpub. ſuas conſtituentiũ, de publicis tributis ſententiam, qui ſemper moderatoribus publicis, negotijſq́ue communibus de publico, & communi cenſu tribuendum docent, certè in diuinis noui teſtamenti literis, vſque adeò expreſſa res eſt, vt nihil amplius. Paulus ſanè Apoſtolus hunc totum locum ſcribens

Rom. 13. ad Romanos excellenter illuſtrat. Neceſſitate ſubditi eſtote, inquit, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Quo loco non oſcitanter notari debet, quos alloquatur Paulus, & de quibus. Scribebat ſanè ad Romanos iã Chriſtianos, ſubditos verò Cæſaribus, qui in liberam ciuitatem per vim irruperant ad potentiam. Et tamen his neceſſariò parendum monet, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, id eſt, non timore hominum ſolùm, ſed etiam Dei ita vrgente. Deinde tributorum penſiones præcipiens, atque commendans, cauſam reddit æquiſſimam, quod publici magiſtratus miniſtri Dei ſint in commune bonum ſeruientes, ac proinde eos, ali atque honorari à ſubditis iuſtum ſit. Quã ex re colligit reddendum eſſe quicquid debetur, ſiue tributũ ſit, ſiue vectigal, ſiue quiduis aliud.

Quæ

Quæ in hoc loco commentetur Chryſoſtomus, placet etiam aſcribere. Innumera bona, ait ille, ciuitatibus per magiſtratus obueniunt, quæ ſi ſuſtuleris, omnia ſimul peſſum ibunt, ita vt neque vrbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud conſiſtere queat, ſed omnia ſimul ſubuertantur, potentioribus imbecilliores impunè deuorantibus. Propterea ab antiquis temporibus communi omnium ſententia principes à nobis ſuſtentari debere viſum eſt, ob id quod ſua ipſorum negligentes, communes res curant. Et mox, Quòd ſi Paulus tunc cùm gentiles adhuc eſſent Principes, iſta præcepit, multò magis oportet ea fidelibus exhibere. Eam Apoſtoli ſui doctrinam Chriſtus Dominus non ſolùm præcepto ante conſtituit, verùm etiam exemplo commendauit ſuo. Nam de Cæſari reddendo cenſu rogatus, Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, reddenda eſſe reſpondit, magiſterio obedientiæ, vt ait ſanctus Ambroſius, & nos inhęremus, dum ſoluimus, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, tributum Cæſaris eſt, non negamus. Ipſe verò recens natus Saluator in Bethleem etiam profeſſus eſt, ac deſcriptus, & Auguſto Cæſari Iudæam tunc cum cætero orbe obtinenti cenſum perſoluit, quemadmodum vult D. Nazianzenus. Quam rem cùm & diuinorum librorum authoritas, & ratio ipſa ſatis múniat, atque confirmet, neque noſtrorum Theologorum eorum quoque, qui cauſæ Indicæ ſtudioſiores ſunt, aliquanta ab ijs tributa exigi poſſe quiſquam neget, nihil eſt cur in loco plano, & expedito amplius immoremur.

Homil. 23.

Matth. 22.

In oratione contra Auxentium.

Lucæ 2.

In oratione ſiue epiſtola ad Iulianũ.

Et Auguſt. de cat. rud. c. 21.

Improbantur tria genera tributa taxandi.

CAPVT VII.

TAmetſi ab Indis tributa exigere noſtris licere manifeſtum ſit, at quanta illa tamen, & qualia quauè ratione, & ſorte, & quouſque, id ſanè perobſcurum eſt, & ad explicandum impenſè difficile. Neque enim ſtatim immodicas exactiones probaturi ſumus, neque auaritiæ, ac rapacitati multorum conniuere debemus, quæ vna res totius regni euerſio ſit, atque Indici fundi, vt comicè dicam, calamitas. Nam quod hos capere oportet, illa intercipit. Ac ſit licet maior res facultate noſtra certum aliquid in re vſque adeò incerta & dubia definire: tamen operæpretium facturus ſum, vt mihi videor, ſi diligentius rationes aliquas tributa taxandi excuſſero. Primũ igitur documentum ſit, Indis mulctæ nomine tributa imponi minimè poſſe. Nam vbi iuſtè aliqua ciuitas, aut gẽs debellata eſt, ſolet, idq́; meritò, pecuniaria redditio pro victoris arbitrio imperari, vt temeritatis ſuæ pœnas luat. Hanc vel potiſſimam tributorum originem extitiſſe, Gregorius Theologus vult, ita ſcribens, Ex peccato penuria nata eſt, pernicioſæ cupiditatis mater, quę bella peperit, à quibus orta ſunt tributa, quibus in diuina condemnatione nihil grauius eſt, & acerbius. Hæc Gregorius. Ad hunc modum profligato ac victo Ioachaz Rege Iuda à Pharaone, centum talentis argenti & talento auri terram eſſe mulctatam diuinæ literæ tradũt. Hoc genus tributorum tum profanis, tum ſacris literis frequentiſſimum eſt. Sic Moab à Dauide percuſſum ſub tributo ſeruiſſe, itemq́; Syrum Damaſce-

Orat. ad Iulianum.

4. Reg. 23.

2. Reg. 8. 1. Par. 18.

maſcenum, ſic Chananæum tributarium factum *Ioſue 16. & 17.*
Ephraim authore Ioſue, nec non reliquas illas
nationes Iebuſæorum, Amorrhæorum, atque a- *3. Reg. 9.*
liorum Salomonis opera perpetuo tributo ſol-
uendo addictas eſſe populo Iſrael ſacra hiſtoriā
commemorat. Quod ſanè nullo modo iniurio-
ſum eſſe, non ſolùm ſanctorum virorum exem-
pla demonſtrant, ſed etiam aperta ratio, quæ iu-
re belli victos victoribus ſubdit, neq; fortunis ſo
lùm, ſed libertate quoq; vitaq; ipſa reddit obno-
xios. At Indorum populi, vt ſupra ſatis diſputatū
eſt, à Chriſtianis debellari non poſſunt, ac proin-
de neq; libertate, neq; argenti penſione mulcta-
ri. Quid enim noſtros læſerunt, quorum ne no-
men quidē audierāt? Dei verò offenſas, naturæq;
iniurias vlciſci, noſtra nihil intereſſe, opinor a-
liâs ſatis eſſe monſtratum. Itaq; grauiter profectò
peccarent, qui eo iure debellatos barbaros inſtar
Amorrhæorum, & Chananæorum, vel potius, vt
præſentia loquamur, Maurorum, atq; Turcarum,
ſeruitute, atq; multa penſione onerarent, exiſti-
mantes etiam beneficium ſe collocare, quod non
capite plecterēt. Neq; enim tam ſtolida ratio niſi
ab imperitia, & inſolentia militari proficiſci po
teſt. Quod ſi id genus quippiam hactenus perpe-
tratum eſt, conſulant certè conſcientijs ſuis, qui
ita ſe compararunt. Atq; hoc ſanè documentum
certiſſimū eſt: ſequens verò multò certius, Nefas
eſſe in exigendo cenſu rationem habere Euange-
lij illis cōmunicati, quaſi retributio expectetur,
vt pro Fide, & Baptiſmo, Chriſtiq; notitia imper
tita viciſſim repetatur argentū. Hæc tota ſordi-
diſſima cogitatio hominum tum imprudentium,
tum improborum Euangelium veluti licitantiū

(nam & hoc à quibuſdam iactari aliquando ſoli- tũ audio) nihil profectò à Simone illo abeſt, niſi quod ille nefarius pecuniam potius dare pro gratia, iſti gratiam pro pecunia cupiunt commutare. Nullo ergo modo ferendum eſt, vt in deſignando tributo, quid per Chriſtianiſmum ſint conſecuti barbari, cogitetur. Quæ enim gratis accepimus, gratis quoq; dare iubemur. Tertium documentum eſto, Barbaros cauſa ſoli, terræve ab ipſis cultæ, & habitatæ nihil debere Principibus Chriſtianis. Quod vt intelligatur, meminiſſe oportet tunc demum ratione ſoli penſionem perſolui Principibus, aut Reipub. ab homine priuato, cùm Principis authoritate, & iure conceditur. De quo genere tributorum Ambroſius videtur loqui in ſua illa contra Arrianos defenſione mirabili. Si tributum, inquit, Imperator petit, non negamus. Agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vendicandorum, & cætera quæ perſequitur. Hoc igitur ita habet, cùm ager regio iure poſſidetur. Quare videmus tum ſubditos à Dominis, tum externos à ciuibus agros ea pactione accipere, vt certos ſemper cenſus inde perſoluant. Iſto ſanè exemplo ſanctus Ioſeph vniuerſam Aegypti terram ſubdidit Pharaoni, quinta portione frumĕtaria Regijs vſibus perpetuò addicta, quòd quibus agros ipſos tribuiſſet, rectè & iure poſſet cum his de reddĕda ea ſemper portione paciſci. At hæc ratio in tributis Indorum iniri nequaquam poteſt. Neque enim ſolum noſtrum ipſi occuparunt, ſed nos illorum, neq; ad nos ipſi, ſed ad illos nos certè peruaſimus. Itaque barbarorum terra ſubditur quidem Chriſtianis princi-

Actor. 8.

Matth. 10.

De hoc tributi genere loquitur Zacharias Papa in epiſt. ad Bonifacium. De Sclauis Chriſtianorum &c.

Extat libr 5. epiſt. 11. q. 1. Si tributum. 24 q. 8. c. ſanctum.

Geneſ. 47.

principibus, cùm primũ populi ipſi ſubduntur, ſed nihil, illius ratione barbari debent, quam à nobis mutuati non ſunt, ſed nobiſcum potius cõmunicarunt. Plurimum verò intereſt, vtrum homines ratione loci ſubdantur, an potius hominum cauſa locus ipſe. Hîc enim res nullo modo, addicuntur, ſed integrum ius penes dominos manet. Quamobrem Indis (huc enim noſtra iam dudum tendit oratio) pro modo ac magnitudine poſſeſſionum, agrorum, gregum, paſcuorum, tributa etiam exaggerare, & cumulare, vt pro tanto tantum certa ratione perſoluant, iniquiſſimũ eſſet, ſiquidem rebus nihil per ſe debentibus cenſus imponeretur. Quod ſanè, neq; factitatum hactenus eſſe ſcio, ſed eſt fortaſſe improborum cupiditate tentatum. Neque tamen illud modò diſputo, An Rex, quemadmodum Ingarum imperio ſuccelſit apud nos, & Moteçumæ apud Mexicanos, ita quoque in omnia illorum iura conceſſerit, vt agros, greges, paſcua, mineralia, cæteraque principum, ſuo ipſe iure adeat. Nam ſi rectè & ordine ab illis iſta obtinebantur, & legitimè ac iuſtè noſtri illis ſucceſſiſſe cenſentur, rectè quoq; iſta omnia retineri conſequens eſt. Vtrum verò aut illud ita habeat aut illud, examinare ac dijudicare, noſtrum non eſt. Habent Catholici reges conſilia, ſenatuſque ſuos, habent conſcientiæ magiſtros. Subditis, dum iniuria non eſt euidens, pro iure ſuorum principum ſentiendum pronuntiandumque eſt, vt Apoſtoli Petri præceptum integrè conſeruetur, regem honorificare. *1. Pet. 2.* Illud hoc loco ſolum agimus, quod & fatentur omnes, & eſt per ſe ſatis certum, etiam ſi barbari conuertantur ad Chriſtum, non tamen rerum

ſuarum iure excidere, neque verò noſtris, quamuis ſubdantur ad fidei ſuſceptæ tutelam, vel ſeruitute vel fortunis ſuis obnoxios eſſe, id quod Paulus quoque Pont. max. apertè decreuit.

Vulgaris ratio tributa imperandi expenditur.

CAPVT VIII.

PLeriſque autem illa ratio tributa imperandi videtur æquiſſima, vt perſpiciatur primùm, quibus rebus vnaquæque prouincia abundet, vtrum frugibus, veſte, gregibus, mineralibus, argento: tum verò numero Indorum oppidatim tributimq; inito, ea ſumma quotannis imperetur, quæ poſſit commodè conferri, ita vt ſinguli certa portione tantum attribuant, quantum vel ex hiſce rebus, vel ex operis ſuis locandis ſuſtentata familiola, præbere queant. Quæ ſanè conſuetudo obtinuit, vt viritim tributa pendantur. Extant regia edicta grauiter cauentia, ne ab Indis ea exigantur, quæ & ad ſe ſuſtentandos, atque ab ægra valetudine, ſi acciderit, recreandos; & ad liberos educandos, ac matrimonio collocandos neceſſaria habent. Quam Chriſtiano pectore dignam legem laudare par eſt. Qua in re totā quoque illam prouincias luſtrandi diligentiam, prouentus, ac commoditates perſpiciendi, tum vt ea iniungantur, quæ commodiſſimè poſſunt præbere Indi, vt nihil ſupra vires, nimis graue ſuſtineant, cæteraſque inſtructiones eodem pertinentes, comprobare profectò decet: quin ne illud quidem improbandum eſt, vt ſinguli, qui modò vel ætatis imbecillitate, vel corporis affecta valetudine, vel officio publico non impediuntur, aliquid in commune conferat, vnde tributi penſio fiat.

ſio fiat. Bene hæc ſanè omnia. At quod viros in primis doctos non bene habet, quo etiam me mo ueri vehementer fateor, illud eſt, quòd ſolùm co gitatur, quid Indi ſoluere poſſint, quid verò ſol- uere debeant, non item. Quæ ſanè conſideratio, vt non exigantur, quæ non poſſunt reddere, ne- ceſſaria eſt: ſed nullo modo ſufficiens, niſi præte- rea addatur, vt neq; ipſi ab Indis capiamus, quæ noſtra non ſunt, iuſtitię ſempiterna lex docet, ad exigendum ab aliquo quippiam, tametſi neceſ- ſe ſit vt poſſit ille præbere, tamen nullo modo id ſatis eſſe, niſi & poſſit ſoluere, & inſuper debeat. Nam ſiue non poſſit ſoluere, ſiue non debeat, æ- què eſt iniqua exactio. Et ſi enim ſupra ſatis mon ſtratum eſt Indos noſtris aliquid debere redde- re, quorum in adminiſtratione ſunt, non tamen continuò efficitur, vt quantum poſſint, tantum debeant, etiam ſi rem temperes verbo leniore, vt tantum tribuant, quantum commodè queant. Itaque ratio hæc peruulgata ad tributa barba- ris imperanda, qua ſolùm ſpectatur, quid quan- tumue vnuſquiſq; ſoluere queat, licet pleriſque, vt dixi, ſancta ac legitima appareat, tamen peni- tus inſpecta, non ſatis idonea, imò verò exitioſa deprehendatur neceſſe eſt. Quæro enim, cur Hi- ſpanis, & Gallis cæteriſque per Europam, ſi iſta conditio offeratur, vt ſinguli tantum pendant, quantum poſſunt commodè, iniquiſſima, & in- iurioſiſſima ſit, Indis verò iuſta & æqua? An iſtos ſua imperitia, imbecillitas, tenuitas fecit obno- xios? Deinde quid hoc à ſeruorum conditione abeſt, à quibus iuſtè exigitur quicquid reddere poſſunt, quia quicquid ſeruus acquirit, Domi- no acquirit? Præterea ſi bello iuſto domiti, mu-

ctæ nomine tributa pendere cogerentur, quid poſſet grauius imponi, quàm id vnuſquiſque vt det, quod poteſt? Nam quod non poteſt, ne tyrannus quidem exigendum putat.

An propter reuocandos ab otio barbaros, tributa grauiora imperanda ſint.

Cap. IX.

At dicunt qui res Indorum, atq; ingenia maximè callent, hoc magnopere barbaris expedire, vt tributis grauentur, propterea quòd natio hominum ignaua, & otioſa, niſi cogatur laborare, & induſtriam, atque operam in quæritando cenſu ponere, ſocors more pecudis vitam tranſigit, turpiter belluinis rebus vacat: quippe qui neq; rem familiarem augent, neque ſibi conſulunt in poſterum, ſed hodierno tantùm cibo contenti, genio indulgent. Ad hanc quidem ratiocinationem, quæ peritiſſimo cuique maximè familiaris eſſe ſolet, nos ſanè ita respondemus, vt barbaros laborare, negotiari, occupatione & cura diſtineri, per quàm ipſis ſalutare eſſe fateamur, imò verò illorum Reipub. vtcumque conſtituendæ neceſſariũ omnino. Qua de re Ingarum proceres ingenio ſine dubio peracri, iudicioq; præſtantes, in eo vel maximè rectam iſtorum ac diuturnam adminiſtrationem eſſe cenſuerunt, vt quàm maximè exercerentur, minimeque vacare ſinerentur. Itaque vbi neceſſaria aut vtilia deerant, etiam rebus ſuperuacaneis diſtinebantur, vt qui eorum diſciplinam cognouerit, meritò miretur, quod veteres nårrant, etiam vermiculorum colligendorum certam mē-

ſuram

ſuram quibuſdam imperatam, alios ſaxis vltrò citroque voluendis ſeriò occupatos. Neque verò cauſa aut obſcura eſt, aut lõgè poſita, cur Indos negotio vrgeri maximè expediat. Etenim barbari omnes ingenio ſunt ſeruili, ſeruis verò nullũ otium eſſe debere, etiam in prouerbium abijſſe Ariſtoteles dicit, quòd otiũ petulantes faciat, id quod noſter Sapiens prçclarè monuit, Mitte, inquit, ſeruum in operationẽ, ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas. Igitur exerceri Indi debent, non negamus, ſed libentiſsimè amplectimur. At cui exerceri, cui negotiari, cuius inſeruire cõmodis debeant, hoc verò quæritur. Cùm enim illud à tyrannico dominatu regalis abſit, quod hic in ſubditis moderandis non ſuam, ſed ipſorum magis vtilitatẽ ſpectet, profectò non eſt obſcurum ſyncerè cernentibus, operas atque negotia Indorum in ipſorummet emolumenta debere conuerti. Non enim inſtar apiarij id tantum mellis in aluearibus relinquendum eſt, quantum apibus alendis ſufficit, ne intereãt, reliquum omne auferendũ: neq; vt greges detondẽdi sũt, quibus vellera ita deſecamus, vt radices ſolùm denuo procreãdæ lanæ ſaluas eſſe ſinamus. Excepto igitur eo, quod & ſpiritualibus & ciuilibus præpoſitis neceſſarium eſſe prudens charitas ſanxerit, quicquid vltra ſalutis Indorum prætextu nobis vſurpamus, pro rapina ducendum eſt. Atque equidem vereor, ne vbi ſe quidam Catones Mutioſue profitentur, moreſque barbarorũ cenſura ſua ſeuera notare atq; emendare pergunt, Pharaones potius exiſtant, depoſitaq; cenſoria larua, qua tam rigidè increpitant: Vacatis otio, alteros ſe Nabucho-

7.Pol.c.15. *Eccle.33.* *Exod. 5.* *Hiere.52.*

donoſores exhibeant, omnia expilantes, & miſeros duram ſeruitutem ſeruire cogentes. Deſinant ergo iam tandem homines auari, & inhumani ſaluti ſe ſe Indorum iactare, fortuniſque conſulere. Agnoſcãt potius, ac fateantur priuatis ſe cõmodis ſeruire, nulla publicæ diſciplinæ cura teneri, nullo gentium harum adiuuandarũ deſiderio tangi. Omnino fucus ipſe ſe prodit, neque ſuſtinet diu cupiditas prouidentiæ ſibi falſo nomen impoſitum. Quod ſi duri eſſe pergamus in miſeros, neque noſtræ cupiditatis ardorem eorum lachrymæ extinguant, profectò timendum eſt, ne multus ac creber clamor Indorum cœlos omnes penetrans ad ipſum æquiſſimi iudicis tribunal irrumpat. Regnum, ait Spiritus ſanctus, tranſfertur de gente in gentem propter iniurias, & contumelias, & iniuſtitias, & diuerſos dolos. Auaro quoq; dicit nihil eſſe ſceleſtius. Et qui calumniatur pauperem, vt augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. Et in ſancto Iob terribilius. Hæc eſt pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorũ, quam ab omnipotente ſuſcipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non ſaturabuntur pane: Qui reliqui fuerint ex eo ſepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens diuidet: ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum. Diues cùm dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet, apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet

Eccl. 10. Pro. 22. Iob. 27.

eum tempeſtas. Quas ſanè diuinæ ſeueritatis minas in pauperum oppreſſores, violentoſque alieni ſudoris exactores, videant qui volunt, an de nonnullis huius ſæculi hominibus res ipſa copiosè declarauerit. Filios cæſos, nepotes auita hæreditate deiectos, vix pane ſaturatos, poſteritatem omnem extinctam, viduas etiam virorum obitu lætas, & voti compotes, argentum terræ propemodum coæquatum ad pauperes deuolutum, ſacras domos pretioſis illorum ſpolijs, & veſte coornatas, ac reliqua, quæ de violentorum vltione diuina Iob loquitur, promptum eſt cernere in pleriſque noſtræ ætatis hominibus, quæ quicumque meminerit, fateatur neceſſe eſt, etiā noſtræ Reipub. & gentis referre plurimum, vt modus teneatur diuinæ autoritatis lege præſcriptus: quem ſi exactiones exceſſerint, non ſolùm non erunt adiumento, verùm etiam Deo iuſtiſſimè vindicante, certi exitij, & ruinæ cauſa pleniſſimæ. Extat ſanè epiſtola grauiſſima Gregorij magni ad Conſtantiam Auguſtam, in qua multa ſeuerè locutus adiungit, Idcirco fortaſſe tantæ expenſæ in hac terra minus ad vtilitatem proficiunt, quia cùm peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo sereniſſimi Domini nihil cum peccato colligi. Nam ſcio quia & ſi parum Reip. attribuitur vtilitatibus, ex eo multum Reſpub. adiuuatur. Qua ſapientiſſimi Patris ſanctiſſima ſententia cauſæ totius Indicanæ nullum proferri potuit, vel plenius, vel certius oraculum. *lib. 4. Regiſ. epiſt. 33.*

Quis

Quis modus in tributis taxandis tenendus.

CAPVT X.

SI quæratur ex me, Ad quam igitur Regulam reſpicere debent, qui tributa neophytis barbaris ex bono & æquo taxare cupiunt, ego certè nullam noui aliam præter eam, quam Diuus Thomas affert de lege humana eleganter diſſerens, quamque Theologi reliqui ſummopere probant. Vt in lege ferenda onerofa præſertim, finis ipſe penitus inſpiciatur, atque penſionis tantum imponatur, quantum fini propoſito congruit, tum verò in diſtribuendis eiuſmodi oneribus proportionis æqualitas conſeruetur. Hinc quoties exceſſerit, pro iniqua legem computari oportere. Hæc illuſtrium Theologorum, rationi prorſus conſentanea, de tributorum impoſitione ſententia eſt. Duo ergo accuratè prouidenda ſunt ei, qui in lege de tributis ferenda nolit errare: Vnum ex parte Indorum, vt non grauentur nimium, ſed ea exigantur, quæ poſſint opportunè præbere & commodè: alterum ex parte noſtrorum, vt quod ab Indis accipitur, pro officio ijs ac neceſſaria prouidentia impertienda æquũ, congruenſque ſit. Huc enim Theologi, & Theologorum decus Thomas reſpiciunt, cùm dicunt tributa ratione finis neceſſaria licere imponere, ea verò eouſque debere progredi, quouſque finis ipſe efflagitat. Itaque quòd ſupra iam dixi, repetendum eſt diligenter, vehementer eos errare, qui Indorum gentes perinde atq; prædia quædam, aut greges reputant, vnde quicquid emungi poteſt, dummodo ne intereat funditus, ſed futuris vſibus reſeruetur, ſiue ager ſit, ſiue pecus, id totum honeſto ac liberali lucro aſſignant. Sed

labun-

1.2.q.96. ar.4 Sylu Gabella.3. q.2. Sotus lib.1. de Iuſt.q.6. a.4. Caiet. verb. lex. in ſumma.

buntur profectò grauiſsimè, quicunque ita ſe comparant. Neq; enim Indos tuos numerare potes, & quaſi de tuo inde quiduis accipere. Quin potius ſi quid accipis, ob id accipis, vt tu viciſſim aliquid aliud rependas, quod ſi non dederis ipſe, quicquid abſtuleris, iniquũ eſt, & iniurioſum. Vt Medicus ab ægroto, Aduocatus à cliente iuſtè pretium capit, pro impenſa opera, & officio: ita Patronus ab Indo ſi quid accipit, pro officio accipit. Itaq; quemadmodũ militib⁹ Reip. cauſam ſuſcipientibus de publico, & annona, & ſtipendia præbentur, quæ ſanè à cæteris pro collato in ſe beneficio Reip. tuendæ iure exigũtur, neque tamen militiæ prætextu quantumuis extorquere, & corradere fas eſt, ſed hactenus tãtũ, quatenus militi, præſidijſq; cõparandis ac tenẽdis opus eſt: ita prorſ⁹ quæ Chriſtiani à barbaris tributa capiũt, eo vſq; ſolùm progredi oportet, quouſq; fini propoſito neceſſariũ eſt. Eſt verò ille finis ratione præſcriptus, vt miniſtri ſaluti, & adminiſtrationi Indorũ neceſſarij nõ deſint, honorenturq; congruenter. Hi verò in duplici genere ſunt. Primi ac præcipui numerantur Paſtores animarum, Miniſtri ſalutis æternæ, quos eorum largitionibus, & prouentibus ali, quos ipſi diuino verbi, & ſacramenti pane nutriunt, non tam diſpoſitionis humanæ, quàm diuini eſſe iuris notiſsimum eſt. Id omni lege definiri Paulus gentium doctor diſertè oſtendit. Nam de lege gentiũ hoc argumentũ verſans, Quis militat, inquit, ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineã, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? Ne verò ſecundùm leges humanas tantùm agere videatur, producit ſtatim 1. Cor. 9.

ſtatim diuinam veteris teſtamenti. Numquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non
Deut.25. dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os boui trituranti. Si nos ſpiritualia vo-
Deut.18. bis ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Atque hæc quidem iuxta legem veterem, quid verò noua, & Euangelica? Nequaquam ab his diſcrepantem monſtrat, Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio & viuere.
Luc 10. Dixerat quippe Dominus, Dignus eſt operarius
Matth.10. mercede ſua. Nihil ergo opus eſt teſtimonijs alijs, quæ ſunt plurima, eademque grauiſsima. Vnus Paulus, vel potius Spiritus ſanctus in eo loquens nobis abundet. Verùm præter ſacerdotes Domini non eſt dubium, quin politicæ, atque humanæ adminiſtrationi Reip. barbarorum, per quã neceſſarij ſint ſæculares præpoſiti. Hi verò diſtributi videntur apud nos in duas ſpecies. Nã & iudices Magiſtratuſq; ſunt, de quibus dictum eſt ſupra, & ſi quid reſtat, dicetur poſt: & ſunt propriè ſuſceptores Indorum, ſiue Patroni (ita enim appellare malo, quos vulgus noſtrum ſuo ſermone Encommẽderos vocat) quibus pro cura, ac prouidentia, quam gerere debent hominum ſuæ fidei, ac tutelę commiſſorum, licet ſanè tributa quædam viciſsim capere. Quo in loco accuratè intuendum eſt Regiam maieſtatem ius illud omne, quod habet ad exigẽda tributa à populis neophytorũ ſibi ab Eccleſia in fidem datis, in eiuſmodi Patronos transfundere, eoſq; penes collocare, certis quibuſdã pactionibus interpo-

ſitis,de quibus mox opportunè dicemus. His ergo,ſi eos ſe ſe exhibeant, quos fide iurata profitentur,tributa rectè ſolui non eſt,cur reuocetur in dubium, cùm manifeſtum ſit licere Principi alijs attribuere,quæ percepturus ipſe eſſet. Qua de re & noſtrorum Theologorum, iuriſque prudentium cõcors ſententia eſt, & accedit B. Gregorij nullo modo contẽnenda autoritas, qui ad nobiles quoſdam viros Sardiniæ ſcribens, eoſque,& quid debeant præſtare ſubditis ſibi commiſsis,& quidem infidelibus adhuc,& quid eam ob rem percipere ab illis poſsint, commodè admonet. Ad hoc quippe, inquit,illi vobis commiſsi ſunt,quatenus & ipſi veſtræ vtilitati valeant ad terrena deſeruire, & per veſtram prouidentiam,eorum animabus ea,quæ ſunt æterna, proſpicere. Vnde apparet rectè poſſe nobilium hominum,ac bene de Rep. meritorum fidei curæque cõmitti,vt ſaluti barbarorum conſulant, eaq́;|ex cauſa ab his ſua ipſi emolumẽta percipiãt. Quoniã verò cùm eſt conuentio aliqua,vt ob hoc illud detur, certa quædã ratio ac proportio ſeruetur neceſſe eſt,ne aut hinc excedat, aut inde deficiat,omnino perſpiciendum eſt ad quæ & qualia Patroni Indorum obligentur,vt inde veriſsimè cognoſcamus quando & quouſque iuſtum ſit talibus tributa perſolui. Sed ante conſiderandum erit,An ne expedierit Indorum populos in Fide rudes eiuſmodi patronis committere, quibuſuè ex cauſis id excogitatum, effectumque.

Lib. 3. Regiſt. epi. 25.

Cauſa,

Cauſæ, ob quas Hiſpanis Indi commendati ſint.

CAP. XI.

CAuſas igitur cogitāti mihi, cur in hoc nouo orbe Indi Hiſpanis hominibus commendati ſunt, vnde & vulgare illorum vocabulum traxit originem, tres præcipuę veniunt in mentem. Prima, Quod cùm ſuis expenſis, & laboribus in nouas regiones penetrarent, ſummis & difficultatibus & periculis ſeſe obijcientes, excogitatum, atq; inuentum eſt, quod mercedis loco tribueretur à Principe ipſis ita flagitantibus, vt ex Indorum populis ſuo patrocinio cōmiſſis emolumenta annua perpetuò reportarent. Quemadmodum Imperatores Romani emeritis militibus agrum aliquem impertiebantur, vnde ſuſtētandæ reliquæ vitæ certi prouentus relinquerentur. Noſtrorum autem hominum prima cū Rege pactio fuit, vt Indorum à ſe expugnatorum adminiſtratio tum ſibi, tum primo ſucceſſori, aut hæredi firma rataque eſſet: exinde Regi liceret, cuicumque placuiſſet, adſcribere. Itaq; pro militiæ ſtipendio, pro victoriæ præmio Indi Hiſpanis dati ſunt. Altera quoque fuit cauſa, eaque maioris momenti: quòd nouus orbis Regi vſq; adeò longè poſito ſubactus, in illius ditione retineri nullo modo poterat, niſi à quibus erat quæſitus, ab ijſdem cuſtodiretur, vt licentiam barbarorum frænarent, & à finitimis tuerentur, & noſtris demum legibus aſſuefacerent. Neque enim minus eſt, vt quidam poëta dixit, quā quærere, parta tueri, imò verò, vt Nazianzenus probè aſſerit, longè maius ac difficilius. Vt ergo in peregrina terra homines alioqui patriæ aman-

Ouidius. *Inuectiua prima contra Iulian.*

tiſſimi

tiſſimi tenerentur, fierentque nouæ Reip. cultores, atque amplificatores ſtudioſi, fixas ibi ſedes collocantes, attributa ſunt certa oppida Indorum, quorum, & dominatu & commodis potirentur. Perinde atq; vmbra quædam Hiſpaniæ procerum repræſentata ſit, cum ſubditis, ſiue, vt noſtri vocant, baſallis imperitent. Tertia eadéque maxima, ac reliquarum fundamentum cauſa extitit, vt noui Fidei tyrones, teneræque ſtirpes, patrocinio curaq; veterum protegerentur, inſtituerentur, religionis diſciplina regerentur. Denique ſalutis viam, vt omnino munirent, atque infirmos in Fide, vt monet Paulus, aſſumerent. *Rom.14.* Arbitror me omnes inſtitutionis huius cauſas eſſe complexum. Iam ſequitur, vt de vnaquaque quid habeat æquitatis, quid difficultatis, quid officij, diſſeramus. Ac prima illa de remunerandis laboribus ſumptibuſq; militarium hominum, ex neceſſitate quadam potius quàm ex voluntate, aut religione profecta fuiſſe videtur. Neque enim poterat Princeps, aut per quàm ægrè poterat, tantos tot hominum ſudores, imò verò etiam cruores dixerim, præmio pari afficere, niſi in nouo orbe illorum virtute parto, potentiam quæſtumq; partiretur. Nam neque iſti alioqui contenti eſſent, & cæteris ſimilia audendi, aggrediendiq; cupiditas omnis extingueretur. In Luſitanica India, quod Regum Luſitanorum auſpicijs, & auro parta ſit, potuit penes Regem totus ille dominatus ſine iuſta ſuorum querela retineri. Noſtrorum verò hominum, quoniam ſuapte ductu & re, tanta peregerunt, longè alia ratio eſt. Itaq; neceſſitatis, vt dixi, cuiuſdã fuit, vt ſuo quodam iure, vt olim Iſraeliticæ tribus

diſtributore Ioſue,terram ſortirentur, permanente tamē, quod minimè obſcurum eſt,ſupremo omnium penes Regem imperio. Quamobrē fatendum eſt, hac noſtris mercede propoſita,diſtribuendi leges quodammodo, & fuiſſe, & eſſe ſeruandas.Vt planè,niſi alioqui quippiam impediat,de hac Rep.benemeritis, ipſiuſmet emolumenta reddantur, & pro ratione meritorum maior minorue portio vnicuiq; deſignetur.Neque enim inanis prorſus,& ſuperuacanea vox eſt hominum,ſuo ſudore,& ſanguine partis nouos, & nihil in Rep.gerentes præclari frui vehementer expoſtulantium, idque non leuis iniuriæ loco exprobrantium.Etenim cùm cætera non deſunt,debet profectò laborum,meritorumq; ratio haberi,id quod & Regia ſtatuta præſcribūt, & gubernatores à ſe obſeruari contendunt, verè an falsò, non ſtatuo, ſatis propoſito eſt, omnium vna conſenſio.Sed ecce ingens malum vnde minus timebatur, exortum, ex æquitate iniquitas, ex commoditate damnum, ex iure conflatur iniuria. Quis enim cùm ſibi Indos pro mercede propoſitos, ac redditos intuetur, non ſtatim labores, expenſas, pericula, quibus defunctus eſt,cogitat, parumque eſſe quicquid capiat,& ſentit,& iactat? Itaque prouentus commodaque ſua, quæ ex Indorum, vel opera, vel tributis percipit,non pro futuro in illos officio, & à ſe impendenda opera, ſed pro iam exhauſtis laboribus metienda putat.Cui malo quid remedij poſſit afferri, non ſatis video. Verùm illud ſeriò moneo, atque conteſtor, quamuis æquum ſit in eiuſmodi commendationibus Indorum,

rerum

rerum antea præclarè geſtarum rationem habere, minimè tamen tributa operaſque iſtorum amplius augeri poſſe, quàm conferendi in illos beneficij ratio poſtulet. Quemadmodum & præfecturæ in Rep. & ſacerdotia in Eccleſia benemeritis quidem conferenda ſunt, & dignioribus, oppidò ampliora: at cenſus, vel publicus, vel Eccleſiaſticus pro futuro labore, atque officio datur. Itaque huic percipiendo veteres labores prætexere minimè licet. Sed ſi profectò deſis officio, atque impoſito munere non perfungaris, quantumcunque olim emeritus ſis, prouentus tutò non percipis. Secunda verò cauſa conſeruandæ, ac tuendæ Reipub. huius, non dubium eſt, quin æquitatis vtilitatiſque plurimum habeat, quin potius in eo ſalus Regni tum temporalis tum ſpiritualis ſita ſit, ſi non deſint his veluti deductis colonijs coloni ſui. Nam id quoque Romanæ Reipub. ſapientiſſimæ moris fuiſſe conſtat, vt nouos colonos, quo firmaret, defenderetque coloniam ſuam, domicilio donatos varijs priuilegijs, commoditatibuſque proſequeretur. Regis, regnique intereſt maximè, vt ſint qui tanquam proprium domicilium tueantur, & quoad licet, amplificent. Quamobrem propria quadam nuncupatione, eaque apud nos honorifica, hi propriè vicini, ciueſue nominãtur. Itaq; & vxorati eſſe iubentur, & certam vrbem incolere, vnde niſi annuente prorege, abeſſe nuſquã liceat: ſi abfuerit, abſentis expẽſis alius ſufficitur, quod ſi diutius moras traxerit, ab Indorum moderatione remouetur, aliuſque ſuccedit perinde, atq; demortuo. Quin etiam Principis hi omnes feudatarij habentur, fidem ſuam ſa-

cro iureiurando Reip. Regiſque iuſſis aſtringentes. Itaque bella ſi qua exoriantur in prouincia, proprijs ſumptibus adire, & belligerari coguntur, quod nuper in bello Ingarum Cuzquenſes, & in Chiriguanenſium, Charquenſes, Pacenſeſque fecerunt: proinde equos, arma cæteraque in repentinum quemque tumultum parata habere, in otio, & negotio Reip. adeſſe promptiſſimè. Quæ quidem omnia, & prudenter, & ſalutariter inſtituta ſunt, neque parum conſcientias eiuſmodi hominum leuant, qui pro impoſito ſibi onere honorem quoque, hoc eſt, prouentus referant. Neque enim, quod multi falſo opinantur, ſola eſt cauſa redditus Indicos percipiendi, propria ac peculiaris Indorum ſaluti adhibita cura, licet ea præcipua ſit, verùm aliæ quoq; cauſæ ſunt, ſunt alia etiam publicæ vtilitatis officia, quibus cùm addicuntur nobiles homines, iure remunerandi ſunt. Eas ob res quod regem ex Indis capere oportebat, id in eiuſmodi feudatarios omne tranſmittit. Tertia quoq; ac potiſſima cauſa ſupra allata de cura, prouidentiaque Neophytorum, ſi nuda ipſa per ſe ſpectetur, ſpecioſa planè, & honeſta, atq; officij plena videatur. Quid enim magis ſalutare dici poteſt, quàm vt noui Chriſtiani veterum diligentiæ commendentur? quod etiam in primæuà Eccleſia in more fuiſſe Dionyſius Areopagita ſatis indicat, cùm fidei candidati probatæ vitæ ſuſceptoribus traderentur, piè ac ſalubriter imbuendi, atque officiosè adiuuandi. Hæc vt dixi, perpulchra, perq; honeſta cauſa eſt, ſi nuda ipſa cernatur. At vbi à cogitatione venimus ad rē, Ieſu bone, quæ perturbatio, quanta fœditas. Verùm vitio hominū, non

De Eccl. hier. c. 2.

non cauſæ hoc fit. Neque verò prauorum peruerſitas bonis detrahere debet, ſed Dei optimi, & benigniſſimi ope fiet, vt Patroni officium non deſerant, ſed nomini ſuo ipſi reſpondeant. Noſtrum iam eſt quæ ſint horum partes in Indos à ſe ſuſceptos exponere.

Quod doctrinam fidei, & moribus ſufficientem Patroni Indis ſuſceptis præbere teneantur.

CAPVT XII.

PRimum ac maximum onus ſuſtinent, Indos iam Chriſtianos effectos in fidei, morumq́; doctrina, cæteriſq́; ad ſalutem opportunis, quantum opus eſt, adiuuandi. Re enim vera Patroni, Pædagogi, Nutricijque in Chriſto teneris adhuc & paruulis dati ſunt. Hoc omnes ſine exceptione conſentiunt, & docti & indocti, & experti & imperiti. Hac lege, hac conditione Indi noſtris à Principe commendantur, recepto vſitatoq́; more ſe ſe penes ipſos conſcientiam ſuam exonerare teſtante. Quod ſanè onus ipſi, qui ſuſtinent, rarò intelligunt. Ex hoc primo præcipuoq́; documento efficitur in primis, vt quicũque iniuncto ſibi muneri non faciunt ſatis, non ſolùm graue crimen admittant maledictionis æternæ rei, quòd opus Domini fraudulenter faciunt, verũ reſtitutioni etiam obnoxij ſint, quòd minimè officio functi, ob ꝙ tributa inſtituta ſũt, nihilominus illa perceperint. Neq; enim charitati tantùm Chriſtianæ infenſi ſunt, ſed etiam publicam iuſtitiam lædunt. Efficitur deinde, vt ſi negligentes admodum ſegneſq́; ſe præſtiterint tales Patroni, neq; emendare & reſarcire iactu- Hier. 48.

rā pergant,poſſint omnino,imò verò debeant ab Indorū commendatione remoueri,alijs eorū loco ſuffectis.Quæ ne duriora quiſpiā arbitretur, aut quoniā conſuetudo contra obtinuit, tanquā noua reſpuat, extat hodie quoq; Regij decreti publica fide exemplum, quod ipſe quoq; legi, vtrumq; illud,& de reſtitutione facienda, & de remouendis negligentibus Indorum patronis, ſeuerè grauiterq́; ſtatuentis, ſeruariq́; omnino in poſterum præcipientis. Ego verò adijciam id quoq;,quod perparum aduerti video,cùm ſit vel maximum, quòd in Indorum commendationibus longè plus ſpectare oporteat,vtrum is,cuius fidei commendantur,ea exiſtimatione ſit,vt impoſito muneri non defuturus meritò credatur, quàm meritorum rerumq́; geſtarum quantus ſplendor extiterit. Atq; omnibus modis affirmo id, quod vel tenuiter doctus facilè concedet,Patroni, indignus ſi ſit, conſcientiam quidem non eſſe tutam,at multò minus Principis eam curam committentis indigno. Indignum autem eum dico, quem viri boni, ac ſapientes nequaquam idoneum reputant eiuſmodi negotio procurando, nimirum qui præ vitæ impuritate,præ inueterata auaritia, præ ſocordia ingenita miſeros ſuſceptos vexando, expoliando, diuina omnia, ac ſalutaria pro nihilo ducendo, peſſundaturus apparet.Profectò mirari libet, quòd cùm in triennali, aut etiam annuo Prætore creando, vitæ integritas accuratè quæratur, in perpetuo Indorum Domino,cuius ſit vel leue peccatum perniciofius futurum,vix morum ratio habeatur:ſola vel ipſius, vel maiorum merita attendantur, tanquam pecuniæ dandæ,non animarum nego-

tium tractaretur. Quæret ex me aliquis, quam nam inſtitutionem, quam doctrinæ rationem ſufficere intelliget Patronus, vt conſcientiæ ſatisfaciat ſuæ? Reſpondebo breuiter ac verè, nũc temporis magna ex parte ea cura, & moleſtia liberatos eſſe patronos: ſiquidem Epiſcopi ſibi ſũpſerunt, neque iniuria, vt ſacerdotes ipſi deſignent, ac deſtinent: quibus Patroni ſtipendium à maioribus præſcriptum optima fide perſoluant. Quod ſi hos, vel remiſſos, & negligentes notarint, vel improbos, & impuros, vel cupidos, ac rapaces, denique gregem Domini lædi grauiter inſolentia paſtorum animaduerterint, pro fide, quam ſuis debent, oportet ad Epiſcopos deferant, & quantũ in ipſis ſitum erit, ardenter agant, vt ſuſceptis ſuis quàm optimè conſultum ſit. Id cùm ſedulò præſtiterint, ſi tamen nihil profecerint, fidem ſuam hac in parte liberarunt: nec quæretur de manibus illorum ſanguis effuſus, cuius antiſtites Principi paſtorum, cùm apparuerit, rationem reddent. Quot verò ſacerdotes in Indorum oppidis habere oporteat, breuiter quidem dici poteſt, quot erunt neceſſarij fidei inſtitutioni, ſacramentorum adminiſtrationi, cæterorumque eccleſiaſticorum functioni. Prouincialium verò ſynodorum, vbi de paræcijs agitur, canonibus definitum eſt, quoto numero Indorum vnus ſacerdos ſufficere exiſtimandus ſit. Sequatur patronus Epiſcopi ſui iudicium, ſi ſynodi decreta ſeruari vſquequaque non poſſunt. Quicquid verò parocho tribuendum erat, ſi abeſſe contingat, ſiue negligentia patroni id fiat, ſiue periuria miniſtrorum, ſiue

C. cùm ex iniuncto. de Haret. docet id Innocent. 3.

Ezech. 3. 1. Pet. 5.

In Concilio Limenſi conſti. 77.

Epiſcopi deſidia, nihil intereſt: prorſus tantundem debet Indis reſtituere ad minimum vſque obolum. Neque poteſt illa ſumma cuiuſuis iudicio in alios vſus conuerti, aut quouis prætextu aliò deflecti. Qua de re fruſtra ſanè nonnulli dubitarunt. Nam præter edicta regia id diſertè cauentia, ratio eſt aperta, quod pecunia illa ab Indis tanquam ex conditione perſoluitur ad miniſtros Eccleſiaſticos ſibi neceſſarios ſuſtentandos: hi cùm defuerint, quacunque ex cauſa defuerint, debet profectò horum ſtipendium ad largitores redire ex integro. Quemadmodũ cũ pro negotio tuo curando homini pecuniam offers, ſi nihil ille curauerit, ſiue culpatè id, ſiue inculpatè, certè pecuniam tuam iure repetes, neque te inuito ea pecunia auerti in alias cauſas poteſt. Igitur hæc certa, & ſunt, & habentur. Illud non item, vtrum qui negligentia ſua, craſſaque culpa Indos ſibi commiſſos, ſine ſacerdote, ſine legitima doctrina tenuit, teneatur reſtituere tributa omnia per id temporis percepta, an verò ſatis ſit, tantum reddere, quantum parocho dandum erat. Qua de re alios audire mallem, quàm ipſe dicere. Verùm non teneri omnia tributa reſtituere, magis mihi perſuadeo, propterea quod tametſi doctrina Indorum, prouentuum annuorum colligendorum præcipua cauſa ſit, non tamen ſola, vt ſupra explicatum eſt. Sed ſunt alia
Cap. 11. quoque patronorum onera reip. vtilia, quibus cùm defuerint, nõ iniuſtè tributis aliqua ex parte fruantur. Iam ſi quis vrgeat, quantum ergo, & quouſque reſtituendum eſt? Nihil equidem certius afferre poſſum, quàm vt viſitatorum, ac iudicum regiorum ſententijs acquieſcat, qui cùm

non

non ſoleant præter doctrinæ defectus, & damna alioqui Indis data, aliud præterea iubere reſtitui, idque mos habeat doctorum ac proborum hominum, aliquid inſuper imperare, quamdiu res amplius explorata non eſt, minimè oportet. Quod ſi Indorum tam populoſa ac frequens turba ſit, vt ſunt pleræque in prouincijs ſuperioribus, manifeſtum vt ſit vnum ſacerdotem tot hominum curæ & doctrinæ nullo modo eſſe ſatis: neque tamen antiſtes admonitus plures mittat, vel quia non habet in promptu, vel quia fortaſſe diſſimulat, ita vt Patronus non ſit in culpa, quæritur meritò, an oporteat reddere Indis id, quod alteri ſacerdoti, ſi adeſſet, erat attribuẽdum. Hîc quoque varia res eſt. Sed cùm iuxta retentum morem, vel iuxta ſynodale decretum obſeruatum, plures eſſent ſacerdotes adhibendi, non dubito, quin redditurus ſit Indis Patronus, quicquid de duorum ſtipendio, vel plurium ſubtractum ſit, ſiue vitio id ſuo acciderit, ſiue ſecus. Nã vt dixi, pactionis ea lex eſt. Vbi verò neq; conſuetudo, neq; ſynodi decretum, neq; præſulis vrget præceptum, etiam ſi plures miniſtros populi numeroſitas poſtulet, poteſt Epiſcopi ſui iudiciũ ſequi, ſi vnum ſatis eſſe ille reſponderit. Deniq; vſque dum ille ſtatuat pluribus eſſe opus, poteſt dato ſibi miniſtro eſſe contentus. Namque vt prius admonui hac parte ſolicitudo præcipua ad Epiſcopos recidit, qui de Indorum rebus edocti Patronos moleſtia antiqua idoneos miniſtros quæritandi liberarunt. Hæc de præcipua cura Patronorum, hoc eſt de ſpirituali miniſterio erga iam Chriſtianos Indos, attigiſſe ſit ſatis.

Quid erga nondum baptizatos Indos Patronis liceat.

CAPVT XIII.

ANtea verò quàm ad politica officia progrediar, diluenda eſt dubitatio de cæteris infidelibus Indis, qui fortè cum Chriſtianis eadem coniuncti ſunt, quorum tanta eſt copia in prouincijs nonnullis, vt intra annum, aut non multo amplius in vna ad decem, & ſeptem millia maioris ætatis baptizati referantur. Albi verò commendati Indi omnes, vel pene omnes idololatræ adhuc ſunt, vt in Prouincia ſanctæ Crucis. Magna ergo mihi quæſtio eſſe videtur, An à talibus tributa quoque Chriſtiani exigere queant, propterea quòd nondum ſunt Eccleſiæ ſubiecti, ex cuius commiſſione ius omne noſtris in barbaros eſſe diximus. Deinde quamnam ob rem penſiones eas noſtri dignè percipiunt, ſiquidem nulla ijs ſacramenta, nulla diuina officia communicant? Cæterùm conſuetudo nihil videtur inter fideles, infideleſque Indos diſcernere, quoad tributa reddenda. Omnes ijſdem aſtringit legibus. Id igitur an liceat, & ſi olim dubitabam, imò verò improbabam, tamen re magis animaduerſa, non adeò mihi perſuadeo iniquum. Etenim Principi ſubditi hi quoque ſunt, poſtea quàm terra hæc in illius ditionem venit, ſiquidem iſtis non minus ius dicit, quàm cæteris: ac proinde quemadmodum olim Paganis Chriſtiani tributa pendebant, cùm illi rerum potirentur, ita nunc temporis Chriſtianis Pagani nó iniuria perſoluunt. Neque enim modò de iure dominatus Indici diſceptatur, ſed pro confeſſo ſumimus imperium hoc il-

hoc illi ſtare, qui imperat. Accedit ad hoc, quòd infideles Indi nullo modo Chriſti baptiſmum auerſantur, quin & cupiunt, & petunt: verùm plerique in numero catechumenorum, ſiue ipſorum vitio, ſiue noſtrorum negligentia tenentur. Cùm ergo in catechiſmi cura, hi quoque cum cæteris communicent, non immeritò cum cæteris quoque miniſtris neceſſaria tribuunt. Siquidem Apoſtoli Pauli præceptum eſt, communicet autem is, qui catechizatur ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis. Minimè verò ferendum eſſet, vt Chriſtiani Chriſtianis, paganis pagani imperarent, cumque vnum eundemque populum hi, & illi conſtituant, non poſſet non exitioſiſſimum eſſe diſcrimen eiuſmodi. Quam ob rem præterquam quòd his quoque ius dicere, atque hos tueri perinde ac cæteros principis intereſt, propriè ac peculiariter patronorum, parochorumque partes ſunt, cum iſtis quoque de ſalute æterna ſeriò agere, ad Euangelij gratiam vocare ſedulò, de fide inſtruere, inſtructos moribus informare, volentes & dignos vltrò admittere ad Eccleſiæ gremium, ſi grauiori periculo vrgeantur, ſalutari lauacro ſuccurrere, vt ſanctorum Patrum decreta habent. Denique nihil prætermittere, quod ad illos Chriſto lucrifaciendos pertineat, quod non charitatis tantùm, ſed officij ſui propriam obligationem agnoſcant neceſſe eſt. Quod vſque adeò D. Gregorius ſentit, vt ad Ianuarium Epiſcopum ſcribat his verbis. Ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nunc vſque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, vt extraneos ad Deum adducatis, qui ve-

Galat. 6.

De conſec. d. 4 cap. Si qui. & ſeq.

Lib. 3. epiſ. 26.

ſtros

ſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Vndę neceſſe eſt vos per omnia in eorum conuerſionem vigilare. Nam ſi cuiuſlibet Epiſcopi in Sardinia Inſula Paganum ruſticum inuenire potuero, in eundem Epiſcopum fortiter vindicabo. Iã
23. q. 6. Iam verò. verò ſi ruſticus tantæ fuerit perfidiæ, & obſtinationis inuentus, vt ad Deum venire minimè cõſentiat, tanto penſionis onere grauandus eſt, vt ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare. Ex qua ſanè tanti Patris authoritate, & diligentiam diſcimus conuerſioni infidelium adhibendam, & modum, ſi ſe duriores præbuerint ruſticitate magis animi, quàm electione rationis, cuiuſmodi barbari penè omnes ſunt, iudicij vix ſententiam ſequentes, ſed impetu, aut conſuetudine impulſi, vt hi certè ſeueritate quadam ſalutari compellantur intrare. Penſionibus verò grauandos cẽſet beatus Pater, quas ſine iniuria poteſtas imponat. Nam ſi iniquæ eſſent, nullo modo exaggerandas ille cenſeret. Atque hæc quidem ad ſe dicta ſacerdotes accipere
Lib. 3 Regiſ. epiſt. 23. debent. Patroni verò illa, quæ ad nobiles Sardiniæ idem Pontifex ſcribit in hunc modum, Cognoui penè omnes vos ruſticos in veſtris poſſeſſionibus idololatriæ deditos habere, & valde de hac re contriſtatus ſum, & poſt pauca: Vnde magnifici filij exhortor, vt omni cura, omniq́ue ſollicitudine animarum veſtrarum zelum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo de ſubiectis veſtris reddituri eſtis, aſpicite. Ad hoc quippe illi vobis commiſſi ſunt, quatenus, & ipſi veſtræ vtilitati valeant ad terrena deſeruire, & vos per veſtram prouidẽtiam eorum animabus ea, quæ ſunt æterna, proſpicere. Si igitur impendunt

dunt illi quod debent, vos eis cur non ſoluitis quod debetis?id eſt, vt aſſiduè illos magnitudo veſtra commoneat, ab idololatriæ errore compeſcat, quatenus eis ad Fidem ductis omnipotentem Dominum erga ſe placabilem faciat. Hæc Gregorius: quibus & quid liceat accipere, & quid deceat reddere infidelibus Indis ſibi commiſſis, Patroni ſatis, quantum arbitror, edocentur. Illud obiter aduerti debet, quamuis non liceat per vim ad baptiſmum Chriſtianamq; profeſſionem compellere barbaros ſubditos, licere tamen, imò expedire ab idolis colendis etiam inuitos reuocare, hoc eſt illorum ſimulachra, & fana demoliri, ſuperſtitiones diabolicas extrudere, quæ non ſolùm Euangelij gratiam impediunt, verùm etiam naturæ legem infeſtant, quam vt ſeruent, compelli infideles ſubditi ſine vlla dubitatione poſſunt, id quod abundè declarant leges Conſtantini, Valentiniani, Theodoſij, cæterorumque Principum Chriſtianorum, quas mirificè ſancti Patres collaudarunt: neque laudatores modò, ſed impulſores autoreſq; ſe præſtiterunt. Et re vera quamuis officij minus exhibeatur infidelibus Indis, tamen non videtur ſatis conſuli ſaluti eorum, ſi tributorum minus pendant, quàm Chriſtiani, vel hac enim de cauſa à baptiſmo percipiendo deterrebuntur, ſi grauiora tunc ſibi tributa imminere cognouerint, quæ potius imminui ſanctus Gregorius vult, vt leuem Chriſti ſarcinam, & iugum ſuaue libentius ſubeant.

Con. Eliber. can. 41 iubentur Chriſtiani infidelium ſeruorum idola commi-nuere, idem inſinuat Auguſt. ſer. de Puero Centurionis. De Paganis & templis eorum. lib. 1. & l. Nemo. Niceph. lib. 7. cap. 46. lege Ambr. lib. 5 ep 30. contra relationem Symmachi. Aug. lib. 1. contra epiſt. Parm. cap. 7. & epiſ. 48. & 50.

De temporali prouidentia Patronorum in ſuos.

CAPVT XIIII.

EAdem quoq; Indorum commendatione diligenter præſcribitur Patronis, vt non ſolùm in Fidei, ac ſalutis æternę eruditione populi ſibi commiſſi curam gerant, verùm temporali præſidio in vitæ huius ærumnis quotieſcumq; ope eorum indigeant, benignè adſint, intelligantque ſe Neophytis datos eſſe parentum loco. Horum igitur rem politicam iuuare debent, & ab iniurijs, vel hominum, vel temporum pro ſua virili tueri. Itaq; vt Hiſpaniæ proceres ſui municipij hominibus defenſionem, ac prouidentiam proprio iure debent, quo nominè ab illis tributa percipiunt, ſic in his locis populis Indorum ſibi attributis Patroni ſingularis cuiuſdam in otio æquè, ac negotio patrocinij tenentur obnoxij, aut ſi id maius, quemadmodum familiæ ſuæ pater ipſe familias conſulere debet. Seriò ergo illud ſibi dictum cogitent de clientibus ſuis, Diſcite benefacere, quęrite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Abdiam in alēdis famelicis, & è periculo eripiendis inſontibus repræſentent: aut egregium bonorum ſibi diuinitus affluentium diſtributorem ſanctum Iob imitentur, qui ſua illa fortunata tempora memoria repetens, ait, Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea, ſi deſpexi pereuntem, eo quòd nō habuerit indumentum, & abſq; operimento pauperē. Hac beneficentia & fide ſi ſuſceptis ſuis noſtri conſulerent,

Eſaiæ 1. *3. Reg. 18.* *Iob. 31.*

lerent, verè & nomini, & officio reſponderent ſuo, eſſetq́; non voce tantùm, ſed re ipſa horum inſtitutio nouis Euangelij cultoribus conſeruandis, & promouendis quàm maximè accõmodata.

Quàm circumſpectè oneroſa leges fortunis Indorum indicendæ.

CAP. XV.

ENumeraui hactenus omnes, vt reor, Patronorum functiones, inſtitutioniſq́; huius cauſas, quas intuentes ijs, quas cernimus, legibus Principes hanc Indorum Remp. condiderunt. In alijs orbis regionibus, apud Orientales præſertim alias eſſe rationes neophytorum inſtituendorum non ignoro: neq; verò diſputo, an noſtratia hæc longè illis inferiora ſint, minuſquead ſalutem, quam quærimus, accommodata. Fuiſſet fortaſſis alia Reip. forma commodior, & ad Ieſu Chriſti notitiam conſequendam nouis gentibus multò iucundior. Quanquam, vt dixi ſupra, quæ noſtris barbaris incommoda acciderunt, hominum magis nequitiæ, quàm adminiſtrationis vitio referenda ſunt. Quamuis enim rectè & ſapiẽter conſtituta Reſp. quamuis æquis legibus temperata, facilè improborum temeritate violatur, cùm ſit nihil, quod non humana peruerſitas, ſi relinquatur ſibi, cõuertat in peius. Viderint alij, quid cui præferendũ ſit. Nos ea omni collatione prætermiſſa, præſentia, & nobis nota tractamus, illud ſuperioribus adijcientes, cauſas eas, quas retuli, noſtris vt Indi cõmiſſi ſint, oportere omnibus vtriuſq; fori, externi inquam, atq; interni iudicibus eſſe notiſſimas. Quibus ex omnibus rectè ſapiẽterq́; animaduerſis poterũt profectò legiſlatores

giſlatores ſtatuere, quid tributi gens quæque Indorum Patronis ſuis ſoluere debeat. Idque vt ſine vitio,& errore decernant, perſpicient primũ quantum,& quibus è rebus prouẽtuum commodè omnino poſſit afferre, tum verò cum ratione metientur,impoſito oneri,ac functioni exoluendæ ſuæ,quantum Patronis aſſignare par erit,idq; ex æquitate,& prudentia moderabuntur, vt non aliorum remiſſio & indulgentia, aliorum, vt Apoſtolus ait,ſit tribulatio.Et facultatem ergo Indorum,& præpoſitorum operam, atque obligationes intuebitur ſapiens Reip. moderator, vt tributa taxet,atque conſtituat. Quam ſanè & facultatum, & gubernationis rationem ſimul ineundam in cenſu imponendo, & vel augendo, vel relaxando Ariſtoteles quoque ad Reip. conſeruandam incolumitatem valde commendat.Si quidem excedat, inquit,populus populiq́ue gubernandi difficultas,(vt ego interpretor)augeatur cenſus ſecundùm multiplicationem: ſin verò deficiat,relaxetur, ac minor fiat cenſus taxatio. Quo ſanè ſpectaſſe videntur nonnulli gubernatores noſtri. Iam verò vlterius progredi, & quantum ex vnoquoque viritim exigi oporteat, & vtrum homines tantum cenſeri debeant, an etiam fortunæ, vt ditiores plus tribuant,& quouſque noſtræ conſiderationis fines egreditur,legum prudentiæ potius id vniuerſum relinquendum.Nobis,quæ cauſa ſit iuſta tributorum Indicorum,& ad quam regulam debeant temperari, expoſuiſſe ſatis eſt. Illud tantummodo admonendum arbitror, tam grauem eſſe hanc imponẽdi tributa prouinciã, vt niſi multa accurataq; conſultatione virorum prudentium, & rerum perito-

2. Cor. 8.

5. Pol. c. 8.

peritorum,atque, quod caput eſt, ab omni cupiditatis ſpecie alienorum,res primùm agitetur,agitataque manifeſtè conſtet, quicquam decernere,ac lege ſancire valde temerarium ſit. Si enim ad priuatas de fundo,de domo,de legato controuerſias finiendas; ſolent homines non contenti vulgaribus, Regios etiam ſenatus adire, & è ſapientiſſimorum iudicum ſuffragijs ſententiam poſtulare,quanto obſecro amplius,ac maius eſt, cùm de totius gentis perpetuo cenſu agitur, vbi vel leuiſſima iuſti, & æqui ignoratio damnum affert fortunis innumerabilium hominum ſempiternum? Quamobrem ſeueriſſimè ſimul atque ſanctiſſimè Romani Pōtifices inter atrociſſimos caſus ſedi Apoſtolicæ reſeruatos illum ſemper numerandum putarunt,cùm domini Chriſtiani populorum ſibi ſubditorum ceruices, vel nouis penſionum oneribus premunt, vel auctioribus cumulant.Quæ vel vnica res negotij magnitudinem copioſe perſpicueque declarat. Neq; enim eſſe poteſt Proregis,Præſidiive, leue, aut venia dignum erratum,vbi vel ſtudio partium,vel rei cognoſcendæ negligentia,vel proprij ſenſus fiducia,in tanto negotio labitur.

In 4. Caſu bullæ Cœnæ Domini 1568. Sylu. Excō. 7.5.54 Gabella 3.§ 7. Naua c. 27. num 58.

Quid in confeſſionibus Patronorum audiendis ſacerdoti prouidendum.

CAP. XVI.

AT verò de Principū legibus magiſtratuumque ſententijs cenſere non intereſt cæterorum,quibus potius præceptum eſt, ne contra iudices iudicent,& vt pareant ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus ab eo miſſis. Certè Chriſtus Dominus,neq; Cæſaris cenſum, neq; ſacerdotum

Eccl. 8. 1. Pet 2. Matt.22. Matth. 17.

Rom. 13. dotum didracma reprehendendum, imminuendumve putauit: ſed tum hoc ſoluit, tum illũ reddendum docuit. Neque illius Apoſtolus tributorum vectigaliumve examẽ, ſed redditionem integram imperauit. Quare vbi non eſt manifeſta impoſiti tributi iniquitas, & Præpoſitus tuta cõſcientia petit, & ſubditus nõ tuta ſubtrahit. Itaq; Sacerdotes dum vel Patronorum res concionibus verſant, vel horum confeſſiones audiunt, non debent nimij eſſe cenſores, ne nihil agendo pacata perturbent, & ſine vllo fructu quieta pectora extimulent: neque verò decet, quæ publica lege firmata ſunt, priuata authoritate velle conuellere. Hoc vt dixi, vbi lex non apertè eſſet iniqua. In quo fortaſſis quidam zelo non ſecundùm ſcientiam vtentes, dum nimium emungunt, iuxta vetus prouerbium, eliciunt ſanguinem. Habet hîc locum illud antiqui ſapientis, vt ne quid nimis. Quin potius ſic à ſacerdotibus Chriſti eiuſmodi homines excipiendi ſunt, quemadmodum manipulares olim à Ioanne Baptiſta, quibus de ſua ſalute quærentibus breuiter cum magna moderatione reſpondit, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Sed notanda ſunt tamen conſcientijs iſtorum tractandis præcepta nonnulla, in quibus quantum ad rem, de qua nunc agimus, pertinet, frequentiores eſſe iniuriæ ſolent. Primùm quamuis in taxationibus tributorum publica lege conſcriptis, authoritati Principis acquieſcere poſſit Patronus, niſi aperta fraus, aut iniuria, aut vis intercedat, neque de hac re nimium hærere, aut ſolicitari debeat Sacerdos, cui eiuſmodi cura minimè incumbit, ſcire ta-

Didracmum Cæſari ſolui vult Hieron. in Matthæũ. At Ambroſ. lib. 1. epiſt. 1. & Hilarius, & Chryſoſt. & Theop. in Matth. Sacerdotibus ſolui cenſent.

Prouerb. 30.

Lucæ 3.

re tamen,& hũc & illum oportet, ſi Indus aliqua ex cauſa peculiari non ſit niſi magno ſuo detrimento ſoluendo, non poſſe tributum ab eo tutò exigi. Exemplis res fiet perſpicua. Fortè accidit, vt anni inclementia agricola fruges, vel vitiatas, vel perexiguas collegerit: accidit, vt ægrotaret, vt vel tugurium ignis depaſtus ſit, vel ouiculæ ſcabie interierint. Hîc ſi Patronus rigidè tributũ exigat,& infelicem Indum, cuius tenuiſſima, & in diem tantùm res eſt, conijciat in vincula, aut malè mulctatum dimittat, magnam facere iniuriam putandus eſt. Nam etiamſi ex mutuo, aut permutatione iſta ille deberet, tamen cũ tãto ſuo damno ſoluere nemo æquus cogeret, cùm Propheta ſeuerè increpet eiuſmodi rigidos exactores, dicens: Percutitis pugno impiè,& omnes debitores veſtros repetitis. Præterea verò, vt eſt ſupra definitum, tributum nullo modo debet niſi ex ijs, quæ habet, commodeve habere poteſt, congruenti ſibi familiæq; ſuſtẽtatione ſeruata. Quæ ſi caſu aliquo ſubtrahantur, neque premi moleſtè debet, neque in ſequentes annos præſenti exactione onerari. In qua re nonnulli noſtri liberales ſe haberi volunt, quod ea remittant, quæ recuperare non poſſunt. Alij inhumana atrocique contentione ſeruitutis genus edicunt, vt tamdiu laborare cogantur, quoad ipſorum arbitrio ſit ſatisfactum. Illi quidem non admodum admirãdi, cùm id faciant, quod neceſſe eſt, fiat: hi verò prorſus etiam deteſtandi, quod ius ſuum iniuriã aliorum putent. Atque hoc eſt, quod olim ſanctus Papa Gregorius valde cum Auguſtã expoſtulat, Corſicæ exactiones tam durè fieri, vt filios ſuos, Inſulares vendere cogerentur, vt tributa

In Conc. Tur. ron. cap. 46.

Eſai. 58.

lib. 4. epi. 32.

V 2 perſol-

perſoluerent. Ipſe verò Dominus Iſraelis improbitatem execratur, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum,& pauperem pro calceamẽto. Qui conterunt, inquit, ſuper puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant. Talia à noſtris agitata cum Indis non ignorant regionis Americæ experti. Id ergo totum iniquum eſt,& extremæ rapinæ non abſimile. Quin potius quoties graui egeſtate & damno propter annonæ caritatem, aut morbum quemuis graſſantem,aut rei familiaris infortunia Indos premi patronus videt, debet omnino non illa charitatis tantùm lege communi,ſed propria ſuſceptionis ſuæ ratione, ſubuenire, ac de ſuo tribuere. Hoc igitur ita habet. Alterum verò documentum eſt, permutationes patroni facere ne ſinantur,à quibus lege prohibentur. Solent pro veſte, exempli cauſa,argentum,pro frumento veſtem, pro radicibus aliud aliquid,ſæpè etiam ipſorum operas quærere, quod totum periniquum experientia monſtrauit,lex interdixit. Etſi enim pretiũ æquale videntur & petere,& capere, tamen reuera & ſibi vtiliora,& Indis grauiora moliuntur. Hic ergo etiam vigilet Sacerdos Domini. Tertium idemq; valde ad rem pertinens ſit, tum in exigendis tributis, tum in perſoluendis operis ſeruitijſque Indorum oportere fraudes, atq; impoſturas vitare eorum, qui inter Indos ipſos excellunt, cæteriſque præſunt, quos Curacas ſeu Caziques nominamus. Horum quippe fraude,& violentia miſeri plerumq; ſuo ſudore fruſtrantur, ſæpè multò plura conferre coguntur, quàm lex ratiove præcipiat: cùm ſit ſubditorum tanta imbecillitas, tanta plebis inualidæ trepidatio, vt ne mu-

Amos 2.

ne mutire quidem audeant contra ſuos illos ſatrapas,ſed viui ac videntes pereant potius, quã illorum imperijs minimum obloquantur. Hanc tam præpotentem tamquè diu expertam tyrannidem noſtri ſuſceptores compeſcere certè deberent,atque eripere inopem de manu fortiorũ, ſecus res habet: vtrique compoſitò fabulam agunt,iſtis illi ſponte conniuent,illos iſti patienter ferunt:vt ſimile quippiam parœmiæ lupi, atque vulpis agi videatur. Quod malum quàm latè pateat, nemo non ſentit qui res Indicas vel ſummis digitis attigit. Remedium verò quale ſperare liceat, ignoro, cùm inde pernicies proficiſcatur,vnde ſalus maximè petebatur. Sed publica lege,vt eiuſmodi ſceleri, & dolo occurratur,caueri iam dicitur, hactenus certè cautum eſſe videmus nihil. Vtcumque id habeat, perueſtiget ſpiritualis medicus, an hoc quoque loco, vt ſolet virus inſideat,aperiatque diligenter, ac ferro reſecet,nec parcat igni,ſi opus ſit, quippe cũ in lethali profundoq; vlcere,ſeueriora medicaměta tutiora ſint.Ac neſcio an hoc loco de magiſtratibus,ſacerdotibuſque vſurpem illud ſancti Leonis, inferiorum ordinum culpas ad nullos magis eſſe referendas,quàm ad deſides negligenteſque rectores, qui multam ſæpè nutriunt peſtilentiam,dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam. *Epiſt.86. ad Nicetam.diſ. 86 inferiorum.*

De ſeruitio perſonali Indorum.

CAP. XVII.

SEquitur, vt de ſeruitio perſonali Indorum differamus, ſeruitium perſonale ſolemus intelligere quicquid vtilitatis ex ipſo hominum

labore, operaque percipitur. Quo in loco, quoniam impeditior, aſperiorque eſt, & ſi quis alius maximè neceſſarius, conſiſtere aliquantulum oportebit. Atque in primis Indos non eſſe ſeruitute mulctatos, ſed liberos prorſus, & ſui iuris ex ijs, quæ in libro ſecundo diſputata ſunt, ſumimus. Etenim, & publicæ leges ita ſtatuunt, & conſuetudo diuturna, & ratio conſtans, ac certa, quòd qui nulla iniuria laceſſunt, non poſſint reddi belli iure captiui. Nempè ſermo nobis eſt non
Lib. 1 Pol. de generali quadam ſubiectione, quam Ariſtoteles non admodum propriè vocat ſeruitutem
Lib. 2. ep. 7. naturalem, quamque D. Ambroſius non natura introductam, neque venditione comparatam,
Geneſ 9. ſed inſipientiæ redditam dicit, ad Noë in Cham filium irreligioſum, maledictionem alludens: ſed loquimur de ciuili legitima ac propria ſeruitute, quæ iure gentium victos victoribus ſubdit, quomodo ſolent definire Philoſophi ſeruũ, quicquid eſt, domini eſſe. Liberi ergo iſto modo Indi cùm ſint, operas illorum ac labores ſua mercede fruſtrari iniquiſſimum eſt. Nam ſiue agrum tuum excolat, ſiue gregem paſcat, ſiue domum ædificet, ſiue pabulum ac ligna comportet, ſiue onuſtus eat, ſiue literas curſor deferat, ſiue domi tui deſidens oſtia obſeruet, denique quicquid operis agat, cuicunque vſui ſit, dignus eſt operarius mercede ſua, quam qui negat, ſanguinis reus arguitur. Sic enim monet Spiri-
Eccli. 34. tus Sanctus in Sapiente, Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum, qui effundit ſanguinem, & fraudem facit mercenario, fratres ſunt. Et in lege Domini diſertè poſi-
Leuit. 19. tum, Non morabitur opus mercenarij tui vſque

mane.

mane. Per Malachiam quoque ſe Dominus minatur teſtem velocem in eos, qui calumniantur mercedem mercenariorum ſuorum. Neque mitiora Iacobus Apoſtolus, Ecce, inquit, merces operariorum veſtrorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini ſabbaoth introiuit. Terribilis ſanè clamor, qui pro ſubducta mercede aures Dei aduerſus potentes, & diuites interpellat. Quod ſi in alieno iumento onerando, vel equo ferendo pretium domino iuſtè rependitur, cur non iniquum valde exiſtimetur hominis liberi corpus oneri laboriue addicere, neque quicquam tamen ſoluere pro opera collocata? Illud quoque vigilanter audiendum, quod ſermo diuinus non eos culpat, qui mercedem penitus abnuunt: immane enim id atque inuſitatum relinquendum putauit, ſed eos nominatim perſtringit, qui vel morantur vel imminuunt, vel quouis modo defraudant pretium ſudoris alieni. Ne mihi igitur obſoletum à te cibum porrectum cõmemores, ne veſtem annuã, ne agelli portiunculam illius vſibus relictam referas. Adeſt iuſtus arbiter Deus, qui ſe etiam teſtem pro paupere & quidem velocem pollicetur. Quæres, quænam æſtimatio iuſta ſit, vt ſcrupulus omnis tibi eximatur. Si lege præſcriptum eſt pretium, vt in rebus pleriſque eſt, ne alium quæras interpretem, quicquid de legitimo detrahis, rapina eſt. Si nulla lex eſt, communis æſtimatio bonorum, atque prudentium ponet modum, aut etiam vtriuſque locantis inquam & conducentis mutua pactio, dummodo dolus omnis, & vis abſit. Quo toto genere multum ac ſæpè pec-

Malach. 3. *Iacob. 5.* *Malach. 3.*

cant,& patroni Indorum,& prætores,& ipſi paſſim parochi, dum ſubditis pro rerum occaſionibus multa imperant,nulla aut pauca perſoluunt, qui neq; à culpa eximi,neque à ſatisfactione excuſari vllo modo poſſunt. Neq; verò obſequendi facilitas, & prompta opera Indorum prætendi debet, cùm genus hominum timidum ob id tam officioſum,atq; obſequens ſeſe præbeat,quod timeat ſibi,atque conſulat, dumque pœna liberetur,pretium non audet repetere,id enim ſeruilis ingenij eſt. Alioqui cùm ſe poſſunt ſubducere ex oculis,neq; plagas timent, egregiè fugitant operamque detrectant. Igitur cuiuis operæ cuiuis labori Indorum mercedem ſuam eſſe reddendā perſpicuum eſt. Sed quoniam lege interdum præſcriptum eſt, vt certus Indorum numerus Patrono detur ad hoc illudvè negotium, vt ad paſcenda pecora,aut agrum excolendum, ſementemvè faciendam, quod olim vſitatius erat, & nunc temporis in nonnullis locis fit, quærunt multi, an id iniquum quoque ſit, quod videatur ſeruitium perſonale introduci contra modò definitam quæſtionem. Verùm id ſanè iniquum non eſt per ſe, cùm tributi loco accipitur. Nam quam eſſent aliàs penſionem reddituri, vel argenti, vel veſtis, vel cæterorum, tantumdem ſi remittatur Indis,pro operæ mercede redditum intelligitur. Vbi peruerſitas illa cauenda eſt, ne eiuſmodi onera inæqualiter Indos premant, ſed per ſortes,viceſque ſuas, tum vt huic detrahatur de illius tributo,quod ipſe ſeruiuit,ac non huius ſudoribus alius lucrum faciat. Itemq; illud prouidendum,ne ob eas ſeruiendi vices ſibi rebuſque ſuis in neceſſarijs deſint. Quę quidem omnia

dicta-

dictare facile eſt, perficere verò, aut infecta emendare per quàm difficile. Libero homini mercedem reddi oportere pro opera oſtenſum eſt: vtrum verò liberam quoque eſſe oporteat illius operam, ac nullo modo cogi, à multis meritò quæritur. Mouet enim nõ parum hinc, quod liber homo ſi cogitur, liber non eſt, atque adde qui ad opus inuitum trahit, non leuem facere videtur iniuriam, ſeruile enim eſt pati vim. Inde verò non parum quoq; vrget, quod ſi barbarorum ingenio, & voluntati indulgendum eſt, nihil operis vnquam fiet, nihil negotij conficietur, quippè qui otio deſideant, ac ſibi etiam ipſis vix neceſſaria laborẽt: alios verò niſi vi aut metu perculſi, nihili faciant. Atq; hoc loco non diſputamus de ea coactione, quæ affertur cùm ipſorum intereſt, vt cùm ſibi oppidum ædeſue ædificare iubentur, aut templa extruere, aut fundos colere, cęteraque rei, vel publicæ, vel familiaris officia, eſt enim in aperto res, cùm etiã ingenui omnes ad iſta compellantur, cùm militiæ paciſue negotia ita fieri exigunt. Magiſtratus cùm iſta & indicit, & vrget pro officij ſui munere facere non dubitatur. At Reſpublic. hæc Indicana cùm partim Europæis, partim Indicis hominibus conſtet coagmentataque ſit, cumque ſint multa, quæ nullo modo Hiſpani in his locis per ſe faciant, propterea quod vel laborioſa, vel ſordida ducunt, & vt quàm maximè velint, non poſſunt tamen tanta perficere, quale eſt, humum effodere, rudera egerere, lateres cogere, onera baiulare, iumenta agere, cæteraq; ſeruilia, quæ ſi deſint, breui omnis ciuitas deleatur, neceſſe eſt: ad talia igitur ſi ſponte ſua barbari minimè

ducantur, an liceat faſque ſit per vim, metumue compellere, id prorſus in quæſtionem vertitur. De qua re ſunt, qui Indis vſque adeò patrocinantur, ſeriò vt affirment grauem ferre iniuriam, cũ ad iſta coguntur: Hiſpanoſque vel ſibi ſeruire, vt in Hiſpania fit, vel ſi ingenui omnes eſſe pergũt, eos neque veſci, neque bibere iubent, ſiquidem qui non laborat, ne manducare quidem eum Apoſtolus vult. At ſi dura iſta omnia videntur, deſerant, inquiunt, deſerant quam cupiditate non vtilitate terram occuparunt, & ad patrias anguſtias reuertantur. Quorum etſi dictu apparet liberalis, atq; honeſta ſententia, tamen factu tam eſt & difficilis, & abſurda, vt nihil præterea. Nam videmus ex Hiſpanis non paucos poſſe ſeruilia iſta tractare, propterea quòd natalis, educatioque nõ admodum abhorrent, & lucri ſpes poteſt fortaſſis excitare: tamen quota iſta portio eſt hominum præ multitudine neceſſaria? Iubere autem vel iſta ceſſare, vel noſtrates ad ſua remeare, quis nõ videt, quàm ſit fidei & religionis lumen extinguere? Quamobrem non eſt improbandum, quòd ciuitates omnes inſtitutum tenent, & ſeruant, vt Indorum ad iſta neceſſaria multitudo deputetur, parereque, ſi nolit, cogatur, dummodo & conueniens, vt dixi ſupra, merces labori retribuatur, & cum minimo ſalutis fortunarumque ſuarum incommodo ab Indis iſta exigantur, tũ etiam inter ipſos iuſta oneris viciſſitudo ſeruetur, ne aliorũ remiſſio, aliorum ſit tribulatio, ſed ex æqualitate, vt dixit Apoſtolus. Si tria hæc cuſtodiantur, nihil hîc ineſſe iniuriæ, nihil querelæ, primum proborum ac ſapientium hominum conſenſus perſuadet: qui & nunc, & ex ipſo initio ita Remp. hanc

admi-

adminiſtrandam intellexerunt. Deinde ipſorum barbarorũ conſuetudo perantiqua ab ipſis Ingarum Regum exordijs ante Chriſtianum nomen auditum multis ſæculis conſeruata. Poſtremò ius naturæ hoc habet, vt ad totius corporis, familiæ, ciuitatiſue conſeruationem neceſſariæ partes laborare iubeantur. Neque enim oculus calcare terram iubendus eſt, vel culinariam paterfamilias exercere. Vniuerſa porrò Indorum, atque Hiſpanorum multitudo vna eademque Reſpub. habenda iam eſt, non duæ quædam inter ſe diſiunctæ: ſiquidem, & Rege, & lege vtuntur ijſdem vtrique, & vtriſque tribunal, & ius non aliud, atque aliud, ſed idem certè. Quare quæ ab Indis noſtris hominibus operæ impenduntur, non exteris & alienis collocari putandæ ſunt, quod fortaſſis fallit nonnullos, ſed ſuis potius ciuibus: quoniam & ſi teſta ferro malè cohæret, iuxta Propheticum vaticinium, tamen eoſdem ſtatuæ huius pedes ambo componunt. Itaque mirandum non eſt, ſi teſta ferro prematur interdum, illud potius optandum, ne penitus cõminuatur, ac diſſipetur. Deniq; Ariſtoteles magnus ciuitatis inſtructor, toto ſuo primo Polytico, aut nihil agit, aut hoc certè obtinet, vt ſecundùm naturam in Rep. quidam ſeruiant, qui labori idonei ſunt, quidam imperẽt, qui ratione potius præſtant, dummodo alijs alij adiumento ſint, oculoſq; alter ad videndum, pedes alter ad ambulandum mutuet. Quæ ſi vera ſunt, manifeſtum eſt non eſſe ab æquitate alienum, quòd publica diuerſoria per vices ſuas, quas mitas ipſi dicunt, Indi & incolere, & viatoribus neceſſaria præbere pretio dato iubentur, quòd

ex veteri Ingarum diſciplina noſtri accepêre, vt alia pleraque plena prudentiæ. Neque verò improbandum, quod mercenarij conductitij certo die, & loco adeſſe Magiſtratuum decreto ſolent, quodq́; publicis operibus, vt pontibus reficiendis, vijs expediendis, alijsque id genus diſtinentur. Neque illud vituperādum quòd peculiares ob cauſas ad domeſtica miniſteria quibuſdā locis attribuuntur, vt in xenodochijs, in religioſis domibus, tum etiam publicorum nobiliumve hominum, aut contra grauiter affectorum, & indigentium ſeruitijs ſuo ordine, & ratione aſſignantur. Abuſio tamen illa amputāda eſt, & pro iniqua ducēda, cū in eiuſmodi mitaios (ſic enim vocitant) ſiue mercenarios iuſtum pretium imminutum eſt, vel maiora, quàm vires ferant, imperātur, vel diutius retinentur quàm pro ratione præſcripta, quæ iniurioſa ſunt omnia, & ex improbitate hominū potius quā ex vllo vero iure profecta. Neque bona vnquam fide iſta vſurpata ſunt, ſed magna, vel temporis, vel hominū corruptione. At perſonalia ſeruitia quæ diximꝰ, publica autoritate inducta ſunt. Priuata verò an fas ſit aliquando barbaros nolentes ad opera opportuna compellere, non tam dubitare vidētur multi, quàm ipſo ſuo facto dubitandum afferūt. Deprehēſus, vt tritiſſimo vtar exemplo, in media via Hiſpanus, cibi indiget ſibi, pabuli iumēto, aut etiam ſarcinulis vectandis iumenti quoque. Orat Indum vt ſibi ſubueniat, explicat cauſam, pretium offert, nihil ille mouetur, neque prece, neque pretio, neque verò flocci facit, vtrū viam ille conficiat necne, imò ne ſi intereat quidem. Hîc facti nulla eſſe ſolet quæſtio. Nam

dicto

dicto citius Indus capillis trahitur, calcib⁹ tũditur: ſedulò ſtatim, atq; copioſè cũcta adminiſtrat, adeo vt pleriq; iactent noſtratiũ, perſuaſũ Indis eſſe à ſuo Zupaio, id eſt diabolo, nihil vt Chriſtianis ſpontè impertiant, ſed per vim omninò, & iniuriam. Quæ quanquam militum licentiæ, & rapinæ fabula opportunè inducta eſt, tamen res ipſa non admodum abhorrere videtur à vero. Etenim qui barbarorum confeſſiones pro veteri ſuperſtitione idolorum ſacrifici hodie quoque audiunt, feruntur grauiſſimas pœnas ei iniũgere, qui ſe ſe aliquid chriſtiano præ-fuiſſe confeſſus ſit. Neque mirum eſt eò vſque progredi hoſtis antiqui in Chriſtianos odiũ, in ſuos quibus poteſt modis transfuſum. Sed redeo ad rem. Cùm eiuſmodi anguſtiæ incidunt aut ijs ſimiles, quod in his regionibus percrebrum eſt, quid Deum timenti viro agẽdum ſit, dicam, vt ſentio. Primùm ſi poteſt pactione tranſigi, id multò prius ac melius. Vbi non poteſt, ſi commodè conueniri poteſt magiſtratus aliquis, qui publica autoritate cogat, adeundus eſt. Hic quoque ſi deſit, vt deeſt perſæpè, ac negotij grauitas vrget, nihil aliud præcipi poteſt, neque breuius, neque planius, quàm vt leges neceſſitatis obſerues, quæ tibi neceſſaria ſunt quærens cum quàm minimo proximi detrimento. Honeſta certè aliqua vis, atque compulſio afferri poteſt, & terroris quædam ſignificatio, tanquam puero alicui iuſta, & commoda contemnenti. Qua in re multum plerumque iuſti, & æqui limites tranſiliuntur. Quorſum enim verbera, ſi verba ſunt ſatis? quorſum plagæ, ſi vel metus incuſſus hominem ſubigit? Iam verò an onera baiulanda Indis imponere

ponere crimen ſit, multi quærunt. Nam prima illa tempeſtate Hiſpanorum has regiones peragrantium, magnam eſſe hominum factam iacturam propter eius generis duras moleſtias non dubium eſt. Quamobrem & olim ſæpe, & nuper demum lege lata Indi onuſti iter carpere prohibentur. Tamen conſuetudo omnium propemodum ſecus habet, tum harum regionum incredibilis incommoditas, & penuria id veluti ſuo iure depoſcit. Sanè Indos onerari, onuſtoſq; incedere per ſe quidē, neq; iniquū eſt, neq; pernicioſum, cùm ab antiquiſſimis annis, ita aſſuefacti ſint, fueritque ſolenne toto tempore Ingarum, imò verò hodie quoq; ſe ſuis ſarcinulis ipſi onerent, quæ ſæpe non leuius pondus habent, quàm quod à noſtris imponitur. Neq; habet ea res plus miraculi, aut violentiæ, quàm quod in Europa baiuli onera etiam grandia dato pretio quouis vnde vis, portant. Quamobrem ſi & onus moderatum eſt, & via non longior æquo, & pretium non iuſto minus, nihil res ipſa peruerſi habet. Vtrum verò expediat necne Reip. iſta vel prohibere, vel ſinere, non noſtri arbitrij eſt decernere. Lex verò quatenus obliget conſuetudine cõtra obtinente, nihil habet hic propriæ difficultatis, ſed commune eſt cum alijs pleriſque. Certè vt eſt culpanda, vel deteſtanda potius veteranorum quorundam immanitas, fœdiſſimè barbarorum ceruicibus abutentium, ita etiam quorundam delicata nimis hoc tempore trepidatio eſt improbanda, qui non vident, non ſolū conſuetum vnicuique non eſſe moleſtum, verùm etiam iucundum, putantque omnium ſenſus; & animos ex ſuis eſſe metiendos. Integrum

æſtis

æſtiuum diem metendis frugibus inſudabit ruſticanus, aut aratro ducendo, qui ſi quartam horæ partem vtrumque genu humi figere iubeatur, necem ſibi præſagiet certam. Eſt ſuus vnicuique iucundus labor. Itaque gentes Indorum apud nos baiulandis oneribus peraſſuetæ, ſi æquo plus non vrgeantur, neque iniuriæ, neque incommodi quicquam ſubeunt, cætera, vt dixi, moderata ſint, pondere, labore, pretio.

De metallorum operatione.
CAP. XVIII.

AT illud duriſſimum videtur imperium, cùm metallis effodiendis mancipantur, quod vſque adeò ærūnoſum & graue à priſcis eſt iudicatum, vt quemadmodum nunc ad triremes damnantur propter inſolētia crimina homines facinoroſi, ita olim ad fodienda metalla damnarentur, quod capitali ſupplicio proximum erat. Ad id ergo homines liberos nihil mali commeritos adigere, inhumanum, atque iniquum valdè videtur. Deinde compertum eſt eo in labore multos abſumi, vel fatigatione fractos, vel diſcrimine extinctos. Horror eſt dicere, quæ mineralium intra ipſa abditiſſimæ telluris viſcera deliteſcentium facies ſit, quæ vorago, vt verè tartarus ipſe patere videatur, neque ineptè Poëtæ olim gazas apud Plutonem reconditas fabulati ſint. Chryſoſtomus ſui temporis laborem hominum in extrahendo metallo miratur, narratque eloquenter, verùm illa omnia præ noſtris fumus, & vmbra ſunt. Perpetua atque horrēda nox, aër craſſus & ſubterrāneus, deſcen

ſus prolixus & perdifficilis, cum duriſſima rupe ſæua contentio, ſtatio periculoſa, ſi veſtigium nutet, actum eſt, humeris vectatio permoleſta, per gradus obliquos, & malè hærentes aſcenſio, cæteraq; etiam cogitatu grauia. Adhæc cùm argenti venæ in prærupti plerumq;, & inacceſſis rupibus ſitæ ſint, terraq; inhabitabili, vt curentur, à patria extorres veniunt, ſolũ aëremq; mutantes, facillimè valetudine afficiuntur. Quid verò vbi argenti viui effodiendi labor eſt, cuius vel tenuiſſimus halitus, cùm igne circumcluſum exhalatur, præſentem necem affert? Quid de gemmis explicandis dicam? In oppido Rio de la hacha, vocato cùm eſſem, comperi duram Indorum ſeruitutem extrahendis conchilijs, ſummo mane in ratem imponebantur, in pelagus deſcendebant magnæ ſæpe profunditatis, vbi integrum penè horæ dimidium halitu compreſſo vrinatorum more, conchilia, oſtreaq; cõquirerent immenſo labore, ſummo periculo, cibus ſemper parciſſimus: commercium omne interdictum: cuſtodia omnibus nocturna communis: vitæ ratio moleſta, ac liberis hominibus prorſus aduerſa. Hæc diu actitata, ſerò tandẽ animaduerſione digna emendata ſunt, ſed ſunt tandem Rege catholico id ſemel, ac bis, ac tertiò inquirente, & agente. Itaque Indi omnes liberi declarati ſunt, & ab eo labore ceſſare iuſſi: quicunque ſuperſtites tam diuturno labori reperti ſunt. Ad eundem ergo modum, & metallorum effodiendorum non admodum diſſimiles ærumnæ ſiſti debere non paucis videntur. Habent enim cùm iniuriam contra libertatem Indorum, quod ſeruire cogantur alieno lucro cum tanto

ſuo incommodo, patria ſæpe liberiſque deſertis; tum verò exitiale periculum, cùm cæli mutatione, laboris moleſtia, rei ipſius diſcrimine impendere videatur interitus. At ſi metalla curari deſierint, ſi argentum è venis non eruatur ſubuerſis à radicibus montibus, vt eſt apud S. Iob, *Iob 28.* ſi aurum ex fluuiorum obicibus non cogatur; mineraliaque cætera negligantur, actum eſt, Indorum negotium & Reſp. interijt. Neq; alios fructus Hiſpani tanto Oceani circuitu quærunt, neque alia ex cauſa, vel mercatores negotiantur, vel iudices præſident, vel ipſi quoq; ſacerdotes plerumq; Euangelizant. Argentum aurumq; ſi deſit & ſe ſubducat ex oculis, omnis frequentia, omnis commeatio, omnis ciuilis & ſacerdotalis concurſus breui euaneſcet. Inſulæ Hiſpanica & Cuba, & ſancti Ioannis, olim quidem frequentiſſimæ dum auri materia circumfluerent, nunc penè deſertæ & horridæ, poſtquam indigenarum penuria pretioſiſſima metalla, quæ illic abundant, elaborari non poſſunt. In omni hoc nouo orbe eas prouincias doctrina maximè florere cernimus, quas opibus quoque præſtare conſtat, vt ad hoc commune emporium omnes vndique confluere videantur. Equidem neſcio vtrum potius faciam, querarne noſtrorum temporum calamitatem, & charitatem refrigeſcentem, fidemque rarò in quoquam inuentam iuxta Domini *Luc. 18.* verbum, tot animarum millia vt Chriſto lucrifiant, non ſatis merces videri dignas, quæ noſtrorum animos excitent, auri argentique cupiditatem longè plus valere apud nos, vt illa ſi deſint, animarum ſalus pro nihilo fiat? An verò Dei bonitatem, ſummamque prouidentiam ad-

X miret

mirer, qui pro noſtrorum hominum ingenio, vt gẽtes adeò remotas, & barbaras Euangelio adiũgeret, aurum argentumque his terris tam copioſè donauit, hiſque veluti illexit noſtrorum cupiditatem, vt ſi charitas non inuitaret animarũ, auri ſaltem cupiditas ineſcaret? Et quemadmodum olim incredulitas Iſraelis ſalus fuit gentium, ita nunc Chriſtianorum auaritia Indorum vocatio facta eſt. Quid enim? ſiue per veritatem, ſiue per occaſionem Chriſtus annuntietur? ſed in hoc gaudeo, ſed & gaudebo, ait magnus Apoſtolus. Occaſiones namque benefaciendi etiam Deus captat. Prima Euangelij diffuſio ex trepidatione, & fuga diſcipulorum ob Hieroſolymitanam tempeſtatem nata eſt, Apoſtolis ſolis vel penè ſolis Hieroſolymis perſiſtentibus. Populus Iſraëliticus ob iram Dei ſibi commeritam inter gentes diſſipatus eſt, quibus magna ex parte ſaluti fuit. Itaque & populo ſuo iram, & alieno miſericordiam eodem facto Deus impendit. Meritò Paulus compellat, cùm ad iſta venit, altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Itaq; quis non diuini conſilij arcanum ſuſpiciat, atq; admiretur, qui aurum argentumque omnium mortalium perniciem ſalutem voluerit eſſe Indorum? Quamobrem quæ ſine Dei offenſa, & fratrum iniuria adhiberi conſilia poſſunt, vt iſta neque intercidant, neque imminuantur, ea à ſapiente & religioſo Reipub. adminiſtratore negligenda non ſunt. Et quoniam graui maturaque Theologorum, iuriſque prudentium conſultatione non ita pridem totum hoc de mineralibus per Indos elaborandis negotium tractatum eſt, extantq; leges prouinciales ſcriptæ, quo ordine, qua

Rom. 11.
Phil. 1.
Act. 8.
Deut. 28.
Hiere. 9.
Tob. 13.
Rom. 11.

ne, quaue moderatione metalla eruantur, vt ſaluti commódique Indorum proſpectum ſit, non mihi videor tantorum virorum ſententiam improbare, multoque minus leges alias debere preſcribere, quibus tam aſpera Indorum conditio temperetur. Tantùm capita repetenda ſunt, breuiterque ponenda, quibus eius rei facultas conſtringatur. Primùm igitur doctrinæ ſpiritualis miniſtri in his, qui metalla operantur, ne deſint, vt ſint qui miſſas celebrent, qui in fidei rudimenta erudiant, qui morituros confeſſione excipiant, cæteráque neceſſaria adminiſtrent. Deinde vt valetudini conſulatur, ne aut contrario valdè cœlo vtentes traducantur, aut è longo valde tractu euocentur, aut laboribus immodicis opprimantur. Mox, vt fortunis quoque ſuis non peſſimè conſuli ſentiant, ſed pretio iuſto tam moleſtus eorũ labor cõpenſetur, ſinanturq; lucella ſua interim quærere. Adhæc vt & valetibus opportuna alimenta ſuppeditentur, & ægrotantibus ſolatia neceſſaria non deſint. Ad vltimum vt labor ipſe diſtribuatur commodè per vices ſuas, ne diutius contra voluntatem ſuam à patria abeſſe cogantur, neue vna prouincia ſemper oneretur, alia ſemper in otio degat. Quas conditiones, ſi, vt par eſt, legitimè ſeruauerint noſtri, quẽadmodum à viris ſapientibus enucleatè propoſitæ ſunt, videntur tolerandi, ne commercio ſinito, cura quoque Euangelij concidat: at ſi negligantur hæc, & acerbius cum Indis tanquam cum mancipijs agatur, viderint ipſi, quas Patri pauperum & iudici orphanorum rationes reddituri ſint. *Pſal. 67.*

Quibus modis ſalus Indorum per ſæculares miniſtros procurari poßit.

CAP. XIX.

QVoniam humanam ac ciuilem adminiſtrationem Indorum hoc libro explicandam ſuſcepimus, & quibus ex cauſis & qualibus conditionibus tum Patroni, tum Magiſtratus obſtringantur, vtcunque licuit, expoſuimus, ſupereſt, vt dicamus quæ maximè ad eum finem facere videbuntur. Neque nunc tamen expectandum eſt, vt de optima Republ. diſſeramus, legumue ferendarum rationem, cæteraque rectricis artis perſequamur, quæ neque facultatis ſunt noſtræ, neque ſi maximè forent, ad præſens inſtitutum pertinerent. Tantùm quæ propoſito negotio, id eſt, vt Euangelicam ſalutem barbari conſequantur, propius inſeruiunt, ea attingenda ſunt. Quorum caput eſt omnium, quòd quidam rerum Indicarum egregius æſtimator dixit, in barbaris prius eſſe curandum, vt homines eſſe diſcant, deinde vt Chriſtiani, quod tanti ponderis eſt, vt inde vel ſalus certa, vel certa pernicies expectanda ſit. Etenim feritatem inter nationes barbaras plurimum reperiri Ariſtoteles rectè
7. Eth. c. 1. 2. Mag moral. c. 5.
monuit, quam non minus rectè definiuit, vitium eſſe adeò exuberans, vt hominem feram potius efficiat. Tales verò habitus, etſi ille regionum extremo vel æſtui vel frigori non falsò alicubi aſcripſit, tamen & frequentius, & certius eſt, conſuetudine maximè fieri, quod & aliâs docuit, & ſatis nos admonet huius Indici cœli mira temperies. Hos igitur ſylueſtres, ferinoſque homines ad humanitatem traducere, vrbaniſque
Sect. 16. Probl. 1. 7. Eth. c. 5.

que inſtitutis accommodare prima debet eſſe cura moderatoris. Fruſtra diuina & cœleſtia docebis, quem ne humana quidem capere, aut curare perſpicias. Prodeſt in ea re plurimum noſtrorum hominum conſuetudo, prodeſt cultus omnis externus, atque obſeruantia maiorum, proſunt conuentus certis, & diebus, & locis, pœnæque & contumeliæ irrogatæ negligentiæ; honor, & præmia rectè factis propoſita: ex ipſis, qui elegantiores ſunt, cæterorum magiſtros, cenſoreſque conſtituere. Ordo verò quidam tum oppidorum, tum domiciliorum, vt non veluti cuniculi fortuitas ſedes eligant, tum verò vt in conſpectu eorum omnis actio ſit, neque latebras petere ſinatur. Ad hæc permixta illa ac ſine vllo delectu ſpurca habitatio, vbi ſimul & maritus, & vxor, & filius, & filia, & frater, & hoſpes, & canis ipſe atque ſus cubat, accuratè auertenda eſt, quantum licebit, quæ cauſa eſt nullius pudoris, nullius paternæ reuerentiæ, generis quoque, imò & ſexus contempti equinæ cuiuſdam libidinis in obuia quæque ſine vllo pudore graſſantis. Quæ tamen neque breui omnia exigenda ſunt, neque deſperanda vel ſerò. Videmus certè non parum eſſe perfectum, vbi nonnulla cura moderatoris effulſit, quæ ſi confirmata, vigilanſque fuerit, non dubium, quin alium hominum ſtatum efficiat. Vnus M. Franciſcus Xabier, iſque nulla ciuili poteſtate munitus, Inſulam Mori fertur ex immaniſſima feritate ad miram manſuetudinem traduxiſſe, neque adeò longo tempore. Quæ verò antiquorum inueterata conſuetudine occalluiſſe videntur, vt in meliorem formam transferri nequeant, maioribus ſua aman- *Lib. 4 de vita Ignatij.*

quam in religione, ac ne in qualicunque quidem inſtitutione politica, niſi malum hoc latiſſimè ſæuiens ab Indorum finibus exterminetur. Ac profectò mirabile eſt in tot tam vaſti orbis nationibus repertis, cùm nullus vini vſus, nulla penitus notitia extiterit, temulentiæ tamen vſque adeò vitium omnibus eſſe commune, vt pro raro miraculo ſit, ſi qui ſobrietatem non odio, & ignominia proſequâtur, id quod de Tucumanis, & quibuſdam alijs ſanè paucis accepimus, neſcio an falsò. Quanquam vnum illud ebrietatis malum incredibile eſt dictu, quot artibus, quàm varijs, quàm exquiſitis procuretur. Ex oryza Aethiopas, & Sinas expreſſo quodam ac decocto humore ebrioſas ſibi temperare potiones vulgare eſt. Noſtri indigenæ plerique ex fruge ſua præmanſa fermentum aquæ immergunt atq; excoquunt, alij putrefacta potius vtuntur, vnde Sora ab ipſis dicta efficitur, quouis falerno potentior. Quidam ex ramulis quibuſdam arborum decerptis ſua vina conficiunt. Alibi ex palmulis expreſſus liquor ebrietatis mirè efficax, quem & veteribus in vſu fuiſſe ſcribit Chryſoſtomus. *Homil. in c. 5. Eſai.* Inſulani nonnulli ſerui ſaccareum ſuccum quibuſdam medicamentis ita inficiunt, vt vehementiſſima potio euadat, quam illi Guarapum nominant. Verùm quid attinet innumerabiles temulētiæ ſpecies referre, vt quod in vna vite natura latere voluit, id peruería ars ad tā multa trāſtulerit? Sed neque nouum hoc eſt, neq; noſtrorum barbarorū proprium. Scribit Plinius grauis *Li. 14. c. 22.* autor fuiſſe Occidētis populis ſuā ebrietatē fruge madida, Pluribuſq; modis, inquit, per Gallias, Hiſpaniaſq; nominibus alijs, ſed ratione eadē,

Hiſpaniæ iam & vetuſtatē ferre ea genera docuerunt(id eſt, inſtar vini diu in cellarijs aſſeruari) Aegyptus quoque ſibi potus ſimiles excogitauit. Nullaque in parte mūdi ceſſat ebrietas. Hæc Plinius. Quo minus noſtris barbaris iraſcendū eſt, quod vitis inopiam fruge cōpenſant, ſuaq; inde vina conficiunt, cùm & veterum iſta fuerint, & hodie quoque non diſsimilia Cantabri in Hiſpania ex pomis factitent, & Belgæ ex hordeo exprimant. Quæ omnia potionum genera Siceræ nomine apud Hebræos comprehendi Hieronymus docet. Cū verò cibis vtātur Indi ferè viliſsimis, & parciſſimis, atq; ingluuiē maxima ex parte ignorēt, perpotandi tamē nullus eſt finis, nullus omnino modus. Ac mihi tā prodigioſæ bibacitatis cauſam aliquando requirenti ea occurrit in primis, quam Plinius eodē loco inſinuauit. Namq; & hæc neceſsitas vitium comitatur, vt bibendi conſuetudo augeat auiditatem, ſcitumq́; eſt, Scytharum legati Quanto plus biberint, tanto plus ſitire Parthos. Perinde eſt enim vinolentiam bibendo velle ſedare, atque ignem materia appoſita pergere extinguere. Nam quod naturæ appetitioni datur, moderatum eſt; at vitioſa, & præter naturam libido nullo explerur, vt præclarè Ariſtoteles de pecuniæ auiditate dixit. Id etiā Chryſoſtomus bene admonuit ebrietati vacātes nunquam ſatiari, ſed quantum ingurgitant, tantum ſiti flagrare, ita vt inflammatio quædam eis ſit vini vſus. Aeſtuāt enim vino ebrij, vt nos legimus in Eſaia, ſiue vinū comburit eos, vt alij ſignificātius legunt. Mihi verò præterea non ſolùm delectatio ipſa potandi ab ebrijs quæri videtur, ſed illa quoq; longè iucundiſsima eſſe, quæ eſt ſum-

In epiſt. ad Gal. c. 5.

Hom. 29. in Geneſ.

Eſai. 5.

ma infelicitas, mentis emotio. Senſus illam caliginem,& noctem offuſam cerebro, dulcem ſibi reuera eſſe ipſi barbari iactant,& rebus ipſis copioſè probant, cùm potionibus interdum vtantur perquàm acerbis, interdum ne potioné quidem vllam adhibeant, ſed ſucco pigmentiſue naribus reſumptis, in quo nulla eſſe poteſt ſaporis voluptas, ebrietatem accerſant. Nam in quadam inſula cùm nauigationis commoditatem expectarem, didici ex Tabaco contuſo (genus id herbæ eſt ad permouendum cerebrum mirè efficax) ſeruos AEthiopicos naribus exorbere vim ſolitos, grauemque ſibi ac diuturnam inde temulentiam excitantes, pro magnis delicijs ducere, vt vix minis plagiſque ab ea conſuetudine auelli poſſent. Verùm præcipua cauſa tam effuſarum compotationum, tamq; ardentis ſtudij, Diaboli prorſus ars eſt, qui neſcio quibus præſtigijs inſanos homines noctes dieſque bibendo conſumere pro ſumma felicitate, pro maxima religione perſuaſit. De his planè loquitur Sapiens cũ idololatrarũ mores explicat, Tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neq; nuptias mundas iam conſtituunt, & cætera. Qui ſympoſia barbarorum, & bibendi canendiq; viciſsitudines, turbulentaſq; illas pernoctationes conſpexerit, non potuiſſe melius ſignificari dicet, quàm per vigilias inſaniæ plenas. Eam quoq; antiquorum fuiſſe ſuperſtitionem, vt Deos ſuos effuſa perpotandi licentia celebrarent, nocturnaſq; cantiones, ac ſaltationes libidinis furoriſq; plenas multo mero dedicarét, Philonis libri atteſtan- Sap 14.

De vita contemplat. teſtátur, Græcis páriter, atq; Barbaris mira contentione certantibus, vtris potius ebrietatis palma concederet. Hinc Pœanes, hinc Orgia, cæteraque impudentia omnis Deorum cultibus attributa. Dan. 5. Quo etiam exemplo Balthaſaris conuiuæ temulenti ſimul bibebant vinum, ſimul Deos ſuos laudabant aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos, atq; lapideos, vt ſcriptura cõmemorat. Quare ebrietatis malum non ſimplex quoddam hominis vitium, ſed vniuerſæ Reip. peſtem exiſtimare debemus, quæ & numero, & diuturnitate vires ſibi maximas compararit.

Quæ mala ex ebrietate oriantur.

CAP. XXI.

SAtis quidem ad fugiendam, deteſtandamque ebrietatem eſſe debebat, quod inter ea opera Gal. 5. ab Apoſtolo numeretur, quæ qui agunt, regnum 1. Cor. 8. Dei non poſſidebunt, qui etiam tanquam vene- 1. Cor. 5. natam ebrioſorum menſam vitandam docet. Quanquam ebrietatis verbo cùm copioſam quãdam ſaturitatem ſcriptura ſignificat, non neceſſe eſt crimen accipere, quemadmodum adnotauit Hmoil 29. in Gen. etiam Sanctus Chryſoſtomus, vt cùm Ioſeph cum fratribus inebriatum legimus, & apud Sa- Geneſ. 43. lomonem, Qui benedicit, impinguabitur, & in- Prouer. 11. ebrians, ipſe quoq; inebriabitur, quod in bonũ accipiendum eſſe, non eſt dubium. At vbi vera temulentia & ebrietas eſt, ibi crimen eſſe dubitare non licet Chriſtiano. Satis ergo mala eſt ebrietas ipſa per ſe, quæ excludit à regno Dei. Sed ſunt longè grauiora, quæ ab ea mala proficiſ- Chryſoſ. in c. 5. Iſaie cuntur. Verè enim à ſanctis Patribus innumerabilium malorum fons perhibetur. Qua de re extat Mag-

tat Magni Baſilij elegans ſanè, & copioſa oratio, cuius ſententias exſcribere, vt ſæpe ſolet, videtur Ambroſius in libro de ieiunio, & Helia. Tribus ergo, vt compendio dicam, nocet vehementer ebrietas, Corpori, Moribus, Fidei. Ariſtoteles, & morbos, & cauſas perſequitur in Problematis, Plinius in naturali hiſtoria. Ex noſtris os aureum Ioannes ad ſuos Antiochenos, Non pauciores, ſed multò plures, & difficiliores animi, & corporis morbos immoderata vini parit potatio, paſſionum bellum, abſurdarum hyemem cogitationum menti introducens, & corporis vim molliorem, & ſolubiliorem efficiens. Non enim ita terræ natura vexata aquarum ſuperabundantia continuè diſſoluitur, vt corporis vis molleſcit, & diffluit, & exilis redditur, vini potu continuò ingurgitata. Cui Ambroſius concinit, Hinc phreneſis periculoſa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, & reliqua. Neq; tacuit iſta Sapiens, Sed quàm ſufficiens eſt, inquit, homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorē. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, ſomnus ſanitatis in homine parco, &c. Quæ cùm ita ſint, veriſſima eorum mihi ſententia viſa eſt, qui immaturos plurimorum obitus in hac regione nimiæ ebrietati tribuunt. Sunt etiam viri pergraues, qui hanc inferiorem, ac maritimam oram olim Indorum populis refertiſſimam, & numeroſiſſimam, nunc adeò imminutam, ob id inter alia ſentiunt, & prædicant, quod poſt Hiſpanos ingreſſos effrænatè ſuæ ſiceræ, & quidem exitiali maximè indulgeant, argumento eſſe, quòd montanos, quia

Con. Turon. c 48.
Scot 3. proble. 5. lib. 14 c. 22.
Hom 1 ad Pop. Ant.
De Helia & ieiunio c. 1.
Eccl. 31.

& par-

& parcius bibunt, & natura frigidiore ſunt, multitudine etiam auctos eſſe videamus. Id ſanè magno Chriſtianis opprobrio eſt Ingam. Regem barbarum, & idolis deditum ab ebrietate ſubditos ſibi populos cohibuiſſe: noſtros verò, quos oportebat mores quoque perditos emendare, temulentiæ incrementa tanta feciſſe. Omitto interim tumultus quotidianos, plagas, neces ab eiuſmodi compotationibus natas, quod & Indis, & ſeruis Aethiopibus familiare eſt. Vidi ipſe ex taberna duos ſemicaptos vino egreſſos vix oboli cauſa, ſe mutuo vno eodemque gladio cōfeciſſe, & quidem extracto bis è percuſſo corpore præ alterum feriendi furore. Itaque momento temporis exanimes ambo corruerunt. Neque enim fruſtra Salomon dicit, Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffoſſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Adde quod ſenſum hominis ebrietas, etiam digeſta reddit ſtupidum, & mentis aciem grauiter obtundit, atq; hebetat, obliuionem rerū omnium affert, & vt Plinius dixit, mortem memoriæ. Quid verò attinet dicere oris illum fœtorē, geſtus improbitatem, inceſſus titubationē, quiduis loquendi temeritatem, importunas corporis ſordes, cęteramq; illuuiē, vt homo breui in belluam tranſiſſe videatur. Quæ quamquam in omni genere ebrietatis damna reperies, nuſquā tamē cumulatius, quàm in iſtis barbarorum ingurgitationibus adeò portentoſis, vt corpus inſtar vtris, aut canalis potius perennis, potu fluat, quę ſanè peſtis valetudinis, vitęq; humanæ tanta eſt, vt ſi nulla Dei præcepta cogitarentur, nulla ſceleri-

Prou. 23.

ſeribus intentata ſupplicia, tamē ob Reipub.incōmoda diligentiſſimè cuiuis legiſlatori,& magiſtratui cauenda, relegandaq́; ſit. Corpora igitur infeſtat ebrietas,animos verò quid? Nempe nulla eſt morū corruptela maior. Audi,ſi vacat, Baſilium in præclara de iſta ipſa peſte concione, Ebrietas, inquit, Dæmon eſt voluntarius ex voluptate animabus noſtris inditus, ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum,ex temperato facit laſciuum,iuſtitiam ignorat, prudentiam extinguit. Et poſt nonnulla, Quid opus eſt reliquam perturbationum cateruam enumerare,morum peruerſitatē, promptitudinem illam ad iracundiam,ad querelas,celerem ac repentinam animi ad omnia mutationem,ſtrepitum multum,ac tumultum,facilem ad dolos deductionem, ad omnes iræ motus inconſiderantiam?Voluptatis verò incontinentia omnis ex vini fonte originem,vimq́; habens, præceps ad omnem impuritatem, atque intemperantiam ruit.Animalium omnium libidinum fœditatem ſuperat, cùm bruta naturæ leges in hoc genere noſcant, atq; obſeruent: ebrij tantū in mare fœminam,in fœmina marem quærunt, atq; optant. Hæc Baſilius, aliaq́; complura, quæ non augendæ orationis ſtudio, ſed quotidianæ experientiæ obſeruatione prolata ſunt. Obſidet hoc monſtrum, atq; infeſtat vniuerſum terrarū orbem, verùm nuſquam grauius ſæuit,quàm inter hoſce barbaros, apud quos ea eſt rerum omnium perturbatio, vt extremæ,obſcænitates, & nefaria flagitia compotationis furore admiſſa in magna laude ponantur. Canitur more ſolenni, conueniunt ſine vllo diſcrimine omnis ætas, ſexus,

Homil in Ebrietatem & luxum.

xus,neceſsitudo:bibitur ad contentionem:dolia integra pene vno ſpiritu exhauriuntur: ducũtur choreæ per quàm elegántes, ſaltitatur vſq; dum Bacchus victos ſternat: vigiliæ inſania,atq; petulanti libidine plenæ exiguntur: quiduis licet in quemuis, inuiolata lege compotationis. Hîc quę dedecora humani generis pudet referre. Non parcitur virgini, non defertur vel matri, nihil inter coniuges intereſt, furit etiam libido in viros,maſculi in maſculos turpitudinem operantur. Perſas compotationibus ſuis ſcorta tantùm adhibere ſolitos Plutarchus refert, vxores nullo modo,quod dicerent, temulentiam fræna neſcire. Ipſe Loth vnus in vniuerſa Sodoma iuſtus inuentus,ebrietate tamen victus filiarum inceſta libidine non abſtinuit, quid facient barbari? quid meræ pecudes? Equidem aſſentior Pittaco duplices pœnas in ebrietate peccantes decernẽti. Nam quamuis ſciam Diuum Auguſtinum non inceſtum in Loth,ſed ebrietatem culpare, Ambroſium quoque mitius in ebriorum crimina animaduertere,tamen Philóſophi ſententię nemo repugnabit, qui per ignorantiam excuſari peccatum negat, cùm ignorantia ipſa, & ſcitur cauſa peccati,& nihilominus non cauetur, nedum cùm vel ob hoc ipſum placet, vt peccetur licentius. Ita prorſus reș habet, conſulto barbari temulentiam amant, tanquam libidinis omnis magiſtram. Sunt verò Bacchanalia hæc, aut Orgia,aut Cibellia,aut Lupercalia, aut quouis nomine appellari malis, nõ annua, vt apud veteres, ſed menſtrua, vel quotidiana potius. Nullus eſt menſis,qui ea celebritate vacet, nullus cætus cogitur, nulla res ſeria initur, non nubit filia, non

In libr. Nũ Philoſop Nũ dũ ſit in ſer pocula.

Gen. 19.

Ariſt in Ethic.

Lib. 22. cont. Fauſtum. c. 44.

In libr. de Abraham. c. 6.

Ariſtot 4. Ethic.

parit

parit pecus, non foditur ager, non Deo ſacrificatur niſi ebrietate optima duce preeunte. Vna illa publicas, priuataſq; res ornat, & magnificentiæ, & religionis argumētum. Miſera prorſus ſtultorum hominum ſeruitus, qui cùm ipſi natalibus parum à brutis abſint, ſtudio, atq; opera omni cō tendunt, vt brutis quoq; deteriôres fiant. Mores quidem tales ebrietas efficit: Fidei verò ianuam intercludit, eſtq; religionis Chriſtianæ inter Indos hoſtis ſæuiſſima. Præclarè Beatus Ambroſius dixit, ebrietatem eſſe perfidiæ matrem, continentiam Fidei, quod perſpicuè docet ſermo diuinus, Sedit, inquit, populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Quem ludum intelligat, quis ignorat? Vituli aurei adorationem explicant Patres, & Paulus ipſe, Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, ſicut ſcriptum eſt, Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Certiſſimum eſt ebrietati eſſe ſacrilegium plerumque coniunctum. Nō ante Balthaſar ſacra vaſa popoſcit, ac profanè abuſus eſt, quàm temulentia imperauit, tum Deos ſuos cuique laudandi certamen exortum eſt. Reuera vinum, & mulieres apoſtatare faciūt etiam ſapientes. Incredibili verſutia Diabolus in hoc orbe omnem ſuum cultum ebrietate condiuit, omni viciſſim ebrietati aliquid de ſuo cultu adhibendum docuit. Experientiſſimi morum Indicorum pro certo confirmant nullam eſſe paulo celebriorē compotationem, nullas vigilias ſtatas, quin peculiari ſuperſtitionis, & ſacrilegij genere imbuantur: Huiuſque ſceleris obſeruata eſt tanta calliditas, vt non aliter iam antiquum ſuum errorem & idololatriam

De Helia & ieiun. c. 12. *Exod. 32.* *1. Cor. 10.* *Dan. 5.* *Eccl. 19.*

tueantur, quàm per occaſionem ſolennium com-potationum, atq; cantionum. Huc maximè ſpectat omnis eorum Taqui, ſic enim vocant celebres cantilenas inter potandum potiſſimum adhiberi ſolitas. Ipſo ſacri Paraſceues magno die, quo Domini Ieſu Chriſti mortem Chriſtiani piè colimus, Satanæ artificio flagitioſiſſimi ludi ab ebrijs barbaris aguntur more ſolenni: quod tantum noſtræ ſanctæ Religionis ludibrium etiam à baptizatis iam multis Indis, vt nobis viri fide digni narrarunt, occultè quoad licet, frequentatur. Atque in hoc genere ſunt alia plurima veteranis magis comperta. Quamobrem ſanctiſſimè eſt in Prouinciali concilio in hac vrbe celebrato decretum, vt eiuſmodi compotationes tanquam idololatriæ fomenta ſumma diligentia excludantur, ac penitus exterminentur: eſtque certa ac conſtans plurimorum ſententia, fruſtra Indos Chriſtianam Religionem doceri, quandiu peſtifera iſthæc conſuetudo inerti noſtrorum diſſimulatione retinetur.

Quibus modis ab ebrietate Indi compeſci queant.

CAP. XXII.

Verùm huic tam pernicioſo malo & ſi non dubitant omnes pij, & prudentes occurrendum eſſe, tamen quomodo occurratur, non eſt omnium vna ſententia. Sunt, qui nõ aliter ebrietatem tollendam putent, quàm vſu omni ſiceræ, id eſt Indicæ potionis excluſo. Id vt fiat grauiſſimas eſſe proponendas, & exigendas pœnas, ſi quis vel è fruge ea vina conficiat, vel confectis vtatur. Niſi enim materia omnis ſubtrahatur, nullo modo tantũ incendiũ extingui poſſe. Quorum

rum vox nihil propemodum ab eorum ſententia mihi abeſſe videtur, qui non ita pridem cum Romano Pontifice ſeriò agendum exiſtimarunt, vt generali Eccleſiæ decreto vineæ omnes ab orbe Chriſtiano extirparentur, relictis tantùm in ſacros vſus neceſſarijs, quòd per vini immoderatam vim incredibilia mala dicerent euenire, idque in Septentrionalibus præſertim Europæ populis multis magniſque documentis demonſtrabant. Sed facilè horum eſt exploſa ſententia. Neque enim, vt ſcitè dixit Chryſoſtomus, vino, ſed vinolentiæ fræna adhibenda ſunt. Eadem certè cauſa, & pecunias nullas eſſe iubebunt, vt auaritiæ occurrant, & pretioſos pannos, vt faſtus retundatur, & fœminas ipſas ſepelire oportebit, ne libidine concitentur viri, quin potius oculos eruent, & linguam adiment, ne tanta peccemus. Omnino nihil eſt adeò ſanctum, adeò bene prouiſum diuinitus, quo non in perniciem ſuã abuti poſſit humana malitia. Et re vera ſicut vinum decenter, & ſobriè vſurpatum, & valetudini, & robori, & lætitiæ confert, quæ qui detrahit, iniuriam Dei prouidentiæ facit inſignem, emendare volens quæ ille ſapienter fecit, ita planè ſiceræ Indicæ potiones vtilitates habent non contemnendas, quas qui prorſus adimit, non mediocriter miſeros premit. Nam & robuſtam, & ſalubrẽ, & aſſuefactis non iniucundam eſſe ſiceram (ſic enim iam dudum voco iſtam vulgarem Indorum potionem, ſiue Maicio, ſiue Cacao, ſiue quouis alio genere conſtet) nullo modo negare poſſunt, quicumque iſta experti ſunt, genus verò hominum inops, & tenue nullas alias delicias agnoſcens, hoc vno adiumento priuare velle, inhu-

Chryſ. hom. 31. in 1. ad Cor.

manitatis eſt. Ergo non res in culpa eſt, ſed modus quærendus eſt. Atq; in primis quamuis ſicera omnis non prorſus interdicenda videatur, tamen rectè admodum & ſapienter Regio edicto cautum eſt, ne fucatæ illæ, & præpotentes potiones, oppidoq; damnoſæ cõficiantur, qualis ea eſt, quã noſtri ſoram dicunt. Nam vbi non tam potum, quàm ebrietatem quæri conſtat, iure optimo vitioſum potionis genus prohibetur. Hoc ergo excepto, non placet omnem potandi iucunditatem barbaris adimere. Sed ſi rectè conceſſa in ebrietatem conuertant, iam ſeueriore pharmaco putredo hæc reſecanda eſt. D. quidem Auguſtinus valde in Africanas ſuæ ætatis compotationes ſtomachans, cõſilium dat Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, vt placidè, ſuauiterq; iſta emendare conetur: Non ergo aſperè, inquit, quantum exiſtimo, non duriter, non imperioſo modo iſta tolluntur, magis docendo, quã iubendo; magis monendo, quàm minando: ſic enim agendum eſt cũ multitudine peccantium, ſeueritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Sic planè cum liberis, atq; bene morigeratis hominibus decebat Dei ſacerdotem ingenuè agere, & ratione magis, quàm lege; doctrina potius, quàm poteſtate niti. Nam & nobiles Lacedæmonij ebrietatis remedium eſſe ducebant, ebriorum hominũ ſpectaculum fœdiſſimum conuiuis ſuis proponere, vt in ſe diſcerẽt ea cauere, quæ in alijs tantopere abominarentur. At noſtrorum barbarorum ebrietas longè alia via exterminanda eſt, quoniã alij longè mores ſunt, & ingeniũ natura ipſa ſeruile. Seruus verò, vt dixit Sapiens, non poteſt verbis emendari, quod enim dicis, intelligit, ſed obedire contẽnit.

Epiſt. 63.

Plutarchus in vita Demetrij.

Prouerb. 29.

Itaq;

itaq; & ſi exempla proponenda ſunt,& ſi ſacerdotales commonitiones,atq; comminationes ceſſare non debent;tamen vt in vetuſtis vlceribus fit, aſperiore medicamine ſanies iſta radenda eſt. Opus eſt poteſtate ciuili, opus eſt ſeria animaduerſione in temulẽtos,ac niſi lege agatur,fruſtra ſurdis verba fient.Verùm ſi putredo hæc reſecanda eſt,& tamen materia non demitur, quidnam remedij eſſe poteſt?dicet quiſpiã.Audiui ex viro ornatiſſimo,eodemq; totius rei Indicæ peritiſſimo, pleriſq; videri difficilẽ,& permoleſtam eã cohibendi barbaros ab ebrietate prouinciã: ſibi verò perfacilẽ,& iucundam.Cũ me tãtæ rei pollicitatione nõ mediocriter erexiſſet,ſubiecit prę ceptionem & mihi,& vt opinor,cuiuis prudenti valde probatã. Vituperabat ille eos,qui bibendi conſuetudinem,aut ad certos calices definirent, aut priuatis mẽſis magnoperè interdicerẽt.Cenſebatq; potius quãdiu intra priuatos parietes priuatim ipſi biberent,etiamſi fortaſſis excederent, vel diſſimulãdum eſſe, vel ſi proderentur,nõ admodum rigidè excipiendũn. At compotationes publicas,ſtatas,ac celebres,eas ſummis virib⁹ eſſe exturbãdas,ac profligãdas:idq; & expedire omnino,& factu nõ eſſe difficile. Vtriuſq; ſuæ aſſertionis cauſas afferebat egregias. Nã priuatim vniuſcuiuſq; perpotationem infeſtè perſequi tum difficile eſt,quod latebras domeſticas,atq; horas importunas,& inuſitatas varietates peruestigare nemo poſſit:tũ verò nimis hoc arctum,& aſperũ eſt,ac meritò verendum eſt,ne qui nimium emũgit,eliciat etiam ſanguinem. Quamobrem B. Auguſt.quanquam ebrietati infenſiſſimus,cenſebat tamẽ aliqua ex parte conniuendum, ſed feramus

Prouerb. 30.
Epiſt. 63.
Ad Aureliũ.

hæc,inquit,in luxu, & labe domeſtica, & eorum conuiuiorum,quæ priuatis parietibus continentur. Atque hæc quidem antiquis eam & robuſtis Chriſtianis condonabat, barbaris & à patria ſuperſtitione recentibus, quiq; iudicio parum aduerſus conſuetudinem obſiſtere queant,non minora certè condonaturus. Et ſi enim ebrietas per ſe quidem crimen eſt, tamen ob ea maximè vituperatur, quæ parit mala: quæ tamen in priuata menſa, neq; ita multa, neq; adeò immania ſunt. Nam tota illa inceſtuoſa libido,illa ſexus fœdiſſima permutatio,mox cædes,truculentia,&quod eſt omnium caput,ſcelerata idololatriç obſeruatio,in priuata menſa ignorantur,vbi præter coniuges,vix eſt alius: quæ certè omnia in celebribus,& publicis compotationibus effuſiſſimè ſæuiunt. Imò verò horum cauſa licentius patrandorum inſtituta ſunt ſolenni more cõuiuia, quibus non ſolùm licere ſibi quiduis omnes intelligunt,verùm improbiſſima quæq; audere ſplendidum, & glorioſum putent. Iſta ergo publica tollere penitus oportere dicebat, tum ob innumera,& grauiſſima damna inde vt à primo fonte manantia, tum ob peſſimi exempli ſcandalum, quo Reſp. tota labefactatur. Neque verò id eſſe arduum, & difficile, non enim ita iſt hæc latere poſſe,vbi temulentia, & multitudine ipſa proditur, & temporum certa obſeruatione deprehenditur.Quæ non differentis verba ſunt tantũ: ſed res ipſa docuit expertum. Conſtituebat vir ille ex ipſiſmet Indis iudices,atq; obſeruatores, quibus negotium dabat, vt toto pomeridiano tempore conuentus omnes Indorum peruestigarent, ſi quem temulentiæ operam dantem offende-

ſenderent, ad ſeſe continuò deferrent, ſin vel negligenter indagarent, vel inuentum ſcelus diſſimularent, pœnas minabatur acerbas non temulentis, ſed obſeruatori, qui non quæſiſſet, aut indicaſſet, negligentiæ, aut malitiæ conuictum obſeruatorem pro concione ſemel, atque iterum mulctari iubebat, tertio opus non erat, tanto omnibus terrore commotis, vt deinceps in detegendis ebrijs ſolertiſſimi eſſent. Iam verò cùm obſeruatorum cuiuſquam induſtria delata eſſet ebrietas, eò conuolabat, recenti, ac flagranti delicto obnoxios capiebat: primùm leuiore aliquo ſupplicio contentus, ſecundò, ac tertiò augebat pœnas, aliquot ex primoribus verberatis, aut etiam crine detonſis, quod Indis acerbiſſimæ iniuriæ loco eſt. Affirmabat, cùm Prætoris Cuzquenſis munere fungeretur, quæ vrbs omnium caput, atque altera noſtris Indis Roma fuit, breui ijs artibus effeciſſe, vt ne veſtigium quidem ebrietatis relinqueretur, in remotiſſimas quoque prouincias temperantiæ exempla à maioribus ſuis tranſmiſſa Indi cæteri ſequerentur. Sed negligentia, & ſocordia ſucceſſorum rem tantam excidiſſe, & ad priſtina temulentiæ ſtudia reditum eſſe. Idem, cùm Chuquiſacæ eſſem, ſuſcepit me hortante, peſſimum illum morem abolere. Petijt viciſſim à me, vt in concione ea de re verba facerem, reique fœditatem exprobrarem: ipſe ſocium, quo vtebar linguæ Indicæ bene docto, conuocata ad ſe Indorum concione legem de publicis compotationibus abolendis promulgare, perſuadereque iubet: obſeruatores deinde creat, quibus oppidi regiones diſtribuit, ſeſe certiorem, niſi grauiter vapulare malint, maturè

facere imperat. Quid multa? ſemel deprehenſa temulentia, vix ſecunda animaduerſione opus fuit. Verùm omnes iſti conatus, niſi magiſtratus omnes cóſpirent, facilè corruunt. Re vera ſi qua decet conſtantia, & zelo, præfecti, atq; ij, penes quos ſumma eſt, negotium perſequerentur, poterat breui peſtis hæc procul exterminari. Plerique rei difficultates cauſantur, ſocordiam ignauiamq; ſuam cùm accuſare potius ac dolere deberent. Quid verò ignauiam dico? De induſtria pernicies tanta conceditur, imò verò appetitur propter priuatas neſcio quas commoditates. Alij Indorum operas larga ebrietate conceſſa, ſibi conciliant. Alij non ſolùm bibere ſinunt, verùm ipſi quoque temulentiam propinant. Complures officinam ſiceræ apud ſe habent, publiceque coquunt, atque diuendunt, & apud ſe compotandi commoditatem offerunt. Neq; tam turpis, infamiſq; quæſtus pudet, neq; ſiceram qualemcunq;, ſed furioſam illam ſoram lege contempta vendunt; gladium vltrò porrigentes inſano. Atq; hęc noſtri Hiſpani factitant, lucrumq; eiuſmodi ex animarum interitu etiā elegantiores religioſioreſq; captant. Quæ ſpes vltra reſtat infœlicium horum ſalutis, quādo ab ijs venena porriguntur, à quibus erat antidotum expectandum? Vtinam terribilem irati Dei gemitum non audiamus,
Amos 2. quem propheta quidam ſcribit, Propinabatis, inquit, Nazaræis vinum, & prophetis mandabatis dicētes, Ne prophetetis. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Omnino Chriſtus Deus noſter ſuorū ſcelere, & par-
1 Corinth. 8. ricidio premi videtur, ſic enim peccantes in fra-
Rom. 14. tres, in Chriſtum peccamus. Paulus neq; mandu-

care

care carnes,neq; vinum bibere libenter ſuſcipit, modò fratrum ſaluti conſulat: nos vino etiam compoſito fratrum animas enecare pergimus,vt lucrum vndecunque radamus. Hæc tota populi Chriſtiani ignominia,ſiue eo,quo diximus, modo,& induſtria,ſiue alijs artibus quæ ab alijs piè & fructuosè excogitatæ ſunt, omnino releganda eſt per publicæ poteſtatis miniſtros,& diligẽtiſſimè danda eſt opera,vt publicæ ſaltem , atq; ſacrilegæ barbarorum temulentiæ, terrore,minis, pœnæ acerbitate modis omnibus propulſentur, Sic enim ſibi perſuadere debent, nihil neq; religionis,neque diſciplinę in Indorum animos influere poſſe, niſi omnium malorum fons ebrietas obſtruatur.

De Prætoribus Indorum. CAP. XXIII.

AD has igitur diſciplinæ Indicæ ſeueriores leges exequendas , quoniam & neceſſariæ omnino ſunt,& niſi ſeriò in præuaricatores animaduertatur, ſuperuacaneus erit labor omnis, neque ſacerdotum eſt ita ſeuerè plectere, vt ſuo loco dicemus,videtur multis,mihiq; ipſi perutile eſſe præfectos,iudiceſue peculiares dare.Cùm enim à curia frequentiaq; noſtrorum Magiſtratuum longius abſint,pleraq; oppida,niſi ſuos ipſi Prætores habeant, quos timeant, quos obſeruent,facilè aut delicta latebunt,aut impunita relinquentur, creſcetque impunitate ipſa quiduis perpetrandi temeritas. Nam neque ſacerdotalis officij eſt iſta vlciſci,cùm præſertim erit aliquid atrocius vindicandum,neque Patronorum curæ tutò committi poſſunt,à quorum potentia,& iniurijs,vt defendantur,indigent ſæpè publica authoritate.

thoritate. Itaq; quod non ita pridē factitari cœptum eſt, vt certis Indorum prouincijs ſui Prætores deſignentur, mihi non diſplicet, modò eo ſint pietatis Chriſtianæ ſtudio præditi, ea animi moderatione, vt meritò religionem omni officio adiuturi videantur. Quorum tamen tanta eſt paucitas, vt vix eluceat, vtrum melius ſit nullos Indis eſſe rectores, an tales eſſe, quales permultos cernimus, de quibus dictum videri queat: Quia cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra, hoſtes iuſti, accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta. Verùm hominis iſta ſit culpa, non officij. Eſt enim perquàm neceſſarium, primum ad legum cuſtodiā, morumq; correctionem, vbi vel beſtiali flagitio præ temulentia peccatum eſt, vel frater à fratre violatus iniuria, vel ipſe ſummus Deus ſacrilega ſuperſtitione offenſus. Deinde vt imbecillos à potentioribus tueantur, Satrapas, Curacaſque cohibeant, Patronos inſolentius ſeſe gerere ne ſinant, iniuſta, & dura ſeruitia non ferant. Mox vt diſciplinæ ciuili humanoq; conuictui aſſuefaciant, vt perditorum Hiſpanorum Indos deprædantium fœcem auertant. Poſtremò, vt quæ erunt publicæ vtilitatis officia ab ijs curanda, ne prætermittantur. Atque eo munere fungentem remunerari par eſt, idq; ipſorum Indorum cenſu perſolui non eſt iniquum. At illud perſpiciendum, an, quæ Patronis tributa pendantur, ad iſta quoque ſufficiant. Ob eam enim cauſam ſolui diximus, quòd Rex tueri ſubditos, & iuſtitia regere debet. Viderint ergo qui nouis ad iſta prætoriana officia penſionibus Indos grauandos putant, an ſatis in tuto Patronorum res ſint, qui

Amos 5.

cùm

cùm tanta emungant, parum ipſi, aut nihil ciuilis adminiſtrationis clientibus præſtant. Hunc de præfecturis Indicis locum antequam prætervehar, admonendi ſunt præfecti ipſi, ne tam ſe iudices, quàm parentes exhibeant, neq; prorſus ſolita in cæteros ſeueritate vtantur. Pueris ſe potius ludi magiſtros, quàm forenſes iudices cogitent. Neque iuris illa ſtricta norma vbique ſeruanda, ſed ſtrepitu omni remoto, ex æquo & bono plerumq; iudicandum, id quod etiam ſalutariter edicunt Regiæ leges, quæ ſcripta, & reſcripta ferè adimunt, & pretium, ſi quo horum opus ſit, accipere vetant. Cauſas more patris familias componere, & pro arbitratu agere, ſæpè tutius, atque commodius, niſi atrox aliquod facinus accidat, quod rarum eſt, cùm pleraque nugarum, & puerilium concertationum ſimiliora ſint. Qua in re illud viris grauibus vehementer diſplicere animaduerti, quòd ab Indis teſtimonium iureiurando exigitur, cùm conſtet eos facillimè peierare, vtpote qui, neq; ipſius iuramenti vim ſentiant, neq; veritatis ſtudio tangantur, ſed teſtimonium eo modo dicant, quo credunt iudici gratiſſimum fore, aut à primo quoq; ſuæ factionis homine edocti ſunt. Hos igitur iurare compellere, & ipſis exitioſum eſt propter infinita, & quotidiana periuria, & cauſæ ipſi valde incommodum, cùm firmitudo veritatis nulla ſperetur. Multorum ergo ſententia eſt in Concilio Prouinciali edici oportere, ne ab Indis iuriſiurandi religio flagitetur, idque lege lata caueri debere. Etenim ſi pueri & infames à teſtimonio dicẽdo, à iuramento interponendo iure arcentur propter iudicij infirmitatem, falſitatiſque ſuſpicio-

In Con. Turon. ca. 34. Summopere id cautum eſt.

nem, cur obſecro Indi non longius amandandi ſunt,quorum perſpecta eſt pluſquam puerilis inconſtantia, & veri omnino contemptus? Quod cùm experti ſatis eſſent Apoſtolici Inquiſitores, ſtatuerunt, vt nobis aliquando dixerunt, Indi cuiuſuis teſtimonium non eſſe pro integro accipiendum, imò ne iuramento quidem vt teſtem vrgendum, ſed indicij loco habendum, ſi quid detulerint, perinde atque à puero quopiam, aut homine ſemi-inſano res diceretur, quod ad inueſtigandum quidem moueat, sed ad credendum minimè perſuadeat. Prouidenter ſanè & magna æquitate decretum, vt omnia ſacri illius tribunalis. Quod ſi pleraſque controuerſias niſi iuramento interpoſito iuxta Paulum Apoſtolum nō poſſe finiri contenderis, equidem cauſas ipſorum inter ſe ordinarias dixi ſupra, velut à ludi magiſtro potius quàm à forenſi prætore tranſigendas. Extraordinarium verò, & atrocius cùm quippiam emerſerit, lege decernitur, quo ordine agendum ſit. Neque enim omnem pedem idem coturnus decet, neque verò leges Romanæ, & ſacræ in omni cauſa æquè teſtimonia omnium vel repudiant, vel admittunt.

Heb. 6.

Mores Indorum Chriſto non repugnantes permittendos eſſe, & de concordia Prætoris cum ſacerdote.

Capvt XXIIII.

CHriſtianis moribus, diſciplinaq; noſtra ſunt quidem barbari paulatim imbuendi, omnes verò ſacrilegæ ſuperſtitionis, aut barbaricæ feritatis ritus ſenſim amputandi: attamen ſi qua

in re illorum mores à religione, & iuſtitia non diſcrepant, non exiſtimo facilè immutandos, ſed patrias, ac gentilitias conſuetudines ab æquo non abhorrentes retinendas eſſe, & ſecundùm eas ius dicendum, quemadmodum Indici ſenatus Regia decreta continent. Qua in re valde peccatur à multis vel propter ignorantiam municipalium obſeruationem, vel ob nimium, & præmaturum communicandi noſtra feruorem. Hîc non morabor Plutarchi philoſophi illuſtre præceptum de gubernanda Repub. apponere. *In Politica ad Traianũ* Vertere ſe ad mores ciuium cognoſcendos oportet, atque eorum penitus exploranda, atque tractanda ingenia. Etenim ſtatim mores, & ingenia conari mutare populi, nouiſque ea legibus moderari extemplò velle, non modò non facilè, verùm ne tutum quidem omninò eſt, vt res quæ multo tempore, & ingentibus viribus indiget. Simile ducit ex vino perpulchrè, quod initio, bibentis arbitrio regitur, mox ſenſim calefaciens hominem commutat, & vertit ad ſe. Quamobrem multa diſſimulanda ſunt, nonnulla etiam laudanda: quæ tenacius hærent, & perniciofius lædunt, ea dexteritate quadam in bona ſimilia commutanda. Cuius rei authorem luculentum Gregorium magnum profero, qui rogatus ab Auguſtino Anglorum Archiepiſcopo in ſimili cauſa, ita ſcribit Mellito, Dicite Auguſtino Epiſcopo, quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui, videlicet quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt idola, deſtruantur; vt dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens, *Lib. 10. Regiſ. epiſt 71.*

& adorans ad loca, quæ conſueuit familiarius recurrat. Et qui boues ſolent multos in ſacrificio dæmonum occidere, debet his etiam de hac re aliqua ſolemnitas immutari, vt die dedicationis, vel natalitijs Martyrum tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conuiuijs ſolennitatem celebrent. Nec Diabolo iam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & donatori omnium de ſatietate ſua gratias agant: vt dum eis aliqua exterius gaudia reſeruantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe non dubium eſt: quia is, qui locum ſummum aſcendere nititur, gradibus vel paſſibus, non autem ſaltibus eleuatur. Cuius etiam documenti exemplum profert in Iſraëlitico populo Aegyptiorum ſacrificijs aſſuefacto, quem Dominus ab idolorum cultu reuocans, ſacrificia vni Deo de pecudibus offerri imperauit. Quæ eò ſunt fuſius repetita, quò perſpicua magis res fiat non ſolũ præcepto Gregorij, verùm etiam exemplo de bobus conuiuio mactandis, quos idolis ſuis ſacrificare conſueuiſſent. Quo planè modo conuiuia, & compotationes aliquando publicæ permitti barbaris poſſunt, ita duntaxat vt in foro, quemadmodum Ingarum leges habebant, edant & bibãt, vbi ebrietatis illa effuſio non ita timenda eſt, cùm teſtes habeat: ac vindices oculos noſtrorum omnium. Denique quæ concedenda, quæ toleranda, quæ contra commutanda, aut nullo etiam modo ferenda ſint, dictabit abundè charitas Chriſti cum prudentiæ moderatione coniuncta. Supereſt tantùm,

tùm, vt ciuilem omnem poteſtatē admoneamus, vti in adminiſtranda Repub. Indórum cum Eccleſiaſtica germanè coniungatur, ſitque Prætor ſacerdoti, quod Samueli Dauid, quod Hieremiæ Ioſias, quod Eſaiæ Ezechias, quod Sylueſtro Cōſtantinus, quod Theodoſius Ambroſio. Facilè quidvis perficietur, ſi gladius vterque conſenſerit, ac vaginam eandem induerit. Contra, nihil ita perturbat, labefactat, euertitque religiónem, morumque doctrinam, ac mutua inter ſacrum, profanumque contentio. Scriptum eſt, Vnus ædificans, & alter deſtruens, quid proficit eis niſi labor? Et rurſus, Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. Et alibi, Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei. Et væ certè eſt illi, qui vnum ſcandalizauerit ex his puſillis, qui credunt in Chriſtum. Omnia ergo in charitate fiant, omnia ſecundùm ordinem, omnia in vinculo pacis. Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam. Non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. Et ſi ſunt igitur officia diſtincta, & neque ſacerdotem decet arma tractare, neq; iudicem ſacrificia offerre, tamen idem animus, mens eadem, idem perducendi omnes ad Chriſtum ſtudium. Itaque ſibi mutuo adiumento vt ſint, omnibus modis curandum eſt: atq; alter quidem in ijs, quæ ad Deum, alter in ijs, quæ ad homines magis occupatus, vterq; Dei oues paſcant, & ſalutem ſuorum quærant, non quærentes quod ſibi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.

Eccl. 34. *1. Cor. 14.* *1. Cor. 11.* *Matth. 18.* *1. Cor. 16.* *Epheſ 4.* *Philip. 2.* *1. Cor. 10.*

LIBRI TERTII FINIS.

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE,

LIBER QVARTVS.

Excellentia Sacerdotalis officij.

CAP. I.

QVamquam omnis ſermo diuinus ſacerdotalis officij commendatione plenus eſt, tamen nuſquam vel copioſius, vel breuius Euangelici doctoris magnitudinem edocemur, quàm vbi ipſum ſapientiæ fontem Dominum Ieſum Chriſtum audimus nouos ſuos diſcipulos alloquentem, atque in his numeroſam horum poſteritatem inſtituentem. *Matth. 5.* Vos, inquit, ſal terræ, vos eſtis lux mundi, ita omnem ad virtutem capeſſendam, ac regnum cæleſte obtinendum vim admirabili breuitate complexus. Quæ enim duo, bono expetendo, ac perſequendo neceſſaria ſunt, & quorũ vtrumuis ſi abſit, difficultate vincamur, nempè vt bonum ipſum non lateat, tum verò vt delectet, quemadmodum Auguſtinus optimè vidit, *De Nuptijs & concupiſ.* quorum vtrumque Dei ipſius eſt proprium, qui & lux eſt vera illuminans omnem hominem, & *Ioan. 1.* omnem ſuauitatis fontem in ſe vno continet, ea in ſuos miniſtros deriuat, magnificeq́; communicat: vt tum ſplendore doctrinæ illuſtrandas hominum mentes à ſe intelligant, tum vitæ, morumque condimento auerſa, ac veluti ſtoma-

chantis

chantia mortalium ſtudia non ſolùm virtutis faſtidio leuent, verùm etiam propenſius excitent. Itaque quod veteri prouerbio tritum eſt, ſole,& ſale nihil eſſe vtilius hominibus, id in Euangelico ſacerdotio veritatis ſuauitate percepta, atque guſtata, ſitum eſſe nemo non ſentit. Quam ſui muneris excellentiam tanti facit Apoſtolus Paulus, vt datam ſibi gratiam ad illuminandas gentes,& prædicandas inueſtigabiles diuitias Chriſti, toto orbe ſole clariorem oſtendat, tenebras noctemque omnem procul depellens, tum ſe formam, atq; exemplar publico ſpectaculo proponat, ita alios ſui imitatores eſſe cupiens, vt ipſe ſit Dei. Salis nimirum copioſè functus officio laboribus, ſudoribuſq; cōſumptus, vt diuinum ſaporē alijs impertiat. Niſi enim liqueſcat,& à ſe deficiat quodammodo, cætera condire ſal nequit. An verò quiſquam aliud quàm ſalem cogitet, cùm audit illa dicentem? Puto quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles, vſq; in hanc horam, & eſurimus,& ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur,& inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris; maledicimur,& benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur,& obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. An non hîc liqueſcit, & totus à ſe deficit Paulus, vt Ieſu Chriſti guſtu auditores ſectatoreſq; ſuos imbuat? Quid illud? Etſi immo-

Epheſ. 3. *1. Cor. 11.* *Phil. 3.* *1. Cor. 4.* *Philip. 2.*

immolor ſupra ſacrificium fidei veſtræ, gaudeo & congratulator omnibus vobis, idipſum autem & vos congratulamini mihi. An & illud non eſt
Rom. 9. mente propemodum excidentis, Cupiebam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis? fratres in locum ſuum apud Chriſtum ſubrogari præ charitatis magnitudine exoptans, vt nobiliſſimi
Gregor. Nazian in Apologetico. Chryſoſt in lib. de compun. cordis & Hom. 1. de Laudibus Pauli & 2. & 6. Hierem. 1. Græcorum volunt. Ac certè quandiu hæ lucernę in candelabro Eccleſiæ illuxêre, copioſa in domum Domini confluentium turba introitum patefactum, expeditumq; habuit, quandiu hæ ciuitates munitæ à Domino in monte poſitæ ſteterunt, bellantium aduerſus Chriſtum machinæ, tormenta, viſq; omnis euanuit, ac iuxta Prophetam, nullo modo præualuit, ſed refugium potius præſidiumque hominibus imbecillis contra omnes hoſtiles iniurias conſpicuum vndique ac tutiſſimum reddiderunt, quandiu denique, & in mordendis, amputandiſque putoribus, & in condiendis probati animi moribus ſalis naturam exhibuerunt, & ſanati mortales, à morteq; ipſa vindicati, & Chriſtum tanta gratia ſapiebant, vt pro eo extrema perpeti gloriæ ducerent ſummæ. Tum ſanè illa Dominus de ſuo ſacerdote libenter commemorabat, Pactum meum, inquiens, fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorē, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat, lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius. In pace & in ęquitate ambulauit mecū, & multos auertit ab iniquitate, labia enim ſacerdotis, inquit, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Talis dum fuit ſacerdos
Malach. 2.
Matth 5. Domini, tanta ſanè, ac talia præſtitit, lux enim mundi,

mundi,ſal terræ. At ſi ſal euanuerit, quid ſequitur?in quo ſalietur?Ad nihil valet vltra, niſi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus. Si in alios is eſſe deſinat,qui iubetur, cæteros quidẽ vtilitate ſua priuat, cæterùm ita ſe ipſe perdit, vt irrecuperabilis ſit habẽda quodammodo eius ſalus,& deſperanda curatio. Neque in ſterquilinium tantùm proijcitur, ſed hominum quoque hîc pedibus proculcatur. Quàm aptè propheticus ille ſermo ſtatim Euangelica iſta ſubtexuit; Vos autem, ait, receſſiſtis de via, ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis,ſicut non ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege. Infinitum eſſet cætera perſequi,quæ contra hos fatuos Principes Tanaos,cõtra Paſtores ſtultos, vel potius idola paſtorum, contra ſe ipſos potius paſcentes, contra væſanos Prophetas,contra ſacerdotes contemptores, atq; arrogantes,contra ſtercus ſolennitatum, contra popularis plauſus captatores, contra inexplebiles pecuniæ gurgites, cæteraſque peſtes Propheticus ſermo declamat. Vix aliàs ſancti Patres plenioribus velis feruntur in pelagus,quàm cùm de ſacerdotali contumelia oratio eſt. Gregorius certè vterque,& Romanus,& Nazianzenus, tam diſertè,& copioſè,vt nihil ſupra. Huius Apologeticum, Paſtoralem illius nemo eſt, qui ſine ſumma trepidatione legere queat, modò ſenſus aliquid habeat. Auguſtini iam presbyteri plenos dolore gemitus ad Valerium Epiſcopum ſuum quis ſine pudore vſurpati à ſe nominis ſacerdos audiat? Cunctationem recuſationemq; ſacerdotij apud

Malach. 2.
Eſaiæ 19.
Zach. 11.
Ezech. 34.
Soph. 3.
Malach. 2.
& 3.
Hier 5.
Mich. 3.
Epiſt. 148.

In lib. de ſacerdotio. tij apud Ioannem Chryſoſtomum quis ſi virum inſpiciat, non miretur? ſin orationis vim totis quatuor libris attendat, non aſſentiatur? Quid Hieronymi nimia pene modeſtia, atque humilitas Epiphanij literis conteſtata, qui diu à tremendo altaris myſterio celebrando abſtinuit, idque cùm in monaſterio verſaretur, in quo multitudo fratrum nullum alium presbyterum haberet excepto Vincentio, qui eadem verecundia ne ipſe quidē ſacra faciebat? *In epiſt. ad Ioannē Hieroſolym. tra ducta ab ipſo Hieronymo.* Verùm, niſi fallor, hos omnes ſicut antiquitatis authoritate, ita orationis ſublimitate, & grandiloquentia quadam ſuperare videtur Dionyſius magni Præceptoris magnus ipſe diſcipulus. Is in epiſtola quadam ad Demophilum indignos munere ſuo ſacerdotes his verbis obiurgat, *Epiſt. 8. ad Demophilū Monachum.* Si igitur quæ illuminat, ſacerdotum eſt ſancta diſtinctio, procul dubio ille à ſacerdotali ordine, & virtute omnino prolapſus eſt, qui illuminans non eſt, multoque ſanè magis, qui neque illuminatus eſt. Atque vt mihi quidem videtur, audax nimium huiuſmodi eſt, ſi ſacerdotalia munia ſibi aſſumit: neque metuit, neque veretur ea, quæ ſunt diuina præter meritum perſequi, putatque ea latere Deum, quorum ſibi ipſe conſcius ſit, & ſe Deum fallere exiſtimat, quem falſo nomine appellat patrem, audetque ſceleſtas blaſphemias ſuas (neque enim preces dixerim) ſacris aris inferre, eaſque ſuper ſigna illa diuina ad Chriſti ſimilitudinem dicere. Non eſt iſte ſacerdos, non eſt, ſed infeſtus, atrox, doloſus, illuſor ſui, & lupus in Dominicum gregem ouina pelle armatus. His plura aut maiora de Euangelici miniſterij, & culmine, & præcipitio qui expectat, cuique ad reſipiſcendum

non

non iſta ſufficiunt, infatuatum ſe iuxta Domini ſententiam,& nullo vnquam ſale ſaliri poſſe demonſtrat. *Matth.5.*

Inter Indos maximè ſacerdotes præſtare oportere.

CAPVT II.

AT vulgaris eſt, inquiunt, iſthæc ſacerdotalis officij cõmemoratio, vetus iſta querela eſt, quam declamas. Eſt ita ſanè, non diſſentior. Verùm nuſquam æquè neceſſaria commonefactio, à nemine magis excellentia illa flagitanda, quàm ab eo, qui animas verbo Dei lucrifaciendas Chriſto ſuſcepit, & animas infidelium, idque apud Indos, hoc eſt, vbi adiumenta habiturus ſit pauca, impedimenta quàm plurima. Vbi quo præclarius opus aggreditur, tanto in maiore periculo verſatur, ne dum quærit alios, ipſe pereat, imò, verò ne & ſe, & alios perdat, quod vtinam non tam verè,& crebrò vſurparet ſermo diuinus, Laqueus ruinæ populi prophetæ. Vtinam væ illud ex ore veritatis non audiremus, Væ vobis qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non intratis, & introeuntes non ſinitis intrare. Etenim vbinam gentium illa veriùs Zacharias proferre poſſit ignoro, De pecoribus occiſionis, quę qui poſſederant, occidebant, & non dolebant. Et vendebant ea dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti ſumus, & paſtores eorum non parcebant eis. Quis verò non ſanctas iſtorum voces audit, cùm Deo gratias agunt, quod de ſacerdotio, & doctrina Indorum ditati ad patriam argento onuſti remeant? Et dicentes, Benedictus Deus, diuites facti ſumus, non tamen parcunt gregi, vt ait ſermo diuinus.

Oſee 9. *Matth.23.* *Zach. 11.*

diuinus. Sed voment aliquando, quæ malè glu-
Zach. 11. tierunt, & gement, qui nunc triumphant. Vox
vlulatus paſtorum (ita enim ſequitur) quia vaſta-
ta eſt magnificentia eorum, vox rugitus leonum.
Et ego non parcam, ait Dominus, ſuper habitan-
tes terram. Tota ergo deſolatio terræ inde pro-
1. *Reg.* 4. fectò venit. Propter nefaria admiſſa Ophni &
Phinees, ipſi quidem intereunt, populus autem
ſanctus turpiter terga vertit, & quod eſt dolen-
dum, arca Dei ab hoſtibus capitur, & ludibrio
Ezech. 22. habetur. Quærit Dominus virum, qui ſtet oppo-
ſitus pro domo Iſrael, neſcio an inueniat. Paſto-
Hier. 10. res, inquit, ſtultè egerunt, & Dominum non quę-
ſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis
eorum grex diſperſus eſt. Nulla ergo alia cauſa
quærenda eſt, cur Domini greges in his ſaltibus
diſperſi errent, quàm verorum paſtorum magna
penuria in tanta mercenariorum minimè lupos
arcentium copia. Neque fruſtra Paulus cùm de
2. *Tim.* 2. prædicando Euangelio præcepta dat, Timotheũ
dilectum monet, ſolicitè cura te ipſum probabi-
lem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem,
Philip. 3. rectè tractantem verbum veritatis. Sunt enim o-
2. *Cor.* 11. perarij mali, ſubdoli, qui non tam Chriſto ſer-
Rom. 16. uiunt, quàm ſuo ventri. Hi multi & multiplices
Hierem. 12. nomine paſtores, re vera verſipelles lupi demo-
2. *Corinth.* 4. liti ſunt vineam Domini Sabbaoth, cauponan-
2. *Cor.* 2. tes verbum Dei ſecundùm Apoſtolum, qui
magnitudinem Euangelici prædicatoris admi-
rans, & pondus Apoſtolici officij expendens, ve-
hementer exclamat: Et ad hæc quis tam idoneus?
Verè enim Apoſtolicos homines poſtulat Apo-
ſtolicum munus, Crucem Ieſu Chriſti & verbis,
& factis annuntiandi, & in illius obſequium or-
bem vni-

bem vniuerſum redigendi. At nos aliter cenſere ſolemus, Et ad hæc quis non idoneus? Ad Indos docendos quis nō ſufficit, etiam ſi literis vacuus, etiam ſi moribus non ornatus? Quò minus mirandum eſt, ſi vbi ſementis faciendæ cura contemnitur, nullus ibi, aut rarus fructus appareat. Mihi ſanè iam dudum certa, & fixa ſententia eſt, Indicæ Meſſis inopiam operariorum vitio, non telluris ſterilitate contingere.

Contra eos, qui Indorum tarditatem accuſant.

CAP. III.

NEque eos audiendos puto, qui quam in ſe deberent agnoſcere, ac dolere culpam, in Indos reijciunt, illorum ingenia nuſquam non vituperantes, noſq; dum contra aſſerimus, rudes rerum, imperitos, tyrones, infantes clamant, qui inepta quadā pietatis ſpecie facilè decipiamur: ſe veteranos, expertos, ſcientes, facto periculo, certa, & explorata proferre. Qui mihi Sibæ illius, quem Regum hiſtoria narrat, calliditatem imitari videntur, qui claudum Miphiboſet herum ſuum, dum pro ſe non poteſt occurrere, & ſerui commenta diluere, accuſans, proditionem ſuam in illius criminationem vertit, atq; hoc aſtu eum de omni fundo depellere pergit. Sed Dominus erigit eliſos, & ſoluit compeditos, & illuminat cæcos, pupillum & aduenam ipſe ſuſcipiet. Accuſant igitur Indorum tarditatem ad capiēda Fidei myſteria, obtuſos eſſe, hebetes, truncos, qui nihil præter ſua farra, ciboſq; craſſos cogitare queant, ad cœleſtia, & ſpiritualia cognoſcenda ſtupidi, brutique ſint. Fruſtra in ijs edo-

2. Reg. 16.

Pſal. 145.

çendis tempus teri, denique poſt annos iam quadraginta ab Euangelij ingreſſu in tam immenſa turba vix quemquam reperiri, qui ſymboli duo capita intelligat, quid Chriſtus ſit, quid vita æterna, quid Euchariſtia, vel craſsè agnoſcat. Pecudes potius habendos, quàm homines. Verùm qui iſta iactant, reſpondeant mihi velim, qua diligentia, qua induſtria, qua conſtantia iſtos ipſi erudierint, aut ab alijs eruditos norint. Recitatur bis terue in hebdomada ſymbolum, idque Hiſpanico idiomate, cæteræque orationes eodem modo: iubentur deinde Hiſpanica iſthæc ediſcere, ac memoriter recitare, quorum ne ſyllabam quidem intelligunt, & pronuntiant ridiculè. Vulgaris, ac tritus doctrinæ tradendæ iſte eſt modus. Huc vſque Euangelici Catechiſtæ cura ſe porrigit. Vbi elegantius exquiſitiuſque res agitur, procedit eatenus, vt ſermone Indico cōpoſita quædam in catechiſmi formulam pueri recitent, quæ ipſe ſacerdos ne attingit quidem, plerumq; quia haud intelligit, quippe cùm præter paucas voculas ad ſeruitia imperanda, ciboſue petendos, linguæ Indicæ prorſus ſit infans. Quod ſi peritus ſit, quod rarum eſt, myſteria fidei, & regulas neque explanat, neque verò ſatis nouit, inepta quædam & friuola concionatur, vt mentam belli tempore dicas, ſi quā fortè attingit, ita alienè, ita parum auditorum ſenſibus accommodatè, vt nihilo magis intelligantur. Quis verò vnquam Catechiſta rationem auditorum exegit? Quis interrogando ex ignotis nota fecit? Quando Indus audiuit à ſacerdote ſuo, Heus tu fac memineris à me dictorum, penſum hoc in triduum tibi tribuitur, vt Chriſtum, quem nos

Chriſtia-

Chriſtiani adoramus, quemque illic imagine expreſſum vides, & Deum eſſe ſcias regnantem in cœlo, ex omni æternitate, & hominem factum in terris propter donandum nobis regnum cœlorum. Si rectè reſponderis, laude, & præmio afficieris, ſin perperam, publicè lues? Quid ſimile vnquam factitatum? Denique perinde Indis doctrina traditur, atque cùm à mendicis ſtipis colligendæ cauſa precationes, aut verſus aliqui cantillantur, qui illud tantùm ſpectant, vt dicendo ipſi ad finem vſque perueniant carminis, vtrum verò auditores, vel attendant, vel delectentur, pecunia iam accepta, non admodum curant. Tota ergo catechizandi ratio vmbratilis eſt, & ludicræ ſimilis. Ego verò ſi homines ingenio acerrimo, & diſcendi percupidi tales præceptores nacti eſſent, nihil aliud quàm vt duplo ignorantiores euaderent, doceri iſto modo arbitrarer. Olim in ſymbolo addiſcendo, & intelligendo, myſterijſq; Fidei agnoſcendis viri ingenio præſtantes, & literatura celebres diu in catechumenorum ordine tenebantur, cùm Eccleſiaſtica diſciplina vigeret, neq; ante ad Fidei Sacramētum admittebantur, quā multas ab Epiſcopo de ſymbolo conciones audiſſent, diu & multum cum catechiſta contuliſſent, poſt quas omnes curas, & meditationes, magnum erat, ſi recta ſentirent, conſentanea reſponderent, quòd religionis noſtræ myſteria altiſſima, vt re vera ſunt, ac difficillima intellectu haberentur: & nos valde ſupini, atq; oſcitantes grauiter Indos vituperamus, tardos, ac ſtupidos criminamur, ꝙ ea non teneant, quæ neq; tradidimus ipſi, neq; ab alijs illi accipere potuerūt, ſublimia præſertim, & ab eorū ſenſu

& conſuetudine longè remota? Alioquin ſi tanta iſtorum eſt hebetudo, tam obtuſum ingeniū, quid cauſæ eſt, quod Fidem à nobis cùm non didicerint, didicerunt tamen alia tam multa, tam difficilia, ipſis omnino antea inaudita, idque tam probè, vt cum noſtris certare queant? An non muſicos modos, & numeros tum voce, tum tibijs, & plectro paſſim per quàm concinnè reddentes Indos audimus? quidam etiam componentes peritos cantus Magiſtros videmus? An non Eccleſiaſtica officia peragere ritè ſolēt? Scribendi, pingendi, & quiduis fingendi alios aliàs artifices quis ignorat? Quid quod lites ipſi, & intendere, & depellere mirè iam norunt, cum heris vt ſuis ſæpè contendere, interdum etiam ſuperare videamus? Quæſo vnde artes iſtas hauſerunt? à quibus didicerunt? An ad iſta omnia ingenioſi & prompti, ad ſola ſaluti ſuæ neceſſaria documenta inepti, & tardi? An potius ſi quam in iſtis humanis magna etiam ex parte non neceſſarijs curam vigilantiamque præſtiterunt noſtri, parem in doctrina Fidei tradenda præſtitiſſent, non ita tardos diſcipulos offendiſſent, non ita ignaros reliquiſſent? Equidem ſic opinor, neque ab ea opinione auelli vnquam potero; quin peſſimo præceptori, omnes eſſe auditores hebetes credam. Certè huius Regni Piru multo maximam partem diligenter luſtraui, & vt de cæteris Indorum nationibus nihil modò pronuntiem, hos ingenij expertes nullo modo perſpexi, quin magna ex parte ſubtiles, acutos, quiduis ſimulandi, ac diſſimulandi non imperitos artifices.

Polus in Prol.

Contra

Contra eos, qui peruerſitatem morum Indorum Fidei non receptæ cauſam aſſerunt.

CAPVT IIII.

ID ita habere cùm pleriq; fateantur, tamen ab Indorum accuſatione non recedunt:ſed alia ex parte eos adoriuntur, vt ignorantiam non ſuo, ſed iſtorum vitio tribuendam probent. Aiunt acutos quidem eſſe, neque ingenij expertes: verùm natura prauos, ad malum procliues, boni omnis hoſtes, ſapientes, vt faciant malum, bonum autem facere neſcire: tanta peruerſitate ſalutaria ſibi faſtidire, vt non ſolùm ad intelligendum, & diſcendum nihil laborent, ſed etiam ſtatim reſpuant, atque auerſentur, ita nihil illis hærere memoriæ, nihil intelligentia percipi, propterea quod voluntate ad Chriſtiana omnia alieniſſima ſunt. Argumento eſſe manifeſto, quòd Chriſtianorum conſortia diligenter euitent, ad Eccleſias non niſi inuiti coëant, patres ſpirituales ſuos, ſi paulo accuratius eorum mores emendare pergant, conſpiratione facta per falſas criminationes ab ſe depellant, nihil pium, & ſalutare niſi per vim agant, præſente tantùm Sacerdote Chriſtianos ſe ſimulent: clanculum vbi datur facultas, auitas ſuperſtitiones ſtudioſiſſimè obeant. Denique ipſos cultiores, & elegantiores inter noſtros nutritos, quos Ladinos appellare ſolemus, quos oportebat magis Chriſtianis moribus pollere, decuplo cæteris eſſe peiores, cuiuſuis ſceleris egregios fabricatores. Pueros, qui ad ſpeciem pij, probique ſint inter noſtros, vbi primùm ſe ad ſuos receperint, ne *Hier.4.*

guſtum quidem probitatis vllius præferre, ſed cæteris grauiora audendi duces eſſe, & Magiſtros, vt in iſtos omnes vetus condemnatio per-
Sap. 12. manere videatur, Quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & non poteſt mutari cogitatio eorum in perpetuum. Atq; hæc ſanè differunt non ij ſolùm, qui negligentiæ, ac ſomno ſuo præferre excuſationem vndecumque velle videntur; verùm etiam homines pij, religioſi, non indiligentes, & qui pro longo rerum vſu eximiè iſta callere exiſtimantur. At niſi ego vehementer fallor, horum quoque oratio magna ex parte aberrat à vero. Non enim ideò Euangelium ab Indis receptum non eſt, quia illorum mores praui ſunt, ſed ideò potius moribus prauis ſunt, quia Euangelium non receperunt. Prudenter, & verè quidam noſtrum ſcripſit Pater, non videri ſibi ad Indorum horum animos penetraſſe Euangelium, ſed ad ſpeciem tantùm receptum: neque enim fieri poſſe, ſi in intimis ſenſibus radices egiſſet, quin copioſos, manifeſtoſq; fructus cerneremus. Quid enim potentius verbo Dei? quid ad immutandos homines efficacius? An eſt vlla tanta peruerſitas morum, quam non emendet ſpiritus Chriſti? An eſt vlla tam effuſa barbaries, tam horribilis feritas, quam non domet, ac manſuefaciat lex gratiæ, ſi penitus ani-
Matth. 9. mo admittatur? Certè Dominus vocare venit peccatores, non iuſtos ad pœnitentiam. Opinor
1. Cor. 6. Paulum ijs prædicaſſe, quibus dicebat, Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Obſecro, quænam intelligit, cùm dicit, Hæc quidē fuiſtis?
Non

Non ſolùm egiſtis, verùm etiam conſuetudine in illà veluti verſi eratis. Quæ illa? Relege ſuperiora. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neq; fures, neque auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et hæc, inquit, fuiſtis. Non video quæ his horribiliora noſtris barbaris obijci poſſint. Et tamen ex illis fæcibus, ex tanta ſentina mundauit Dominus ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. In ouili Dominico Leonem, & pardum, & vrſum ſimul cum oue, vitulo, & agno futuros, & omni feritate depoſita eodem pabulo paſcendos diuinus Propheta deſcribit. Quin etiam venenoſas omnes beſtias luſui potius, quàm horrori futuras, cùm primùm paruuli manum ſenſerint. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. Huic igitur ſalutari aquæ diuini ſermonis, huic lauacro puriſſimo, & fœcundiſſimo nulla eſt tam peſtilens plaga, quæ non cedat, modò vim illius admittat. Et qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur. Et mox poſt pauca, Et leuabit ſignum in nationes, & profugos Iſraël congregabit. Tanta ferarum, & venenatorum commemoratione quid aliud ſignificat Spiritus Sanctus, quàm nullius nationis, aut gentis quamuis noxios, quamuis malignos mores Euangelicæ gratiæ obſiſtère poſſe, ſed cedere, cùm primùm illius Paruuli de

Tit. 2.

Eſaiæ 11.

Ibidem.

radice

radice Ieſſe ſignum acceperint, vimque perſenſerint? Hoc tam illuſtre & Apoſtolicum, & Propheticum teſtimonium credo nemo contemnet. Sed cur in illius temporis gentibus iſta locupletiſſimè impleta legamus, in noſtri ſæculi gentibus potius deſideremus, quid putas cauſæ eſſe? Profectò ſi merita inſpicias hominum, non erant illi meliores; ſi naturam, vtrique homines, vtrique eadem maſſa infecta propagati. At illi ingenio & quodam vigore naturæ longè ſuperiores. Prorſus ita eſt. Verùm quid hoc? An contemnemus Paulum contrà admonentem, Videte vocationem veſtram, fratres, quoniam non multi potentes, non multi nobiles, non multi ſapientes ſecundùm carnem, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret? Quã copiosè, quàm fortiter iſtos naturæ obſeruatores, & venditores refellit diuinus Apoſtolus, adeoque naturæ noſtræ imbecillitatem, & abiectionem non repugnare gratiæ oſtendit, vt etiam commodiorem affirmare videatur, propterea quod humilitatem plurimum iuuat, quæ ad gratiam conſequendam, & prædicandam maximi fit. Hos ergo cùm natura vſque adeò humiles, vſque adeò manſuetos, & patientes cernamus, qui poſſumus inde Euangelij introitum excuſare, vnde maximè inuitatur? Sed neque iſti vſque adeò inepti ſunt, neque ita ſtupidi, neque verò ab æquo, & honeſto tam auerſi, quin, ſi ſuo quodam more ducantur, non facilè conſentiant, tametſi cum antiquis illis ingenij cultu & do-

1. Cor. 1.

ctrinæ exercitatione nullo modo ſint comparandi. Cur ergo illorum tanta meſſis, horum tam tenuis, & inops? Expende omnia ſubtiliter, & ad altiorem reuoca intelligentiam, inuenies potiſſimam cauſam in eo eſſe, quod diuinis, & occultis quidem, ſed iuſtis conſilijs, antiquis gentibus prædicatores fuerint prædicatione ſua digni, cùm noſtris tam ſint pleriq; indigni, vt longè plus euertant, ac diſſipent, quàm ædificent, atque plantent. Itaq; præcipua cauſa ad miniſtros parum idoneos redit. Quæ namque eſt prædicatio noſtra? quæ fiducia? Signa certè non edimus, vitæ ſanctitate non eminemus, beneficentia non inuitamus, verbi ac ſpiritus efficacia non perſuademus, lachrymis, ac precibus à Deo non impetramus, imò ne magnopere quidem curamus. Quæ ergo noſtra querela eſt? quæ tanta Indorum accuſatio? Pudere nos potius deberet vitæ noſtræ, horrori eſſe tantus Dei contemptus, odio eſſe tam ſupina fratrum noſtrorum pereuntium obliuio. Et cùm ad Apoſtolicum hocce munus gentibus Chriſtum Euangelizandi deberemus eſſe lectiſſimi, ſapientia, & ſanctitate mirabiles, venimus ſordidiſſimi quique & omnibus rebus extremi, vbi illud eſt: Parati omni poſcenti vos *1. Pet. 3.* rationem reddere de ea, quæ in vobis eſt, ſpe? vbi & illud. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis *Matth 11.* corde? & Filius hominis non venit animas per- *Lucæ 9.* dere, ſed ſaluare? Atque illud fixum, ratumque maneat ſine vlla dubitatione, quod Indi non induerint Chriſtum maxima ex parte miniſtrorum tum negligentiæ, tum improbitati eſſe tribuendum.

Meſſem

Meſſem eſſe copioſam, modò operarij idonei non deſint.

Capvt V.

QVamobrem rectè prudenterque ſcripſit Polus rerum Indicarum & indagator curioſus, & æſtimator prudens, tribus ex cauſis videri ſibi, tam multo tempore, tam modicum promouiſſe Euangelium apud Indos. Primùm quòd exempla praua noſtrorum hominum fidem prædicationi Euangelicæ derogarint. Deinde quòd in cognoſcendis, extirpandiſque erroribus, ſuperſtitioſiſque opinionibus nullam prædicatores operam collocarint. Poſtremò, quòd vtilitatibus, politicæque adminiſtrationi Indorum vix ſerò conſuli cœperit: quibus ex omnibus ſubtiliter ille colligit, falsò Indorum nationem, aut tarditatis, aut pertinaciæ accuſari, cùm neq; rectè viuendo, neq; aptè docendo à noſtris ſint conuenienter legi Euangelicæ inſtituti. Neque dubitandum eſſe, ſi illa, vt par eſt, adhibeantur, quin futurus ſit fructus longè copioſior opinione multorum. Nouimus ipſi qui pro vulgari exiſtimatione de ingenio, ſaluteque Indorum deſperatè ſentirent, & ab ijs edocendis vehementer abhorrerent, qui mox obedientia perurgente animum appellentes ad rem, fideliterque miniſterio ſuo functi, ante non longum tempus tanta de inſperato fructu ſpe ac voluptate perfunderentur, vt nihil ſibi acerbius cogitarent, quàm vt ab Indorum doctrina auellerentur, qui nobis palam, ſerioque confirmant, ſeſe facto periculo abundè didiciſſe non mediocres fructus ſperari debere, modò ſacerdotes diligentia, & tolerantia operi ſuſcepto

ſuſcepto non deſint. Neque verò ita nihil eſt actum hactenus, neque labor omnis ante actus adeò caſſus & irritus, quin ſi & tempora tumultibus plena cogitentur, & curæ miniſtrorum, vt parciſſimè dicam, ſua magis, quàm Chriſti quærentium, non amplius effectum ſit, quàm eſſet meritò expectandum. Neque tam ſunt Indi omnes infideles, neque vſque adeò à Chriſto alieni, & auerſi, vt plerique iactant. Nouit Dominus qui ſunt eius. Profectò Ianaconæ noſtri, id eſt, Indi nobis familiares, ſi quemadmodum fidei noſtræ aſſueſiunt, ita etiam mores Chriſtianos ſpectarent, non dubitandum eſſet, quin ſicut fide & notitia religionis Chriſtianæ cæteros Indos Atunlunas longè excellunt, ſic etiam morũ integritate ſuperarent. Sed quæ vident, diſcunt. Rectè credentes vident, credunt & ipſi rectè: improbè agentes vident, diſcunt & ipſi improbè agere. Ego certè opinor non ſolùm ætate noſtra, ſed ſuperioribus quoque patres noſtros in gentes horridiores, & magis à vero auerſas incidiſſe, fructificaſſe tamen copiosè, quod diligentia, ardore, patientiaq; ſua difficultates omnes euicerint. Legat qui volet antiquos Anglorum mores: duriores noſtris Indis inueniet: at Auguſtinus, Laurentius, Iuſtus, Mellitus, cæterique à Sancto Gregorio miſſi quanta effecerunt, quàm glorioſa in Inſulæ illius conuerſione? Turingos, & Saxones, aliaſq; nonnullas Germaniæ nationes vſq; adeò barbaras extitiſſe olim, vt nihil magis ſanctorum Pontificum Gregorij ſecundi, & tertij, itemq; Zachariæ reſponſa Apoſtolica ſatis indicant. Ab vno tamen Bonifacio à ſede Apoſtolica prædicationis cauſa miſſo quãta multitudo ſub

Beda in hiſto. Anglo.

In tertio tomo Conciliorum prope initium.

Greg. tertius in epiſt. vlti. ma ad Boni- facium.

do ſub leue Chriſti iugum ceruices dedit? Ad centum millia hominum non longo tempore idem Pontifex ſcribit ſacro baptiſmate ablutos. Quid noſtri Hiſpanienſes Aſtures? quid Cantabri olim? An non per viros Dei manſuefacti, & feritate exuta, humanitati quodammodo redditi ſunt? Quid de Malachia, quem libro primo commemoraui? quid de cæteris dicam, qui nō ſolùm Græcis, & ſapientibus, ſed barbaris quoque & inſipientibus Euangelium ſalutis æternæ impertiti ſunt? Quod ſi magis recentia, & noſtris proxima deſiderantur, nō obſcurę famę eſt quicquid in Prouincia Veræ Pacis Dominicanæ familiæ patres egerunt, cùm Indos filiorum loco haberent, ab ipſis verè parentes agnoſcerentur; illeq́ue in primis Frater Ioannes, niſi fallor, nomine, vir Sanctus, & Prophetiæ ſpiritu clarus. Eodem modo, & Minoritæ, & Heremitæ, cæteriq́ue, vel monachi, vel clerici zelo Fidei, & ſalutis animarum ſuccenſi, non exiguam apud nos laudem, apud Chriſtum etiam cumulatum præmium laboris ſui conſecuti ſunt. Noſtros verò quid attinet dicere in India Orientali, quorum ſudores pro Chriſto fœliciſſimi extiterunt? qui ad fines vſque terræ bonum Chriſti odorem diffundentes, vel ipſa commemoratione rerum geſtarum animos Dei amantes exhilarant, atque imitandi ſtudio vehementer inflammant. Quorum Dux Sanctus Magiſter Xauier Apoſtolici temporis ſplendorem, & claritate ſignorum, & rerum magnitudine, & laborum tolerantia renouaſſe videri poteſt. Quid huius ſectatores Magiſter Gaſpar in India citeriori, Coſmas Torres in Iapponia, Ioannes Nobrega in nobis continenti

D. Bernar. in vit. illius.

Lib. 3. de vita Ignatij. cap.

Literæ Patrum ſocietatis ex India Orientali.

tinēti Braſilea, reliquiq; patres ſpiritu feruētes, *Rom.12.*
parati pro fratribus animas ponere, & ſe ipſos *1.Ioan 3.*
impendere, ac ſuperimpēdere Euāgelio Chriſti? *2 Cor.12.*
ꝙ & fecēre non pauci. Omnino ſi tales Indorum
populis diuino dono Miniſtri contingerent, meſ
ſem eſſent inuenturi lætiſſimam. Verùm Paulus
Apoſtolus illo iam tempore, quo primitiæ Spi-
ritus ſancti effuſæ ſunt, dolet, ac deplorat omnes *Phil 2.*
quærere, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, &
ſe vix vnum Timotheum vnanimem, & ſynce-
rum coadiutorem habere, quid nos dicemus,
qui in fæces mundi incidimus, quando & chari-
tas multorum refrixit, & veniens Filius hōmi- *Mat.24.*
nis vix fidem in terra inuenturus eſt? Attamen *Lucæ 18.*
obſequendum eſt diuino præcepto, & aſſiduis,
ardentibuſque precibus rogandus eſt Dominus *Mat.10.*
meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam, qui
non verbo, & lingua tantùm diligant, ſed opere, *1.Ioan 3.*
& veritate ſe ipſos idoneos noui teſtamenti mi- *2.Cor.3.*
niſtros præbeant. Atque id quidem, vt Pater mi-
ſericordiarum, & Deus totius conſolationis In-
dorum Eccleſiæ largiatur, plena fiducia ſperan-
dum eſt, quia ſine illo nihil poſſumus facere, qui *Ioan.15.*
quos vult, ponit, vt eant, & fructum plurimum
permanentemque afferant. Sed quod noſtra in-
tereſt, quales eſſe oporteat tāti operis miniſtros,
in quo rei bene gerendæ ſpes omnes ſitas eſſe
monſtrauimus, ipſo Deo noſtro adiuuante, ac-
curatè deinceps perſequemur.

De peritia Indicæ linguæ neceſſaria.

CAP. VI.

TRIA in omni Chriſti miniſtro, qui Indo-
rum ſalutem ſit curaturus, quærenda ſunt,

vita integra, doctrina idonea, copia ſermonis: quorum ſi deſit aliquid, & alijs profuturus non eſt, & periculum animæ ſuæ non leue ipſe ſuſtineat. De his modò ſigillatim pro re præſenti dicendum eſt. Atq; vt ab extremo ordiar, loquendi facultatem ei, qui docēdi partes ſuſcipiat, adeſſe oportere nemo dubitat. Quamobrem Apoſtolos ſuos non ante ad docendas gentes Chriſtus miſit, quàm gentium linguis ſpiritus dono loquerentur. Fides enim, ſine qua ſaluus eſſe nemo

Rom. 10. poteſt, ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei. Hîc ergo ſita eſt ſalus gentium in verbo Dei: quod ſanè ad homines peruenire non poteſt, niſi vocibus hominum deferatur, quas qui non percipit, verbi Dei vim ſentiet nunquam. Qua vna in re vel maximè ſudare oportebit ſeruum Chriſti, ſi hominum amat ſalutem. Quanquam enim duri, ac permoleſti labores ſunt alienę linguæ diſcendæ, barbaricæ præſertim, tamen & glorioſa victoria eſt, & dulciſſimi fructus, & Dei charitatis illuſtre teſtimoniū. Occurrere animo debet ſanctus Ioſeph, qui inter alias ærumnas ſuas non

Pſal. 80. leuem illam expertus eſt, vt linguam, quam non nouerat, audiret. Idem procedente tēpore in ea regione, cuius peregrinam linguam didicit, ſalutis princeps, & autor ſingularis, qui adeò familiarem ſibi effecerat Aegyptium ſermonem, vt pa-

Gen. 42. terni quaſi eſſet oblitus, cum fratribus Hebraicè per interpretem colloqueretur. Igitur ſi quis ſalutis Indicæ ſtudio imflammatus eſt, ſibi is ſeriò perſuadeat, nihil præclarum ſperare oportere, niſi ſermonis colendi prima, indefeſſaq; cura ſit. Si enim is, qui ſupplet idiotæ locum ad tuam benedictionem, quam non intelligit, non poteſt dicere,

cere, Amen: quamuis enim tu bene gratias agas, 1.Cor.14.
ſed ille nihil ædificatur, quonam modo concionanti
tibi quamuis mirabiliter, quamuis diuinè
de Chriſto, populus ignotæ linguæ, & profundi
ſermonis reſpondebit in corde ſuo Amē, hoc eſt,
animi præbebit aſſenſum? Quomodo quamuis tu
rectè loquaris, ædificabitur ad Fidem & dilectionem
frater, cùm voces tantùm ſparguntur in vētum,
ac more Babylonicæ confuſionis qui ſermonibus
diſſident, nequaquam ſenſu animiſque cōſpirant?
Mihi attentè ſæpe diuq; de ſalute Indorum
procuranda cogitanti nihil commodius, nihil
certius venire ſolet in mentem, quàm vt homines
probati, atque integri, ſermonis Indici
curam ſuſciperent, familiariſſimam conſuetudinem
haberent; copiamque ad dicendum ſibi
pararent cùm arte, tum exercitatione diuturna.
Valde enim mihi perſuadeo ita futurum breui,
vt Euāgelium Chriſti ad animos iſtorum penetraret,
& vires ſuas expromeret, quod in hodiernum
diem plurima ex parte tantùm auribus Indicis
inſonuiſſe, non etiam intima cordis penetralia
pulſaſſe videtur. Neq; enim alia via orbis
terrarum reliquus ad gratiam Chriſti peruenit,
quàm verbi Dei forti inſtantiâq; prædicatione,
ſicut in Actis Apoſtolorum ſæpe legimus, & Eccleſiaſticæ
omnes hiſtoriæ tradunt. Neque verò
alius aditus, aut alia via nationi Indorum ad
Chriſtum aperienda eſt, quàm aſſiduæ efficacis
ipſiſq; accommodatæ prædicationis verbi Dei.
Qui ſecus opinatur, etiam atque etiam errat.
Nam præter documenta diuina plurima eademq;
grauiſſima, atteſtatur nobis copioſiſſimè

rei experientia. Videmus Indos, ſi quem nacti fuerint linguæ ſuæ peritum concionantem, attentiſſimè audire, magnoperè delectari facundia, impetu ipſo dicentis rapi, atque ore hiantes oculis immotis hærere ſuſpenſos. Quod ego in ſociorum concionibus cùm notarem, adeò capiebar noua Indorum attentione, & voluptate, vt præ gaudio penè geſtirem, ſpe concepta ſalutis iſtorum pergrandi, ſi modò aliquot nobis, vel Pauli, vel Apollines eloquentes adeſſent. Neque illi ſanè diſsimulabant, quomodo afficerentur, cùm ad alios alij conuerſi dicerent, Nunquã ſe Chriſti legem talem cogitaſſe, aut audiſſe, alij ab illo ſibi patre cor ipſum ſcindi, dum verba de Deo faceret, affirmarent. Quod ſi qui populi aliquid vel intelligentiæ, vel probitatis præſeferunt præ cæteris, inueniuntur ſine vlla exceptione ij eſſe maximè, qui ſacerdotes, aut habuerunt, aut habent veteranos ſermonis ſui peritos. Perditiſſimi verò omnium, qui nouos & imperitos miniſtros ab Hiſpania recentes ſortiti sũt, quorum infantiam egregiè rident, elingueſque contemnunt.

De Parochis Indici ſermonis ignaris.

CAP. VII.

QVi tales igitur ad docendos Indos accedũt, non ſolùm parum alijs proſunt muti ipſi & elingues, ſed ſibi etiam officiunt non mediocriter damnationis periculum ſubeuntes, quod id oneri ſibi imponunt, quod portare non poſſunt, quorum vel auaritia, vel arrogantia tanta ſit, vt vltra quàm poſſint, conentur facere, qui mercenarij cùm ſint, non paſtores, oſtendunt abundè
Hier.4?.
nihil

nihil ad ſe pertinere de ouibus, propter pugil- *Ioan 10.*
lum ordei, & fragmen panis animas viuifican- *Ezech. 13.*
tes, quæ non viuunt. Sunt huius generis hodie per quàm multi, qui iniuncto muneri doctrinæ Indorum copioſè ſe ſatiſfacere exiſtimant, Orationem dominicam, & Symbolum, ac ſalutationem Angelicam, tum præcepta Decalogi Hiſpanico idiomate identidem Indis recitantes, eorum infantes baptizantes, mortuos ſepelientes, matrimonio iuuenes collocantes, & rem ſacram feſtis diebus facientes. Hæc ſumma doctrinæ eſt, ita ſe parochi officio fungi ſatis ſuperq; opinantur, neque interim conſcientia, quam vtinã cauteriatam non habeant, mordentur, quod diſ-
perſæ ſint oues Domini, eo quod non ſit paſtor, *Ezech. 34.*
factæque ſint in deuorationem omnium beſtiarum agri, errentque in cunctis montibus, in omni colle excelſo, neque ſit, qui requirat quod perijt, nec qui reducat abiectum. Nam quomodo verbo fidei reducent, qui linguam non habent? quibus vocibus lupos arcebunt, oueſque nominatim vocabunt, qui nullo modo, quid loquan-
tur, intelliguntur? Oues, inquit, vocem eius au- *Ioan. 10.*
diunt. At vocem audíre non poſſunt, quam paſtor proferre non nouit. Atque accipiat licet quiuis, vt volet, quod dicam: rigidum & moroſum appellet, nihil moror: ego eum ſacerdotem, qui linguæ Indorum ignarus eſt non niſi cùm animæ ſuæ iactura Parochi officium ſuſcipere poſſe iam pridem, & opinor, & aſſero, quod etiã manifeſta ratione demonſtro. Duo ſunt de neceſſitate ſalutis, Fides, & Pœnitentia. Fidem docere ac prædicare non poteſt ſermonis expers: Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare non poteſt,

qui neque quæ confitetur Indus intelligit, neq; quæ præcipit ipſe, intelligitur: Eum verò, qui neque inſtruere in Fide, neq; in Pœnitentia iuuare poteſt ſibi commiſſas oues, paſtoris nomen ſine grandi crimine vſurpare nemo rectè ſibi perſuaſerit. Aiunt ſe per interpretem ſuos inſtruere, ac docere, quid credant, quid agant, quid fugiant. Atqui interprete vtuntur plerumq; vel infido, vel imperito, qui vix intelligat ipſe, quæ audit, vix etiam exponere norit, quæ intelligit, vtpote Indus ipſe quoq;, vel ab Indis prognatus, qui neque res, neque ſermones noſtros ſatis plerumq; callet. Vt omittam, quàm ægrè, quamque frigidè per alienam linguam ſenſus tranſmiſſus veniat, atq; in ipſa via anfractibus debilitatus ſæpè corruat, vigore omni, qui eſt veluti animus ſermonis, extincto. Sed demus Indos doceri interprete vtcunque. Nam integrè perfecteq; doceri non poſſe certum eſt. Quid de Pœnitentia facient? An adhibebunt interpretem confeſſioni hominis? Omnino medicina maximè neceſſaria careant neceſſe eſt miſeri Indi, & cùm fragiles ſint ac ſæpe labantur, præcipuaque illorum ſpes in ſupremo ſpiritu poſita ſit, cùm confeſſionem ſeriò expetunt, ſalutis æternæ iacturam facient propter ſacerdotis imperitiam. Occurrent hîc quoq; ſe non vſq; adeò omni Indici ſermonis intelligentia deſtitui, quin vnum, & alterum verbum intelligant, vno verò audito crimine in mortis extremo periculo, vbi amplius fieri nequit, abſolutionis ſacramentum impendi debere morituris. Cui ſanè rationi de abſolutione eius temporis ego nullo modo diſſentior, cùm ſit noſtrorum Theologorum, ac vete-

S. Leo epiſ. 91. ad Theodorum. De [illegible]

rum

rum quoque Patrum certa ſententia. Attamen qui factum eo in diſcrimine excuſant, nullo modo ſimilem licentiam, vbi nihil tale vrget, ſacerdoti concedunt. Cùm ergò omnes poſt baptiſmum lapſi ex diuino præcepto etiam citra mortis articulum ad confeſſionem teneantur, Eccleſiaſtico verò quotannis, quomodo poteſt Parochus audire, confeſſiones ſuorum, cum quibus locutionis commercium nullũ habet? Quod ſi dicant id, quod mihi ex hiſce quidam aliquando reſpondit, ſimilia inquirenti ex eo, ſe confeſſiones ſuorum audire, cùm nonnulla percipiant, atq; id ſibi ſatis eſſe, vt abſoluant. Ego ſanè contra affirmo, cùm confeſſionis integritas ex iure diuino ſit, eum non eſſe idoneum Pœnitentiæ miniſtrum, quem propter imperitiam dimidium, & eo amplius neceſſariò latet, perinde enim eſt, ac ſi tantundem non audiret, quàm eſſe integram, & idoneam confeſſionem præter mortis periculum nemo vtcunque doctus exiſtimat. Denique vbi Parochus non ea facultate pollet vt ſubſtantiam ſaltem, quæque iudicium illius requirunt, poſſit integrè aſſequi, neque ſaluti Pœnitentis pro ratione perſonæ, & criminum neceſſaria documenta adhibere, nullo modo eſt ad audiendas confeſſiones reputandus idoneus. Qui verò Pœnitentia ſacramentum communiter adminiſtrare non poteſt, hunc ego Parochi officio tuta conſcientia fungi nego. Damnas igitur, dicet quiſpiam, omnes & Parochos, & Epiſcopos, & Patronos Indorum, qui illis nullo alio conſulunt modo, quàm horum ſacerdotum præſidio, qui noui, rudeſq; Indici idiomatis ex Hiſpania aliundeuè aduen-

Pœn d 1. c. multiplex. 26 q. 6.

His qui tempore Trid. Seſſ. 6. cap. 14 cã. 29. ſeſ. 14 cap. 2. can. 6.

De Pœnitẽtijs c. Omnis Conci. Trid ſeſſ. 14. cap 5. Seſſ. 14. c. 5. & cã. 7.

tant? Ego verò non omnes vitupero, & damno. Fieri poteſt, ac fit non rarò, vti miniſtrorum ea penuria ſit, vt ſi ſacerdos ijs omnibus dotibus exornatus expectandus ſit, longo tempore Indi ſine vllo Chriſtianæ religionis officio futuri ſint. Cùm ergo alij peritiores, melioreſque non ſuppetunt, licet ſanè, imò verò expedit hos vocare, quicumque ſunt, illiſque iniungere, vt ſacrificio, Baptiſmo, Matrimonio iuuent ſuos, Pœnitentia etiam animam iam agentes vt dixi, vitia publica amputent, exemplo ac beneficentia efficere adnitantur, quod minus ſermone poſſunt. Sanè tunc temporis neque Præſul præcipiendo, neq; Parochus parendo reus eſt, ſed laude dignus vterq;. Vt ſi ſcuta aurea in domo Regia affigi non poſſunt, ærea ſaltem ſuſpenſa cernantur. Porrò interdum accidit, vt eiuſmodi ſacerdotes elingues quidem, ſed manu alioqui prõpti, plus in Indorum conuerſione effecerint, quã alij vſque ad loquacitatem diſerti. Quod ſi non ea paucitas ſit miniſtrorum, Epiſcopus tamen tuus te eam prouinciam ſubire iubeat, debes ſermonis imperitiam omnem tuam opponere, teq; ineptũ excuſare, ſin adhuc pergat iuſſa vrgere, tutò Prælato obedis, tutò oues, qua potes, facultate paſcis. Debes tamen copiæ interim ſermonis parandæ non indiligentem operam dare. Viderit verò Epiſcopus, quam Paſtori magno, qui eduxit oues in ſanguine teſtamenti æterni, rationẽ redditurus ſit, qui niſi maximè idoneos ſuis præficiat, ſanguinis ſine dubio apud æternum iudicem reus erit. At hi, qui iubente nemine, nemine vocante, ipſiſe intrudunt, ipſi Indorum Parochias anhelant, lucro prorſus intenti, nihil aliud,

Margin notes: 3. Reg. 14. — Hebr. 13.

aliud,quàm quæſtum exiſtimantes pietatem, cũ *1.Tim.6.*
ſint alioqui ineptiſſimi,muti,elingues,qua rati-
one,& lege excuſentur,quod ſpeculatores ſe cõ- *Ezech.3.*
ſtituerint,qui clamare non norunt,alij iudicent.
Ego certè tantam temeritatem, tantum Dei ani-
marumque contemptum excuſare nec volo, nec
poſſum,cùm liceat videre paruulos deficere vul
neratos in plateis ciuitatis, atque exhalare ani-
mas ſuas in ſinu matrum ſuarum, cũ planè quos
matrum affectum, & curam præ ſe ferre opor-
tebat, ſtruthiones potius voraces, atque crude- *Thren.2.*
les experiantur, atque ita fiat vt lactentium in
Chriſto lingua palato adhæreat, quod doctrinæ *Thre.4.*
vbera vel clauſa, vel arida inueniant, & gran- *Oſe.9.*
diuſculi panem petant, cùm ſit tamen nemo,
qui frangat.

Quod quidam non rectè inſcitiæ ſermonis Indici conſulant.

CAPVT VIII.

Atque hæc de neceſſaria notitia ſermonis ei,
qui animæ ſuæ interitum auertere cupit,di
cta ſunt:quæ tamen eam,quam optamus, & quę-
rimus, idonei Dei miniſtri menſuram minimè
implent. Niſi ergo linguæ vulgaris egregiè pe-
riti viri, doctrinæ atque inſtructioni tot popu-
lorum operam dent, mea quidem ſententia pa-
rum admodum promouebit opus Domini. Vnus
eiuſmodi,cui Dominus linguã eruditam dede-
rit, vt ſciat laſſum ſuſtentare verbo, & infirmũ *Eſai.50.*
in fide aſſumere, centum iſtis triuialibus cate-
chiſtis anteponendus eſt,cùm ſolus vnica conci-
one plus efficiat, quàm illi multi toto ſæculo.
Atq; vtinam tales dono verbi affluentes, ſi non

quotquot opus eſſet, at pro numero ſaltem prouinciarum haberemus, qui fiducia pleni loquerentur ad plebem de Domino Ieſu, non dubito, quin Apoſtolica exempla redirent. Sed quoniã & linguarum dona ceſſarunt, & ſtudio, atque diligentia rarus eſt, qui eos in ſermone progreſſus faciat, meritò à multis quid huic malo remedij adhiberi queat, diſputari ſolet. Sunt qui Indos ad noſtrum idioma diſcendum ſeueris legibus cogendos cenſeant, in alieno nimium liberales, de ſuo parci. Hi Platonicæ Reip. ſimiles leges verbis, quod facilè eſt, nudis effingunt, quæ ſi conferantur ad rem, mera fabula. Si enim pauci Hiſpani in aliena patria, ſermonem tamen ſuum non poſſunt dediſcere, & peregrino imbui, ingenio alioqui præſtantes, & intelligendi neceſſitate obſtricti, quid cerebri eſt innumerabiles gentes patrium ſermonem in ipſa patria obliuiſci, externo ſolùm vti, quẽ raró ac valde illibenter audiunt? Intra parietes porrò domeſticos familiaria cùm tractant, materna lingua loquentes quis deprehẽdet? quis deferet? quomodo Hiſpanicè loqui adiget? Alij magis rationi cõſentanea ſolent optare, vt ſi non peregrinam linguã diſcere & frequentare cogantur barbari, tamen eã quæ generalis dicitur, vt ignorare nõ ſinantur, quod non vſq; adeò factu difficile exiſtimant, cùm potuerit Ingarum conſultiſſima lege perfici, vt omnes ampliſſimi huius regni prouinciæ Cuzcuen ſem illam, ſiue Quichuam ſcirent, adeò vt per tria mille milliaria, & eo amplius hodie quoq; in vſu ſit. Potuerunt ergo, inquiunt, barbari reges propter conſeruandam imperij ſui concordiam, & communionem, quam voluerunt tot & tantis popu-

populis linguam dare, non poterunt verò Chriſtiani principes propter religionis vſque adeò neceſſariã cauſam, efficere, vt eadem illa lingua ita percrebreſcat, vt omnibus vſui ſit? Etſi enim primores Indorum illã ferè callent, vulgus tamen mulierum, puerorum, eorumq́; quos ipſi Atunrunas vocitant, genus hominũ agreſte, vix quicquam ſatis illius norunt. Qua ex re, & prædicando verbo Dei, & confeſſionibus audiendis impedimenta fiunt ſanè grauia, cùm idiomatũ tam multiplex ſylua ſit, vt in his locis, quæ ipſe emenſus ſum, exiſtimem pluſquam triginta linguas numerari, eaſq; valdè & inter ſe abhorrentes, & ad diſcendũ difficiles. Cui tã magno incõmodo ſi quo pacto poſſit occurrere noſtrorum moderatorum vigilantia, optimè de Indicana ſalute meritos poſteritas omnis laude celebraret. Sed dũ hæc vel fieri nequeunt, vel certè non fiũt, miſſa Indorum informatione, noſtrũ ipſi non deſinamus informare ſermonem, quoniam charitatis lege, illos à nobis potius quæri, quã ab illis nos decet. Sunt igitur (in quorũ me numero aliquando fuiſſe confiteor) qui ſaluti Indorũ educandos, præficiendoſq́; ex Indigenis Hiſpanorũ filijs magiſtros arbitrentur. Hanc eſſe compẽdiariam viam, propterea quod hi ſermonis abũdè gnari ſunt, cui ab incunabulis aſſuefacti ſunt, quo ad quiduis explicandum familiari vti queant: ſẽſu verò & religione Chriſtiani integri & ſolidi, cũ ab Hiſpanis progenitoribus fidẽ Eccleſiaſticamq́; conſuetudinẽ hęreditario ferè iure retineant, idq́; pro ſũma gloria ducant. Ac planè quicũq; ex his probatę diuq; ſpectatę virtutis reperti fuerint, doctrinæ quoq; non expertes, in

mini-

miniſtros ſermonis aſſumi percommodum eſt, neq; dubitandum quin horum ſtudio & oratione, qui non ſolùm ſermones, verùm res etiam ipſorum & norunt, & amant, ſi fidelem ac diligentem operam nauent, Indi multum adiuuandi, promouendiq́; ſint. Quæ ſi honeſtas morum ſatis eluceat, & diuturnis documẽtis pateat, quiduis aliud Indorum ſaluti poſthabendum eſt. Neque valde ſcrupulosè natales eorum repudiandi ſunt, atq; odio & iniuria (quod à multis non rectè fit) proſequendi, qui patre Hiſpano, matre Inda prognati ſunt. Fieri enim poteſt, vt inter
Act. 16. iſtos quoq; mixto genere, Timotheus quiſpiam ſit patre gentili, matre Iudæa ortus, & tamen cũ teſtimonium bonum habeat à fratribus, aſſumatur à Paulo, vtiliſq́; Euãgelico operi reperiatur, qui cæteros quoque meritis & laude præcellat. Quid vetat alterum quoq; Hiram ſimilibus na-
3. Reg. 7. talibus ortum à Salomone Rege euocari, & præclariſſimis difficilimiſq́; templi operibus præfici, quod plenus ſapientia, & conſilio ſit? Neq; enim perſonarum acceptor eſt Deus. Atquamuis
Act. 10. hæc ita habeant, tamen certiſſima magiſtra experientia copiosè monſtrat non poſſe nos, nec debere ſolicitudinem omnem noſtram ſtudiumq́; deponere Indigenarum præſidio fretos, neq; verò oportere rem tantam apto ſermoni hominũ committere, quorum mores non æquè apti ſint. Ferè enim Indorũ ingenia, & mores redolent, quorũ & lacte, & conſuetudine educati ſunt. Magna prorſus eſt primæ conſuetudinis vis, magna primi caloris impreſſio. Neq; fruſtra tam religi-
Gen. 24. osè Abraham famulum adiurauit de non danda filio ſuo Iſaac vxore Chananæa: neq; muliebri-

ter ac non potius ſapienter Sancta Rebecca Hethææ fœminę coniungi Iacob ſuum adeò exhorruit,vt vitam mallet amittere. Sunt proprij cuiuſque regionis mores, quemadmodum & natiui fructus non ijdem vbique, ſed varij. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium Poëtæ veteri fert Apoſtolus, quod vera ſcripſerit. Itaque ſolerter ingenia inſpicienda ſunt hominum,moreſque diu probandi,vt Patriæ minus temperatæ,& conſtantis, vel potius laſciuæ, & leuis opinionem quis eluat. Periculo certæ compertum eſt ex iſtis pleroſque plus obeſſe corruptis moribus,quàm verbo ſano proficere.Quamobrem ita iſtorum loquendi opportunitas contemnenda non eſt,vt tamen ingenio & moribus niſi pleniſſimè probatis, non tutò res tanta,tamque periculoſa credatur. *Geneſ.27.*

Quod oporteat ad Indos venientes prædicatores Indicum idioma diligenter diſcere.

CAP. IX.

Itaque laborandum nobis eſt, & quod vnum reſtat ex omnibus, ſtudio & tolerantia,ſermonis facultas paranda.Id quamuis difficile, & negotioſum ſit, non tamen fieri nequit. Videmus homines in Hiſpania natos,atq; educatos, quoſdam etiam de noſtris Theologos non obſcuri nominis, qui obedientia duce ad has regiones venerunt,charitate illuſtrium conatuū autore impellente,tanta ſe diſcendo idiomati Indico cura dedidiſſe,vt non minus facundè & copioſè Ingarum ſermone concionentur,quàm materno poſſent.

ſent. Deus enim quorum incitat mentes, vt ait Leo Papa, adiuuat etiam actiones. Non nemo etiam haudquaquam vna lingua contentus plurium cognitionem adhibuit, quē nullo præceptore vſum intra tres, quatuorve menſes in lingua Aymarayca, quæ poſt Cuzquenſem ſecundum locum tenet, tam fœliciter concionantem audiuimus, vt ipſi Indi Collani magnopere admirarentur. Hunc ego tam glorioſum laborem, & contentionem omni Theologici ſtudij laudi antepono. Ac re vera ſi quis ſeriò adieceritanimum, nō ita magno ac diuturno ſudore omnem eam difficultatem quantacunq; ſit, ſuperaturus eſt. Neque enim Hebraici Chaldaicique ſermonis difficultatē Indicus æquat ſexcētis partibus: Græci verò ac Latini prolixitatem, & multiplicem ſcituq; arduam copiam, multo minus, quin longè ſimplicior, inflexiones pauciſſimas habet, breuibuſq; admodū documentis comprehēdi poteſt. In quo ſi interpoſitiones poſtpoſitioneſq;, quibus maximè à Græco, & Latino, atque Hiſpanico abhorret, & cum Hebraicis affixis plurimum conuenit, ſemel deuoraueris, nihil ferè ardui reliquum fiat. Pronuntiationem verò barbaricam habet quidem plurima ex parte, ſed cum Hiſpanica omnium quod ego ſciam Idiomatum, maximè congruentem, vt non immeritò Frater Dominus Epiſcopus ſcripſerit, videri ſibi Hiſpanorum nationi has gentes diuinitus præparatas. Iam verò in illa ſua veluti inculta barbarie adeò pulchros, adeò elegantes idiotiſmos habet, formulaſque dicendi mirabili breuitate multa complexas, vt delectet vehementer: quorum

Epiſt. 32.

In prologo Grammaticæ Indicæ.

quorum vnius vocis vim ſi Latinus, Hiſpanuſue exprimere velit, pluribus ipſe vix poſſit. Sed ſpiritualium & philoſophicarum rerum, ſicuti notitia plurimum carebant, vtpote barbari, ita verborum Indicorum penuria maxima eſt. At vſus Hiſpanicas, voces Indicas fecit. Vt enim equum, bouem, vinum, triticum, oleum, multaque id genus quia non nouerant, ab Hiſpanis non ſolùm res, ſed vocabula quoq; acceperunt, pro quibus nos quoque alia Europæ vel animantium vel frugum genera ignóta mutuati ſumus: ita equidem cenſuerim non magnopere laborandum, ſi Fides, ſi Crux, ſi Angelus, ſi virginitas, ſi coniugium, ſi pleraque alia non ſatis Indicè ac propriè reddi poſſit. Licebit enim ex Hiſpanico mutuari, & propria facere, vſuque ipſo linguam locupletare, quod & omnes fecêre nationes, Hiſpanica maximè, vt aliena copia ipſa diteſceret, quod prudentiſſimus quiſquis Simaiyachac, id eſt, Indici ſermonis Magiſter frequentare iam ſolet. Pronuntiandi verò difficultas, vbi [illegible] infartis aſſutiſque multis ſyllabis pleræq; dictiones in longum creſcunt, non poteſt non eſſe moleſta paternæ præſertim ſuauitati aſſuetis, multoque illa altera grauior, intelligendi Indos ſtridentes ſæpè ore potius, quàm loquentes, ſed deuoranda eſt tandem vſuque ipſo atque exercitatione vincenda. Cætera quippe facilia valde. Eſt autem ad certa præcepta neque multa, neque difficilia redacta ars omnis Indicæ linguæ: qua in re primis ſcriptoribus, etſi multa falsò, multa impropriè & abſurdè præceperint, tamen gratiæ habendæ ſunt maximæ, multum enim adiuuat ars, methoduſq; traden-

tradendi prima rudimenta. Sunt etiam iam ſatis multa ſcripta copioſè & ornatè, quorum lectione proficere ſtudioſus auditor queat, & emergent quotidie plura & cultiora. In his & legendis, & ediſcendis memoriter, itemq; frequenti ſcriptione imitandis multum creſcet ſermonis cognitio. Quamobrem lectiones publicę inſtitutę linguę Indicę perutiles ſunt, ac nullo modo contemnendę. Verùm hęc omnia inſtar vmbratilis pugnę, & palęſtra potius, quàm acies. Ad rē ergo veniendum eſt, & frequenti collocutione cum Indis feriò iam agendum, vbi audiendo ac loquendo familiaris ſermo fiat. Inde ad conciones progrediendum, & pudore metuque depoſito, ſępe & audacter errandum; vt aliquando non erretur. Initio quidem memoriter & res & verba dicenda, mox etiam ſequentur verba res ipſas. Iſta quidem, dicet opinor aliquis præcipere in promptu eſt, exequi verò perquàm remotum, ita ſanè habet. Attamen & labor omnia vincit, & laborem facit iucundum propenſio animi. Mihi nulla in hac cauſa terribilior difficultas occurrit, quàm auerſæ voluntates hominū. Adeò enim iſta non amant, adeò non curant, vt etiam contemnant, ac loco ignominiæ habeant cum Indis verſari & loqui Indicè. Chriſti verò amatores atque animarum ſtudioſos eò amplius incitare atque accendere debent, quod mundo iſta faſtidio ſunt, Paulo Apoſtolo nos prouocante. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Dauide quoque exclamante, Viuit Dominus, quia ludam, & vilior fiam. Omnino nihil pretioſius hac Crucis Chriſti inuentione, & exaltatione & triumpho. Nouit ille qui accipit. Quam obrem

Gal 6.
2.Reg.6.

obrem ſi ſacerdotes, miniſtrique Euangelij multum apud Indos proficere cupiunt, illud modis omnibus curent, vt recentes ab Hiſpania antequam feruor ille, & ſitis animarum intepeſcat, nulla alia re occupentur, ac diſtineantur, quàm accuratiſſimo ſtudio diſcendæ Indicæ linguæ, & poſtquam didicerint exercendæ. Hoc niſi fiet, vix aliquid fiet, quod experimento compertum habemus. Sapienter ergo & religiosè Dominicanæ familiæ patres in Guatimala prouincia, vt mihi fide dignus vir ſolebat narrare, inuiolabili ſtatuto venientibus ab Hiſpania totum primum annum nihil aliud quàm ſtudium ſermonis iniungunt. Anno integro exacto ad fructificandum mittunt, quod vtinam omnes ſequeremur exemplum, fieret paucis annis ſine dubio pluſquam effectum eſt plurimis. Neque enim ſocietatis noſtræ Beatus Fundator Ignatius Indicæ linguæ lectiones publicas fruſtra pręcepit, vbi vtiles viderentur, neque vſquam neceſſarium magis, quod Regulæ habent, vt Regionis, in qua degunt, ſermone loquantur omnes, ſunt enim per quàm neceſſaria omnia iſta præſidia, vt facultas paretur verbi diuini gentibus annuntiandi. At ſi quis vel per occupationes vrgentes, vel per minus fœlicem ingenij ſortem tanta conſequi nequeat, non continuò debet ſibi ab hoc Dei opere vacandum exiſtimare, ſilentioque vitam agere. Poteſt multis modis facultatis ſuæ exiguitatem adiuuare. Primum ſi doctus ipſe cùm ſit & probatæ virtutis, ſocio vtatur ſermonis perito, quem ipſe ſententiam ſeorſum doceat, & quid, quóue modo dicendum ſit, inſtruat, eumque vt Moyſes Aaron interpretem habeat,

Par. 4. Conſ. cap. 12. & Declar. lit. B.

vt per illum potius ipſe loquatur. Non quidem, vt alter alterius verbis verba reddendo loquatur interpretis more (quod frigidum eſt, tametſi ne id quidem contemnendum,) ſed ſummam potius edoctus ante concionem oratoris partes impleat, quod nos perutile ſumus experti, ſi ſocius contingat idoneus ac fidelis. Præterea non eſſet vtilitatis exiguæ, ſi aliquot ipſe conciones & breuem aliquam catechiſmi expoſitionem memoriter diſceret, atq; ea identidem repeteret apud Indos. Neq; enim verendū eſt, ne illos repetitione offendat, neq; tā iſti indigent magnis, & exquiſitis rationibus, quàm quibuſdam facilioribus, accommodatis, iiſque ſæpius repetitis. Nā & glorioſiſſimus Dei Præco Franciſcus eo modo inſtituiſſe fratres ſuos ſimpliciores prædicatione perhibetur: & Magiſter Frāciſcus noſter apud Malauaricos ea induſtria multum in conuerſione gentium profecit. Ac mihi cùm miſſionem quandam obirem, venit in mentem id nobis non difficilè, Indis verò valde commodum fuiſſe futurum, quod in miſſionibus loca ſubinde commutentur, doctrina verò eadem vbique repetenda ſit, vt paruulis lac Euangelij præbeatur. Ad hæc poſſent virorum grauium, & eloquentium ſcriptæ orationes de rebus Chriſtianæ religionis publicè legi, & cum aliqua emphaſi pronuntiari, quibus Indorum populi non ſolùm inſtruerentur, verùm etiam excitarentur. Quæ ſanè conſuetudo olim in Eccleſia diu retenta eſt, & à ſanctis Patribus magnopere commendata. Sunt verò noſtrorum ſcripta Indicè valde opportuna, quæ ſi relegantur, non dubito, quin auidè excipienda ſint. Et ſperó equidem, modò ar-

dor

dor non deſit ſpiritus Chriſtum, & Chriſti paruulos complectentis, his alijſque rationibus, quas idem ſpiritus commodè ſuggeret, magnos Fidei ſalútisque Indicæ prouentus aliquandò affuturos.

De ſcientia ſacerdoti neceſſaria.

CAP. X.

SEQVITVR ſcientia, quæ tam propria ſacerdotis eſt, vt pectori inſculptam Doctrinam geſtare lex iuſſerit, ſignificans Dei ſeruum doctorem eſſe oportere cæterorum, quorum ſuſcipit curam, ne, ſi ſcientiam à ſe repulerit, repellatur ipſe viciſſim à Domino, ne ſacerdotio fungatur, atque ita pariter, & propheta, & populus corruat. In plebeio homine habet ignorantia ſuam fortaſſis excuſationem, at in ſacerdote, vt Leo Papa ſcribit, vix ferenda eſt excuſatio, quæ prætendat inſcitiam, imò verò, vt in alia epiſtola ſcribit, in ijs, qui præſũt, inſcitia nec excuſatione digna eſt, nec venia. Quatenus autem peritum eſſe oporteat ſacerdotem, ſatis Patrum canones indicant. Si prædicandi quidem verbi Dei fungitur officio, cùm ſit hoc proprium Paſtorum, atq; Doctorum eum eſſe oportebit, quẽ Paulus deſcribit, Amplectentem ſanè eum, qui ſecundùm Doctrinam, eſt fidelẽ ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere: qui hæc præſtare non poteſt, temerè Doctoris in Eccleſia vſurpat locum, maius ſibi iuxta Iacobum Apoſtolum iudicium ſumens. Quod cùm tantæ magnitudinis tanti etiam periculi ſit, nemo ſatis præſtare poteſt,

Exod. 18. *Oſe. 4.* *Epiſt. 4. ad Epiſcopos Sicili.* *Epiſt. 22.* *Diſ. 38. ſi in laicis.* *Leo ep 82.* *Tit. 1.* *Iacob. 3.*

Rom.10. niſi miſſus à Domino. Quomodo enim, inquit,
Ioan 7. prædicabunt niſi mittantur? Et, qui loquitur à
Hier.29. ſemetipſo, gloriam propriam quærit. Et, ipſi loquebantur in nomine meo, cùm ego non mandarem eis, & cætera id genus multa, quæ terrori ſunt, vt niſi aut ex officio incumbat, aut maiorum authoritate imponatur, aut ipſa charitate apertè perurgente & extimulante, vitari non queat, nemo ſui memor, onus magnis quoq; viris formidabile ſubire audeat. Sed vt dixi, charitas Chriſti vrget æſtimantes hoc, quia Chri-
2. Cor.5. ſtus pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. In Indorum autem prædicatione, & laboris eſt plurimum, & vanitatis perparum, vbi laudes, applauſuſque populares non expectantur, vbi neque guſtus nimium delicatus exquiſitis illecebris excitandus eſt, verùm eius panis, qui nobis abundat, & præ copia penè vileſcit, qualiſcumque erogatio admirabiles eſurientibus epulas præbet. Itaque quò aliâs magis periculoſum, & anceps Magiſtri munus, eò inter barbaras gentes & fructuoſius, & tutius, cùm non hominum fauorem aucupetur, ſed Dei pro paruulis ſuis gratam mercedem ſperet. Parochi verò Indorum, ſi quis munus obeat, catechiſmo Concilij Tridentini, quid ſciendum ſit, ſatis dicetur. Vt primum, ſymbolũ, myſteriaque Fidei præcipua norit exponere pro captu audientium, mox præcepta diuina qui aut ſeruentur, aut violentur, tum quæ ad ſacramentorum intelligentiam, vſumque pertineant. Ac modò probatæ ille vitæ laude floreret, atq; locutionis Indicæ facultate non careret, cùm viros haberet, quos tutò in grauioribus cau-

ſis con-

ſis conſuleret, non magnopere ego ſcholarum ap paratum, reconditamq; illam doctrinam in eiuſmodi Indorum Parocho deſiderarem, quippe cuius munus magis prudentia quadam, atque ingenij, morumque Indicorum peritia conſtet, quàm ſubtiliori literatura. Vt enim Magiſtri nouitiorum in religioſis domibus eliguntur, virtute prudentiaque præſtantes, ipſoque vſu rerum ſpiritualiũ, propterea quod ea ars artium cũ ſit, non tam paginis euoluendis, quàm internis ſpiritus motionibus diſcernendis paratur (tametſi cùm fundamentum iſtud iacitur vitæ purioris ac ſenſus exercitati ad diſcretionem boni, & mali, ſanctorum Patrum lectio vt Gregorij, Baſilij, Bernardi, ac cæterorum, Diuinæque ſcripturę præſertim meditatio plurimum adiuuet:) ita planè in moderatione Indorum, qui nouitij quidam ſunt religionis Chriſtianæ, & quidem quibus omnia diuina, & Eccleſiaſtica valde noua, valde inuſitata occurrant, exoptanda eſſet eximia quædam vitæ ſanctitas in miniſtro Dei cum pari prudentiæ ac dexteritatis laude coniuncta: ſcientiæ verò is modus eaque menſura, quæ communiter opportuna eſt, vt ſciat quę forma catechiſmi ſeruanda, quis ordo ſacramentorũ tenendus, quantum ſibi liceat in abſolutione, quæ ſint reſeruata crimina, quæ præuilegia Neophitorum à ſummis Pontificibus data, cæteraque talia, quorum notitiam ex Concilio Prouinciali Limenſi petere poteſt. Ritus verò Indorum, auitas conſuetudines, & ſuperſtitiones, modumque cum his agendi, & verſandi, nõ niſi longo vſu rerum diſcere poteſt, hinc cùm pendeat vtilis adminiſtratio ſacerdotij Indorum, valde dolen-

dum eſt, vſque adeò rarum eſſe Parochum, qui triennium integrum exigat in ſibi commiſſa Paræcia: ſed ſtatim eum tædeat ſuorum, aut libido ambitioque aliorum huc illuc circunferat, vbique curſantes, nuſquam conſiſtentes, atque ita fructus exiguos afferentes: Deberent illud meminiſſe, & Epiſcopi, & Parochi: Diligenter attende vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera, non enim habebis iugiter poteſtatem, & corona tribuetur tibi, multoque magis illud boni paſtoris de bonó paſtore documentum, Proprias oues vocat nominatim, & cùm eas emiſerit, ante eas vadit. In Concilio quidem Limenſi magno pondere verborum decretum eſt, Ne Parochi Indorum ante ſexennium doctrinam, ſiue Paræciam mutare permitterentur, niſi ineuitabiles cauſæ acciderent. Nunc temporis prout libitum eſt, quia ampliores prouentus alibi ſperat, aut cum patrono interceſſit iurgij quippiam, aut vrbica frequentia magis iuuat, ſine vlla cunctatione grex commiſſus deſeritur, ignoto traditur: qui dum ſubinde paſtores mutat, neminem agnoſcens, à nemine agnitus nec numeratus facilè diſpergitur, & luporum inſidijs occiditur. Ipſi Epiſcopi, quorum intererat ſuorum Parochorum leuitatem inconſtantiamque compeſcere, vel lenire, & mitigare faſtidia, multo magis ad iſta conniuent, commutantes ipſi quauis de cauſa Præpoſitos. Hæc tanta clades eſt animarum, vt ſatis deplorari non poſſit. Nihil ergo ſacerdos Chriſti præclari perficiet in ſalute Indorum ſine familiari, & hominum & rerum notitia: nunquam hanc conſequetur, niſi pedem fixerit. Talem igitur ſcientiam in Pa-

Prou. 27. *Ioan 10.* *Conſtit. 4.*

rocho Indorum plurimi facimus, illam verò elaboratam Theologiæ cognitionem nullo modo contemnimus.

Oportere in nouo orbe aliquos eſſe præſtantes Theologos.

CAPVT XI.

QVin potius tametſi in pleriſque mediocris quędam doctrina ſit ſatis, tamen eos, ad quos recurrunt cæteri, à quibuſq́; velut à fonte hauriunt, tam eſſe oportet abſoluta Theologiæ facultate inſtructos in nouo orbe, vt nuſquã gentium amplius. Id ita eſſe, qui rẽ accuratius animaduerterit, certis indicijs deprehendet. Primũ enim, vbi Fides Chriſti recens fundata eſt, tamq́; immenſis ſpatijs longè lateq́; propagata, ibi ſanè & ad veteres pellendos errores, & ad nouã tuendã religionem Theologiæ doctrina magnoperè neceſſaria eſt, cuius partes Auguſt. eſſe docuit, vt Fidem ſaluberrimã gignat, nutriat, atq; defendat. 12. de Tri.
Olim cũ audiſſent Apoſtoli, quia recepiſſet Samaria verbũ Dei, miſerunt ad eos, non quoſuis, ſed Petrũ & Ioannem Apoſtolorũ facilè primos. Act. 8.
Quam ob causã putamus? niſi ꝙ religionis Chriſtianæ exordia, præcipua quadam ſapientia indigent, induſtria, diligentia, quemadmodũ in nouis plerumq; ſtirpibus videmus accidere. Deinde in nouo hoc Orbe noua eſſe negotia oportet, nouos mores, leges, contractus, rationes denique vitę vniuerſas longè alias: militiæ, mercaturæ, nauticę, totius Indicæ adminiſtrationis difficultates occurrũt quotidie nouę & magnæ, quibꝰ niſi ſacrę doctrinę lux adſit, eaq́; copioſa, in magnis ignorãtiæ tenebris, ac certo periculo ſalutis ſuæ

homines verſentur neceſſe eſt. Quod ſi nulla ſecundùm Deum lege ac ratione contineantur & frænentur, auaritiæ, atque libidini cuncta permiſſa breui ſine vllo modo miſceri, ac turbari certum eſt, id quod perſpicuè ſermo diuinus per Eſaiam minatur: Auferam, inquit, conſiliarium,
Eſai.3. & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici, (quid ſequatur attende) & irruet populus vir ad virum, tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem, & reliqua, quæ proſequitur. Salomon quoq; breuiter,
Prou.29. ſed abundè, Cũ defecerit Prophetia, hoc eſt, Dei verbum, diſſipabitur populus. Atque vtinam ſuperiorum calamitatum, quas Reſp. hæc diu perpeſſa eſt, non ea cauſa, vel præcipua extitiſſet, quod vbi fuit potentiæ & armorum plurimum, ibi doctrinæ, & Chriſtiani conſilij perparum fuit. Vix dici poteſt, quàm ad continendos homines in officio diuinę doctrinę præſidia neceſſaria ſint. Poſtremò remotiſſima, & ab Hiſpaniç, Europæq; totius finibus longiſſimè diſſita regio eſt, quam tenemus: cauſæ vt dixi occurrunt variæ, vrgent plerumq; vehementer: habent momenta magna & animarum & corporum. Quis ergo conſcientię remedium conſiliumq; ab Hiſpania vſque expectari æquo animo ferat, quod vel ſerum, vel inutile fortaſſis futurum ſit, interdum etiam penè dixerim noxium? Difficile
Epi.32. eſt abſentium cauſas certò diiudicare, & vt Leo Magnus ſcitè ait, inter longinquas regiones in nimias dilationes tendunt veritatis examina. Tum etiam quæ relatione tantùm notitia conſtat, cùm pro ingenio & ſtudio hominum vario varia ea eſſe & incerta ſolẽt, periculosè de ſum-

mis Chriſtianæ ſalutis negotijs adhibet cenſuram ſuam. Euenit crebrò, vt quemadmodum medici etiam petitiſſimi abſente ægroto conſulti, dum neq; morborum cauſas, neq; hominis conſtitutionem ſatis perſpectam habent, grauiter fallantur, & fallant: ita etiam noſtri Theologi Hiſpanienſes, vtcumq; illi celebres, & illuſtres alioqui ſint, tamen de rebus Indicis non mediocriter errent. Qui verò cominus iſta conſiderāt, oculis luſtrant, ac veluti manu tenent, etiamſi minus periti illi ſint, tamen longè certius, & fœlicius philoſophentur. Paulus certè Apoſtolus quanquam multa Corinthijs præſcribit abſens, plurima tamen tunc ſe diſpoſiturum promittit, cùm fuerit apud eos. Multum omnino confert oculata experientia, & magnas ſapientiæ occaſiones præſtat. Quamobrem niſi qui cæteros foueant, atq; illuſtrent ſplendore doctrinæ, abſoluti aliqui, & præſtantes Theologi ſint, dubiū non eſt, quin magnam religionis totius cauſa in partibus Indicis iacturam factura ſit. *1. Cor. 11.*

Vitæ probitas in miniſtro Euangelij quòd & à Deo & ab hominibus requiratur.

CAP. XII.

VItæ verò ſanctitatē in ſacerdote (quod erat ex tribus primum) etiam nomen ipſum admonet eximiam eſſe debere, quod non ſolùm ſacras literas vbiq; ſonare, ſed etiam prophânas commendare ſcribit B. Ambroſius, qui Pythagoricum illud ad ſacerdotes propriè accommodat. Communem, atq; vſitatam populo viam non eſſe terendam, quod ab Hebræis, quorum & genus duxiſſe vult, accepiſſe aſſerit. Nihil enim in ſa- *Ad Irenæ. lib. 2. ep. 6.*

cerdotibus plebeium requiri,nihil populare,nihil commune cum ſtudio, atque vſu & moribus inconditæ multitudinis.Sobriam à turbis grauitatem,ſeriam vitam, ſingularé pondus dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo,qui nihil habet ſecretum à populo,diſpar à multitudine?Hæc ille. De qua re tam multa ſunt in diuinis literis tradita, tam multa à ſanctis Patribus explicata, vt ſi recitare pergam,Homilias declamare videar. Illud ſeriò dicam,quod etiam, atque etiam animaduerti, in ijs qui nouis gentibus præficiuntur, vt non ſolùm mores, ſed Fidem ipſam ædificent, tam excellenti opus eſſe ſanctitate, vt Apoſtolica verè

Luc. 6. debeat optari. Ipſos Apoſtolos Dominus noſter quanta primùm attentione miſit, vt ſe præcurrerent,ac veluti velitarent?Orationem profundam peruigil ante produxit,cum Patre rem tantam communicans, vocatos præterea ad ſe quibus verbis,quàm grauibus officij admonet? qua diſciplina mittit?quibus præceptis imbuit?quãta integritatis, quanta mortificationis, quanta patientiæ commendatio? Quid obſecro hoc tali apparatu tantus Magiſter agebat aliud, quàm vt informaret Eccleſiæ doctores, & paſtores, ne cui manus citò imponerent,ne Euangelicæ prædicationis munus niſi ſelectiſſimis & probatiſſi-

Luc. 24. mis committendum putarent?Idem mox à mortuis reſurgens nõ patitur ſuos illos quãuis iã feruentes & accenſos amore ipſius, quamuis ſcripturarum ſenſu donatos ad Euangelizandum prodire, ſed domi ſe potius continere iubet, & magna meditatione expectare,donec induantur

Act. 13. virtute ex alto.Quin etiam Paulus iam ad tertiũ

cælum

cælum raptus,& mira operatus, non prius cum Barnaba deſtinatur ad gentes, quàm ſanctis fratribus ieiunantibus, & miniſtrantibus Spiritus ſanctus eos ſibi ad opus hoc ſegregari iubet. Diuturnam profectò vitæ immaculatæ probationem Apoſtolicum hocce munus efflagitat. Paulus ipſe grauiſſimè de eligendis fideliũ præpoſitis admonet Titum, vt conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt. Oportet enim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem. Miniſtros quoque præcipit alibi probari prius,& ſic miniſtrare, nullum crimen habentes. Quæris, cur tanta exigantur in Euangelij miniſtro. Dicam equidem breuiter, quod neque Deo, neque hominibus, neque verò ſibi ipſi ſatisfacere vllo modo queat, niſi talis tantuſque ſit. Etenim Dei gratiam etſi certum eſt nullis proprijs meritis præueniri, tamen æquè quoque indubium eſt, iuſtorum ſanctitate & precibus, præpoſitorum præſertim, effici ſolere, vt ſubditus populus Dei largam in ſe benedictionem,& gratiam experiatur. Idq; multo maximè in initijs fidei, vbi nulla poſſunt eorũ, qui vocantur, merita inuitare, & multa poſſunt crimina obſtare. Scio equidem Dei gratiæ prorſus fuiſſe, vt tot millia Iudæorum Petri exhortatione pœnitentiam agerent, & in Chriſtum crederent, vt tot millia gentium Pauli prædicatione idolorum vanitate reiecta Deum viuum, & verum

Tit.1.
1.Tim.3.
Act.2.& 4.
Actor.16. & 17.

Rom.9. rum colerent. Et hoc neque currentis eſſe neque volentis, ſed Dei miſerentis. Ad eandem Dei miſericordiam hoc præparare, vt precibus meritiſque ſuorum tanta donaret, qui negat aut dubitat, ipſi diuinæ gratię iniurius eſt. Vult enim quodammodo pati vim, & hoc ſummę eſt beneficentiæ, vt ad bene faciendum ſe pulſari ſolicitariq; *Exod 32.* velit. Ob id populo duro virum mitiſſimum, ſibique amiciſſimum præficit, à quo ſeſe etiam teneri clamitat, ne in impios furorem effundat. *Geneſ 20.* Ob id pro Abimelech, & populo Aegyptiorum *Gen.25* Abraham, pro Rebecca Iſaac, pro amicorũ igno *Iob.42.* rantijs ſanctum Iob, pro Iſraelis populo, tum Sa *1.Reg.12.* muelem, tum Dauid, tum Ezechiam, & pro ipſo *4.Reg 19.* Ezechia Iſaiam, pro Samaritanorum plebe Pe *Iſaiæ 37.* trum, & Ioannem, pro Epaphrodito ægrotante *Act 8.* *Phil.2.* Paulum, itemque pro connauigantibus, tum pro *Acto.27.* alijs alios patres, amicoſq; ſuos Deus orare vult, & preces, ſacrificiaque offerre, vt perſpicuè doceat ſe ſe, vt minorum miſereatur, in quibus nõ ſuppetunt ea merita, maiorum ſtudio prouocari velle. Habet enim hoc diuinæ prouidentiæ ordo *D.Eccleſ.* mirabilis. Hinc Dionyſius, ſi quis per ſeipſum, *Hie.c.7.p.* inquit, ad Deum accedat, ſanctoſque deſpiciat, hic diuina nunquam familiaritate pôtietur. Atque, hoc eſt, quod per Prophetam expoſtulat: *Ezech.22.* Quæſiui virum, qui ſe medium interponeret, & non inueni. Hoc quoque alius propheta deplo- *Eſai.64.* rat: Non eſt, qui conſurgat, & teneat te. Quin potius improborum præpoſitorum peccatis eo vſque prouocatur ira diuina, vt non ſolùm beneficia conferre ceſſet, verùm etiam vindictam acceleret. Quare ſeuerè quidem, ſed verè Gregorius deterret indignos præpoſitos, cùm ait. Qua

mente apud Deum interceſſionis locum pro populo arripit, qui familiarem ſe eius gratiæ eſſe per vitæ merita neſcit? aut ab eo quomodo alijs veniam poſtulat, qui vtrum ſit ſibi placatus, ignorat? Qua in re eſt etiam formidandum, ne qui placare iram poſſe creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquidò nouimus, quia cùm is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Quę cùm ita ſint, verendum profectò, ne Indorum in fide exigui progreſſus, in multis etiam initia non facta noſtris malis meritis coram Deo æqua lance reſpondeant. Quò enim hi magis à Deo alieni, & à cæleſti luce ſeiuncti, eò ſacerdotis, & patris merita illuſtriora eſſe oportet, vt quod deeſt illis, apud optimum patrem Deum ipſe ſufficiat. Dixi præterea hominibus ſine vitæ integritate prodeſſe vix poſſe, quia re vera regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute, pluſque commouet vita pura, quã oratio culta. Contra, mores corrupti doctrinã ſanã facilè euertunt, & inanem reddunt. Sergius quidem Paulus proconſul vir prudens tunc credidit admirans ſuper doctrina Domini, cùm verbis vidit facta ſuccedere. Nos verò prodigia, quibus Euangelicas voces confirmemus, nulla producimus, neque verò eſt opus: vita vna reſtat ad plenã confirmationem, vt ait Chryſoſt. quæ ſi deſit, cætera ruant, neceſſe eſt. Indorum verò ingenium eſſe dixiſſe me memini, vt incredibili attentione de factis maiorum pendeant, illa obſeruent vigilantiſſimè, inde hos iudicant, & aut contemnunt, aut ſuſpiciunt, & pro Deo habent. Cuius verò vita deſpicitur, neceſſe eſt, vt etiam prædicatio

[Margin notes: 2 part. Paſt. c. 11. — 1. Cor. 4. — Act. 13. — Hom. 33. in 1. Cor.]

dicatio contemnatur. Non ergo alijs proderit ſine vitæ puritate, & ſplendore ſacerdos, ſibi autem nocebit plurimum, quod eſt diligenter intuendum.

Quod ij, qui inter barbaros verſantur, humanis ad virtutem auxilijs ſint deſtituti.

Cap. XIII.

SVnt inter gentes Indorum verſantibus humana ad virtutem adiumenta perpauca, impedimenta permulta. Quò minus oportet eos ſalutis ſuæ negligentes eſſe, ſed & integritatis radices altas egiſſe, & ingruentium contra ventorum tempeſtati fortiter repugnare, renouantes de die in diem interiorem hominem, Apoſtoli Pauli ſemper memores, qui talis, tantuſq; cùm
1.Cor. 9. eſſet, caſtigabat tamen, & in ſeruitutem redigebat corpus ſuum, ne cùm alijs prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Quam curam niſi quiſque ſui diligentem gerat, cũ in Indorum cõmorantur oppidis parochi, neminem ſunt habituri adiutorem. Magnum virtuti præſidium ſocietatis bonorũ. Socius exemplo excitat, ſermone recreat, conſilio inſtruit, orationibus adiuuat, autoritate continet, quæ omnia ſolitudini deſunt. Sapien-
Eccleſ. 4. ter admonet Salomon, Melius eſt duos eſſe ſimul quàm vnum. Habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Horrori periculoque immenſo eſt tanta in parochijs Indorum ſolitudo. Atque vt mihi quidem videtur, quantũ fieri poſſet, danda eſſet opera, ne minus quã duo degerent, cùm præſertim multa oppida reductione iã facta frequẽtia

fint;

ſint, quibus vnus minimè ſufficiat. Etenim Chri- *Matth.10.*
ſtus Dominus diſcipulos ad prædicandum binos
miſit, cùm poſſent tamen ſinguli plures populos
obire. Sed præceptor noſter tum conſolationi,
tum cautioni ſuorum ipſa ſocietate conſulendum putauit, tum etiam ædificationi ſecuritatique externorum. Quam formam tenuêre poſtea *Act.8.*
Apoſtoli, cùm Petrum & Ioannem mitterent, *Act.13.*
cùm Barnabam & Paulum, cùm Iudam & Sylam, *Act.15.*
& rurſus Barnabam & Marcum, Paulum & Sylam, atque ita pene perpetuò. Apud noſtros verò Euãgelij miniſtros mira ſolitudo. Ex qua primũ deſidia paulatim oritur: deinde licentia, cùm ſine teſte peccetur, reprehenſio nulla timeatur, poſtremò iam lapſi ſera, & difficilis reſipiſcentia, cùm medico careat. Hinc in malo conſuetudo, boni præterea omnis obliuio, denique vitæ melioris deſperatio. O quot ita miſerè corruêre,
vt meritò vlulare debeat abies: cùm viderit al- *Zach.11.*
tiſſimas ac nobiliſſimas cedros Libani cecidiſſe. Non loquor antiqua, non repeto Herones, Tertullianos, Origenes, Nicolaos, Salomones, cæteraque documenta veterum. Recentia & quotidiana intueor. Et quid obſecro prodeſt homini, ſi *Matth.16.*
mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ
detrimentum patiatur? Imò verò qui ſibi ne- *Eccli.14.*
quam eſt, cui bonus erit vnquam? Omnia ergo adiumenta & præſidia humana, quæ ex aliorum vita, moribus, doctrina, authoritate proficiſcuntur, deſunt propemodum parocho Indorum. Quonam igitur modo niſi multum in virtute profecerit, ſuęque ipſe diſciplinæ cuſtos integerrimus ac vigilantiſſimus ſit, ſuſcepto muneri ſine ingenti ſuo damno ſatiſfacere queat?

Quæ libidinis & auaritiæ incentiua occurrant.

CAP. XIIII.

ATqui ſolitudo etſi omnibus iſtis auxilijs caret, tamẽ olim expetebatur à multis, propterea quod etiam occaſionibus laqueiſq; vacaret, vbi libidinis, & cupiditatis materia omnis abeſſet. At barbarorum commoratio ita eſt omni humanitate deſtituta ad bonum, vt tamen in malũ nihil illa magis pertrahat & irritet. Impudicitię omnis vorago ingens, vbi hominũ timor nullus, fœminarũ mira laſciuia & procacitas, pudor penitus omnis ignotus: occaſio frequentiſſima, non tã quæſita ad libidinẽ, quàm libidinem ipſa quęrens. Timor quidẽ Dei potentiſſimus eſt ad reſiſtendũ peccato: At vbi pudore pariter ac metu humano deſtituitur, tũ verò vrgetur ipſa facilitate peccãdi, facillimè, quæ noſtra eſt miſeria, abijcitur. Vbi enim & tentat procliuitas, & ſuadet impunitas, quid nõ obtineat illecebra? Quis verò caſtus & pudicus, niſi fugiendo materia libidinis? Nam ea ſemel admota, quid ſequatur Salomon, & præcepto monet, (Quis ambulabit in igne, & plantę eius nõ cõburentur?) & exemplo docet, qui & dilectus à Deo inſigniter, & ſapiẽtia tanta ditatus, & ſenex iam ſuccubuit victus, omnemq; illã celebritatem ſuam eius maculæ labe fœdauit. Scripſit quidam beatus Pater, pudorem diuinitus datum eſſe mulieri, ne, ſi deeſſet, nõ fieret ſalua omnis caro. Apud barbaras fœminas pudor tam deeſt, vt nihil hac parte à pecude diſtẽt: imò verò cùm pecudes pudore non ſuperent, libidine ſuperãt. Quis igitur ex tãto incendio ſoſpes exibit, niſi quẽ gratia diuina protexerit, &

Prouerb. 6.

3. Reg. 11.

Ioannes Clymacus.

quo-

quotidiana carnis mortificatio vallauerit? Eſt alia quoque tentatio grandis, cui ſine magna animi conſtantia reſiſti non poteſt, dominatum exercendi in Indos, quorum naturalis atque vſitata ſubiectio, & nulla ad reſiſtendum audacia, animos facilè tollit rectori, vt quicquid collibeat, ſine cunctatione ad rem conferendū putet. Sunt enim qui dominantur fidei ſuorum, qui cum auſteritate imperant, & fas omne ac nefas pro ſuo arbitratu ſtatuunt, verè ab Apoſtolo deſcripti operarij, qui deuorant, qui accipiunt, qui extolluntur, qui in faciem cædunt, qui Deo non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Qui ita tenere primatum amant, vt non recipiant quoſuis alios, quamuis vitæ probatæ, & doctrinæ ſanæ, & in opere Dei exercitatos. Inde faſtus quidam inſolens: Quod ſi quis frater verbum exhortationis habeat ad plebem, ingratè prorſus accipere, inuidiam concitare, nihil iuris alijs facere. Neque ignoro eſſe complures, qui coadiutores in Dei opere non ſolùm accipiant, ſed vehementer etiam efflagitent. Inde quoque cupiditatis habenæ laxiſſimæ cum campus latè patens occurrat, vbi quicquid quæſtus exerceri velit, nemo ſit contradicturus, opera prompta Indorum ad quiduis. Si ſcelera maiorum diſſimulare pergat, argenti quiduis corradet, ſi mulctare pecunia, ſi ſeruitia imperare obſequia omnium parata. Deniq; abſoluti cuiuſdam imperij & auaritiæ tam eſt effuſa materia, vt niſi quis temperatiſſimo animo ſit, virtute iam confirmata, in tranſuerſum breui agi poſſit.

2. Cor. 11.
Rom. 16.

Contra abuſus Indicorum Parochorum.

CAPVT XV.

PRæclarè verò ageretur cum rebus Indorum, ſi ſacerdotum ea ſaltem modeſtia eſſet, vt vitiorum occaſionibus humanè oppugnarentur, ac non quærerent etiam ipſi de induſtria vitæ ſolutioris licentiam, accerſentes vltrò ſua damna,

Sap. 1. ponentes ſponſionem cum morte, & tot & tam

Sap. 14. magna mala pacem exiſtimantes. Neque enim laqueos diaboli effugiunt, fœminas conſortio

Eccli. 42. ſuo & vitæ vſibus adhibentes. Quod ſi à veſtimento tinea, & à muliere iniquitas viri procedit, quę poteſt eſſe caſtitatis tanta cuſtodia, quæ hoſtem perpetuò inſidiantem, domo, lare, & indiuidua conſuetudine accipiat? Aiunt ſibi nec cibos coquere, nec cætera ſeruitia parare debere; ad hos vſus fœminas neceſſariò adhibendas eſſe. Quaſi verò, & viri iſta præſtare non poſſint, Indi præſertim ad omnia obſequia promptiſſimi. Aut ſi fœminarum omnino munditias cupiunt, non poſſint anus, quæ neq; ignem neq; fumum, vt dicitur, pariant, reperire. Neſcio an alia in re maiore cura laboratum ſit ab antiquis patribus, vix plures aut ſeueriores canones legas, quàm vbi id agitur, ne cum fœminis habitent clerici. In Con-

Diſt. 32. c. Interdixit. cilio magno Nicęno quàm grauiter de ſubintroductis mulieribus clerico vitandis cautum ſit,

Conc. Aquiſgran. c. 39. Lucius papa in epiſt. ad epiſcopos Galliæ & Hiſp. nemo non nouit. Omnes prouinciales ſynodi plenæ ſunt. Patrum decreta vehementer clamāt, vnuſq; Hieronymus ſatis eſſe poteſt vſq; ad inuidiam hoc loco decertans. Hoſpitiolum tuum, inquit, ſcribens ad Nepotianum clericum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant, quia

non

non poteſt cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit, nunquam de mulierum formis diſputes, fœminæ nomen tuum neſciant, & cætera. Nulla profectò excuſatio hinc admitti poteſt, vbi ſi minus conſcientiæ, famæ ſaltem ſuæ conſulere debet parochus. Negotiationem verò ſacerdotes exercere, atque vſuras inſuper quærere, omnium conciliorum, atq; Pontificum, Leonis præſertim vocibus interdictum eſt, & Pauli ipſius, vel potius Domini, quod ſcirent omnium malorum radicem eſſe cupiditatem, & ſæcularia negotia militiam Dei plurimum impedire. Hic ego quid commemorem exquiſitas mammonæ artes, emptiones, diſtractioneſque rerum, pacta & conuenta ſecretò inita, argentum ad negotiandum inſtitoribus datum, vt cum fœnore redeat, quod plerumque meritò nullum redit, & ſorte quoque excluſi, & actione, qui ſeſe eorum fidei dedunt, qui impoſturam facere clerico indulgentiam putant? Iam verò auri cum argento permutationes, ipſiuſque argenti probati, & puri cum impuro, induſtriam tempora obſeruantem, & fidelium oblationes vendentem, cum Patronis mutua ſub certa lege, & mille alias auaritiæ fraudes recenſere longiſſimum eſt. Itaque illæ potiſſimum Paræciæ Indorum appetuntur, & magno ſæpè ambitu, & pretio obtinentur, quæ licet prouentus habeant fortaſſe minores, negotiandi tamen commoditates vberiores præbent. A ſacerdote vſque ad Prophetam omnes auaritiæ ſtudent, ait ſermo diuinus. En Indici ſacerdotij Charibdis, & Syrtes, ad hos ſcopulos miſeranda, &

Conc. Turon cap. 7. In 3 lib. decret tit. de cohabitatione clericorũ & mulierũ. Hieron. ad Nepotian. ad Ruſtic. ad Paulinum, & ad Oceanũ. Gratian. ſub vno textu coniungit d. 32 c Hoſpitiolum. 14 quaſt. 4. Quoniam multi. Leo epiſt. 1. cap 3. & 4. Conc. Eliberi. c. 19 & 20. diſ. 88. per totam, et lib. 3. decreta. tit. vltimo.

Hierem. 6.

quotidiana naufragia. Quid verò de aleatoribus? Et hos grauiſſimè damnant Canones, ſed fruſtra, quantum video, ad nos. Ponitur menſa fortunæ, dies noctéſq; alea iacitur, colluſores, vt ad cadauer vultures, vndique accurrunt, ſi morantur, etiam accerſuntur. Populare eſt in ſacerdotis domo ludendum. Integri anni ſtipendia vno ſæpè iactu raduntur. Faſtidia pleriq; ſolitudinis & otij obtendunt, qui ęgroti confeſſionem, aut rudis catechumeni inſtructionem, ſi quartam horæ partem excedat, moleſtã, & prolixam accuſant. Inſomnes nocte, multo iam die ſacra peragunt, idque curſim, vt mirum ſit eos pictas chartulas pro ſacris paginis non referre. Non inuehor equidem, neq; maledicendi animo iſta depromo. Sed cogor vicem noſtram dolere, qui fabula, & ludibrium facti ſumus vicinis noſtris. Alij verò venationes, aut aucupia exercere honeſtiſſimum ducunt, plus ſæpè in venaticis canibus inſumentes, quam pauperibus erogãtes præſepia ad obequitandum plena, accipitres magno ſtudio alere, greges Indorum poſt ſe trahere, montium iuga frequentius terere quàm Eccleſiæ limina. Aduerſus has ineptias multa quoque ſancita in Conciliis Patrum, Gallicanis præſertim. Sed collapſa eſt iampridem diſciplina Eccleſiaſtica omnis, idem, & ſacerdotes, & præſules, & monachi actitamus. Reprehendi iam illa non poſſunt, quę communia ſunt omnibus. Itaque is cui paſtoralis Indorum cura committitur, non ſolùm contra Diaboli machinas, & naturæ incentiua pugnare debet, ſed iam etiam confirmatæ hominũ conſuetudini & tempore, & turba præpotenti ſeſe obijcere, & ad excipienda inuidorum, ac maleuolorum

In 6. Syn. gener ca. 50. diſt. 35. c. Epiſcopus. Eſaiæ 65.

In Synodo Francica, & Sueſsionenſi, & Turo. c. 8. & Foroſulienſ cap 6. De clerico venatore. c. Epiſcopum ex Conc. Aurelianenſi.

leuolorũ tela fortè pectus opponere, qui ſi quid à profano ſuo inſtituto abhorrentem viderint, proditorem, hypocritam, hoſtem clamant. Hæc ergo, quæ breuiter attigi, & in alijs curare, cum eorum fortè confeſſiones audierit, & in ſe cauere bonus Chriſti miniſter debet, quod vt pro dignitate præſtet, quanta opus ſit gratia Dei, quanta vitæ obſeruantia, ipſe perpendat. Adijciam denique ad calcem ſancti Iſidori ſententiam de ſacerdotij ſanctitate, vt hunc totum locum amplius de Parochi vitæ integritate cōcludam. Sed quid plura ſubijciamus? inquit. Si enim is, qui in presbyterio, vel epiſcopatu poſitus mortale aliquod peccatum admiſerit, retrahitur: quanto magis ante ordinationem, ſi peccator inuentus eſt, cauẽdum eſt, ne ordinetur. Quapropter quia lex peccatores à ſacerdotio remouet, conſideret ſe vnuſquiſque, & ſciens, quia potentes potenter tormenta patientur, retrahat ſe ab hoc non tam honore, quam onere. Qui enim erudiendis, atq; inſtruendis de virtute populis præerit, neceſſe eſt, vt in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur.

Etymo lib. 7. c. 6.

De Orationis præſidio Euangelizanti neceſſario.

CAPVT XVI.

QValem oporteat eſſe miniſtrum ſalutis Indorum, dictum eſt hactenus, dicendum deinceps, quibus præſidijs hanc, quam expetit, Indorum ſalutem conſequetur. Mihi ad tantam rẽ efficiendam quinque omninò neceſſaria videri ſolent; vt vir Euangelicus oratione Deum ſibi conciliet, Exemplo homines moueat, beneficen-

tia alliciat, Catechiſmo inſtruat, ſacramẽtis ſanctificet, quæ ſanè ſigillatim Parochos, paſtoreſque Indorum, quoties res incidit mihi horum conſcientias tractanti, rogare ſoleo, quantum memini, & commendare diligenter. De quibus etiam vberius modò diſſerendum puto. Igitur vniuerſæ ſacerdotalis curæ, negotijque gerendi caput orationem eſſe non dubito, modò ea feruens, aſſiduaque ſit. Etſi enim omni negotio ſpirituali inchoando, & proſequendo orationis præſidia prima præcipuaq; ſunt authore Dionyſio, vel potius Chriſto, qui ſemper orare monet, neq; vnquam deficere, tamen vbi de conuerſione animarum agitur multò maximè, quòd gratiæ res tota ſit, quæ impetrari precibus poteſt, meritis præueniri nõ poteſt. Quod ſi non de quauis conuerſione res eſt, ſed de prima, de maxima, de difficillima, quando vocatur infidelis ad Fidem, quando non affectum ſolùm, ſed ipſum quoq; ſenſum iubetur exuere, & ſeſe penitus abnegare, vt in obſequium Chriſti captiuo intellectu eat, tam eſt profectò orationis ſingulare præſidium, vt qui cætera omnia adhibeat, hanc ſi omittat, nihil acturus ſit, in haſta & clypeo veniens, non in Domino fiduciam habens. Neque enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua Domine, & illuminatio vultus tui, quia complacuiſti in eis. Plus longè, ſine vlla dubitatione, Paulus orationibus egit, quàm concionibus, plus lachrymis, & gemitibus, quàm exhortationibus. Itidemque Petrus, & Ioannes, cæterique militiæ Chriſtianæ duces. Orationi Stephani Saulum donatum vult Martyr Cyprianus, ſicut Monicæ

De diuin. Nomi. c. 3.

Luca 18.

Pſal. 43.

Ser. de bono Patien.

matris

matris lachrymis regenerationem ſuam magis acceptam fert Auguſtinus,quàm Ambroſij concionibus. Quamobrem antè omnem diuini verbi tractationem orandum ardenter monet idem beatus Pater, deoque dicendum ex animo, In manu tua Domine ſumus & nos,& ſermones noſtri. Idcirco pro infidelibus tam diligenter ſancta mater orat Eccleſia,vt ijdem Cyprianus, Auguſtinuſq; notarunt, quod eos tenebris ſuis profundiſſimè immerſos lucem diuinam aſpicere minimè liceat, niſi ſol iuſtitiæ ſedentibus in regione vmbræ mortis clementer illuxerit. Ego P. Franciſcum Xabier, tot millia hominum Chriſto peperiſſe facundia non puto, qui etiam in materno ſuo ſermone non admodum eloquens perhibetur à noſtris, ne dum in aliena lingua barbarica verba vix frangens potius quàm proferens;ſed feruentiſſimis certè precibus, ardentibus lachrymis,gemitibus,ſuſpirijſque ex imo ductis,in quibus totus erat noctes integras peruigil,quibus multò fortius, & continentius Deũ pulſabat,quàm homines vlla dicendi vi. Atq; in hoc ipſo Regno nouimus, qui ſimplici quidem ſermone & imperito,ſed ſpiritu Dei feruẽs plus in conuerſione Indorum effecerit, quàm multi præclari locutores. Immenſum eſſet antiquæ ætatis exẽpla narrare. Vnus Paulus Apoſtolus pro omnibus eſſe poteſt,cuius in orando incredibile ſtudium pro verbi victoria nullus hominum fide dignum putaret,niſi Spiritu ſancto teſte eum mentiri non poſſe cognoſceret. Euolue ex ordine illius omnes epiſtolas: inuenies,ad Romanos Deum ſibi teſtem aduocantem, quod ſine intermiſſione ſemper in orationibus ſuis memoriam

Lib. Conf.

Libro 4. de Doct. Chriſt. c. 15. & 30.

Sap. 7.

Rom. 1.

1.Cor. 1. eorum faceret: pro Corinthijs ſemper gratias a-
Epheſ. 3. gentem Deo: pro Epheſijs genua flectentem, vt
Chriſtus habitaret per fidem in cordibus horũ:
Philip. 1. pro Philippenſibus omnibus ſemper in cunctis
orationibus cum gaudio deprecantem: Coloſ-
Coloſſ. 1. ſenſibus non ceſſantem poſtulare, & orare, vt ag-
1. Theſſ. 1. nitione Dei impleantur: Theſalonicenſium me-
moriam facientem in orationibus ſine inter-
2. Tim. 1. miſſione: Timothei diſcipuli memorem, & hunc
Philæ. 1. deſiderantem nocte & die: Philæmonis quoque,
& domeſticæ eius Eccleſiæ in orationibus ſem-
per memorem, quod de Tito quanquam tacet, ta-
men debemus accipere, qui maior digniorque
apud Paulum erat. Nam Hebræorum, quibus de
hac re nihil videtur ſignificare epiſtolæ exordio
paululum commutato, & propter argumenti
magnitudinem, & ſublimitatem ſtylo pene ora-
torio magis quam epiſtolari vſus, ad Romanos
Rom. 10. ſcribens, an memoria excidiſſet ſibi, ſatis indi-
cat, cum triſtitiam ſibi magnam doloremq; con-
tinuum refert, adeò vt ſeparari à Chriſto quo-
Rom 10. dammodo pro illis cuperet, pro quibus dicit
quamuis obſtinatis & duris obſecrationem tamē
à ſe fieri ſalutis cauſa. Galatas, vt ne hos quidem
prætermittamus, quanquam acriore oratione v-
tendum ratus pro neceſſaria obiurgatione, ſua-
uitatem illam orationum premendam exiſtima-
rit, tamen quantum orationibus adiuuaret, qui-
bus lachrymis proſequeretur non ſolùm inde
diſcimus, quod ſolicitudinem ſuam alibi omniũ
2. Cor. 11. Eccleſiarum perhibet, verùm etiam quod ma-
terno quodam affectu flebiliter conuenit hos; Fi-
lioli mei, quos iterum parturi, donec formetur
Chriſtus in vobis. Omnino ſtupore dignum fi-
demque

demque omnem propemodum ſuperans, tot Eccleſiarum, tot domorum, tot hominum memoriam perpetem in vno Paulo hærere, quos ſemper, quos ſine intermiſſione, quos in cunctis orationibus etiam iuriſiurandi religione interpoſita ſibi ſcribit eſſe præſentes. Ego Pauli charitatem à Chriſto deriuatam, qui omnes, cùm oraret, nominatim recordaretur electos, eo modo intelligo, quo immenſum pelagus in ſinum aliquẽ magnum influit, atque hac orandi diligentia, quòd tanta peregerit, deſino penè mirari, qui meminerim orationi nihil eſſe difficilè. Itaq; vt ducentarum ſeptuaginta ſex animarũ vita mortalis donata eſt Paulo precanti, ita innumerabilium vita animi æterna. Quid Petrus, cuius tantus ardor extitit, vt etiam poſt obitum ſuum frequenter ſuos apud ſe habiturum polliceatur? Ac certè verum eſſe mihi perſuadeo, quod D. Chryſoſtomus ſcripſit paſtores Eccleſiæ ſolere prius atque ſtudioſius ſuorum in oratione meminiſſe, quam ſui. De Polycarpo Ioannis diſcipulo Euſebius narrat, cum à lictoribus quæreretur, martyriumque ſuum adeſſe cerneret, impetrato orandi ſpatio duas horas in commemorandis Chriſti fidelibus nominatim ſibi commiſſis exegiſſe, ſui fortaſſe mentione vix habita. Tanta erat in ſuos charitas priſcorum illorum Patrum, tantus ardor orandi. Et eſt prorſus verum, quod ad Auguſtinum beatus Innocentius ſcripſit, plus nos proficere alternis, & communibus orationibus, quam ſingularibus, & priuatis. Poſtremò qui in vocatione gentium laborat, meminerit ſe Apoſtolorum fungi officio, qui alia alijs omnia demandantes, duo tantum ſibi ſumpſerunt, vt o-

Gal. 4. *Actor. 27.* *2. Pet. 1.* *Eccl. hiſt. lib. 4. c. 15.* *Epiſt. 97.*

Actor. 6. rationi & miniſterio verbi inſtantes eſſent. His duabus functionibus oratione ad Deum, & oratione ad homines Apoſtolica cura definita eſt, quas ſi quis ſeiungat, ac diſtrahat, tam fieri nequit, vt optatam fratrum ſalutem acquirat, quàm ſi longum pelagus enauigare contendens, vel nulla vela ſuſpendat, vel plenis velis nauim ſtatione non ſoluat. Qui velit igitur in Indicana vinea fructuosè operari, orandi ſtudium nunquam ſibi intermittendum perſuadeat, ſe ipſum verò iuge ſacrificium offerens, lachrymis, fletibus, ieiunijs, vigilijſq; crebris, atque omni corpuſculi maceratione Deum ſibi propitium reddat, vt Euangelium creſcat, atque fructificet in vniuerſo mundo. Opinor ſanè in illo genere dæmoniorum multa verſari inter Indos, quæ non
Marc. 9. niſi ieiunijs, & orationibus eijciantur. Inter omnia verò venerabilis illa agni immaculati victima principem locum tenet, quam Patri quotidie immolet toto mentis affectu, plenaque fiducia, fidentiſſimè poſtulans, vt eos, ad quos legatione fungitur, filij ſui cohæredes, & concorporales eſſe dignetur, pro quibus ille ſanguis effuſus eſt. Fieri non poteſt, vt tali oblatione tam bene mu-
Ephef. 2. nitæ preces ab eo, qui diues eſt in miſericordia & propter nimiam charitatem ſuam, cùm & ipſi eſſemus mortui, conuiuificauit nos Chriſto, repulſam ferant.

De vitæ exemplo.

CAPVT XVII.

EX frequenti cum Deo conſuetudine, vitæ quoque diuinæ guſtus quidam efficitur, &
2. Cor. 5. quāuis ſobrij alijs eſſe pergant, qui alioqui mente ex-

te excedunt Deo, & illius cellarijs ſæpè interſunt, non poſſunt tamen non ebrietatis illius, atque dulcedinis abundantiam eructare, Deumq; redolere. Vt quicquid Moyſes caput obuelet, ne fulgoris magnitudine plebis oculos perſtringat, tamen ex conſortio Dei ita eum immutatum redire neceſſe eſt, vt ne ipſe quidem ſe agnoſcat, ignoretq; faciem ſibi alterã, poſtquam diuino colloquio potitus eſt. Itaq; orationis præſidio non ſolùm alijs Dei gratia impetratur, pro quibus orat, ſed ipſe quoq; nouo igne ſuccenditur, vt vitam cœleſtem, Deoq; dignam inſtituat. Vitæ verò conſpicuam puritatem in Fidei præceptore apud Indos ſummoperè neceſſariam eſſe vt docendo proficiat, & aliàs ſæpè iam diximus, & eſt ſępius adhuc repetendum, cùm nulla alia maior, & certior ſpes ſit ſalutis Indorum incorrupto boni paſtoris exemplo, contra nulla validior peſtis ſtulti paſtoris peſſimo exemplo, quem pulchrè ſermo propheticus idolum potius paſtoris appellat. Agat ergo ſedulò miniſter Chriſti, vt Chriſtum vita ipſa teſtetur, vt cognoſcant omnes illius diſcipulum, cuius doctrina gloriatur. Diſcat à Chriſto manſuetudinem, diſcat humilitatem, diſcat perfectam illam, & maximam charitatem, vt vitam etiam pro ouibus promptè expendat. Meminerit operibus bonis ita lucere coram hominibus, vt videntes glorificent Patrem qui in cœlis eſt. Hoc eſſe omnium ad perſuadendum potentiſſimum miraculũ certò ſciat, quod cùm ex tot tantiſq; illius primæuæ Eccleſiæ relictum ſit, indefeſſo ſtudio conſeruare debemus. Petrus quidem à Domino paſtor Eccleſiæ vniuerſæ conſtitutus paſtores admonet, obſecratq;, vt ſe

Cant. 5. *Pſal. 144.* *Exod. 34.* *Zach. 11.* *1. Pet. 5.*

vt ſe formam gregi ex animo exhibeant, quod in maiorum exempla intueri ſubditi ſoleant, atque inde informare naturaliter mores. Quare fidenter Paulus prouocabat ſuos ad ſe intuendum, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti; & alibi, Obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. At quibus in rebus formam ſe præbere vitæ miniſtri Chriſti maximè debēt? Petrus ſanè faſtum, & importunam dominandi arrogantiam, tum cupiditatis omnis ſuſpicionem vehementer exagitat; Neque dominantes, inquit, in clero, neque turpis lucri gratia. Paulus verò talem ſe ipſe commemorat apud Theſſalonicenſes; Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs, cùm poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupidè volebamus vobis tradere non ſolum Euangelium, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Quid non iſto animo Paulus efficeret? cuius vel ferreum pectus hac tanta dulcedine non molliret? Quem ſæculi etiam ſapientem, etiam rerum mortalium amatorem non vinceret, flecteretque tanta illa integritate, tam mirabili rerum omnium contemptu? Verùm præter hunc, & ſui & rerum omniũ contemptum, & inflammatam in fratres charitatem, caſtitatis exemplum peculiariter Timotheo præſcribit, Exemplum, inquit, eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Titum quoque eodem modo admonet,

1.Cor. 11. *Phil. 3.* *1.Pet. 5.* *1.Theſſ.2.* *1.Tim.2.*

In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Non ſolum caſtitatem omnibus notam eſſe iubet, ſed integritatem quoq;, & grauitatem, vt nihil leuitatis in eo notari queat, non oculus liberior, non vultus fractior, non verbum petulantius, nihil laſciuum, nihil impudici cordis ſtudium redolens extet, ſed aſpectus ipſe, inceſſus, colloquia omnia plena iucundæ cuiuſdã grauitatis. Illud ſenis Hieronymi obſeruet: Quicquid de te probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Denique in his duobus, continentia inquam, & pecuniæ contemptu etiam opinionem hominũ captet. Multa quidem alia Apoſtolis crimina obiecta ab aduerſarijs fidei Chryſoſtomus dicit, cæterùm cupiditatis, aut impudicitiæ etiam ab inimicis, & mendacibus nunquam fuiſſe inculatos, quod in his omnes vellent nollent teſtimonium veritati dare cogerentur. Id quod in Chriſto Rege noſtro aduertere eſt, cùm tamen inuidioſiſſimè, & iniquiſſimè oppugnaretur, ac proſcinderetur ab impijs. Mihi ad hos Indos proficiſcẽti ſapienter quidam noſter ſuggeſſit frater in Orientali India diutiſſimè ipſe verſatus, non ſolùm veritatem in hac parte, ſed etiam opinionem ſtudioſè eſſe quærendam, vt te (ſic enim me ille alloquebatur) hypocritam agere interdum minimè pœniteat. Vt enim virginalis fama, ſic ſacerdotale decus ſiniſtra ſuſpicione facilè violatur. Ita ergo ſeſe comparet miniſter Euangelij, vt omni momento ſpectaculum ſe eſſe Deo, & Angelis, & hominibus cogitet.

Tit. 2.

In epiſt. ad Nepotian.

In 1. ad Tim hom. 10.

1. Cor. 4.

De Be-

De Beneficentia.

CAPVT XVIII.

Beneficētiam tertio loco numerabamus. Quãuis autem ipſa verbi Dei impartitio beneficentiæ ſit præclariſſimæ, neq; tam ſtulti ſimus, vt panem quo venter eſurientis impletur in eleemoſynæ genere præferamus Dei verbo, quo mẽs
De Cat. rud. c. 14. diſcentis inſtruitur, vt Auguſtinus admonuit: tamen eam modò beneficentiam propriè nomino, qua fratrum ſaluti fortuniſque conſulimus. Hãc in omni Rectore aduerſus ſubditos magnopere neceſſariam eleganter Gregorius oſtendit.
2. lib. Paſt. c. 7. Egentis, inquit, mentem doctrinæ ſermo non penetrat, ſi hunc apud eius animum manus miſericordiæ non commendat. Tunc autem verbi ſemen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prędicantis rigat. Nam quaſi iure, vt diximus, à percipienda prædicatione gregis animus frangitur, ſi cura exterioris ſubſidij à paſtore negligatur. De hac externorum bonorum communicatione, & prouidentia Petri Apoſtoli
1. Pet. 5. vocem illam accipiendam dicit: Paſcite, qui in vobis eſt gregem prouidentes non coactè, ſed
1. Tim. 5. ſpontaneè ſecundùm Deum. Huc quoq; illud adiungit, ſi quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Et certè hunc fuiſſe ab Apoſtolis traditum morem longa ætate retentum, vt Eccleſiæ paſtores de Eccleſiæ bonis, deq; ſuis ipſorum egentibus omnibus opportuna ſuppeditarent notius eſt, quàm vt Conciliorum decreta innumerabilia, & Eccleſiaſtica geſta referri opus ſit. Hãc
Actor. 6. ob cauſam Diaconos inter alia creatos ab Apo-

ſtolis conſtat, vt menſis pauperum miniſtrarent, adeoq; Agape illa culta eſt tunc, quæ poſtea paulatim elanguit, & quaſi veſtigijs tantùm conſeruata eſt, vt nullus inter eos egens eſſe ſineretur. Hac prouidentia Eccleſiaſtica, paternaque miſericordia in pauperes plenæ ſunt literæ ſanctorum Ambroſij præſertim, atque Chryſoſtomi, quam eò proceſſiſſe ſcimus, vt nonnulli pontifices ſua omnia diſtraherent, quidam ſudoribus ſuis pauperes alerent. Paulinus Nolanus Epiſcopus, vt magni ſcriptores fideq; digni referunt, ſeipſum quoq; vendendum tradidit, ſeruitutiſq; ſuæ pretio inuſitata miſericordia alterius calamitati ſuccurrit. Longum eſt, & minimè neceſſarium antiquorum patrũ vel facta narrare, vel decreta relegere, qui eoſdem voluerunt, & verbi Dei ad paſcendas animas eſſe miniſtros, & bonorum ad ſeruanda corpora diſtributores. Quare etiam Aeconomos Chriſti vocandos cenſuerũt. Rè autem vera ſi nihil in hac parte nos adiuuaret antiquitas, tamen ipſæ res moreſq; Indorum ſatis hoc tempore ſtudioſos Dei miniſtros admonerent excitarentq;, vt ſi fructum ſpirituale verbi cupiant, beneficẽtiam nullo modo ſibi perire patiantur. Nam ſi lucra animarum ſitimus, nulla magis compendiaria via beneficentia. Beneficentia animos facilè expugnat, atq; deuincit, quicquid vult copioſè perorat, atq; perſuadet. Nam vt in ſuperioribus libris dixiſſe me opinor, ideò Chriſti Apoſtolorumque ſigna, tam ad Fidem aſtruẽdam fuēre potentia, ꝙ omnia penè vtilitati hominũ impenderentur. Inde facilè, ac libenter conciliati animi hominũ ſalutis conſilia ab optimè de ſe meritis hauriebãt. Mortuos, inquit, ſuſcitate,

Gregor. 3. Dial. cap. 1. Aug. de Ciu.

Lucæ 10.

citate, leproſos mundate, infirmos curate, dęmones eijcite, & ad cumulum omnium, gratis accepiſtis, gratis date. Hoc extrēmum ſi ſynceritate Euangelio digna in Dei præconibus gentes cernerent, quamuis barbaræ, quamuis feræ, breui profectò manſueſcerent, omniq́ue illa feritate depoſita leniſſimo Chriſti iugo victa colla ſummitterent. Et canes & piſces, & ipſi immanes leones beneficia ſentiunt, & ea gratitudinis ſuæ argumenta hiſtoricis conſcribenda dederunt, quæ homines niſi flectant; ſaxeos monſtrent. Falſa prorſus, & improba ſententia multorum eſt, Indos nihil beneficia ſentire, humanitate non tangi, gratitudinis ne veſtigium quidem oſtendere, quo in eos clementior beneficentiorq́; ſis, eo deteriores reddi. Sed quamuis nonnulla ex parte de barbarorum ſeruili ingenio, & minimè ingenuo, ita exiſtimare procliue eſt, tamen quod ad cohibenda humanitatis, & beneficentiæ in eos officia attinet, non ſatis vigilanter iſta dicuntur. Namque apud eos, quibus ſe non ſatis Indi committunt, quorum fidem ſuſpectam habent, tenet ſanè vulgaris iſta opinio locum. Libenter enim beneficium accipiunt, breui obliuiſcuntur acceptum, raro, aut nunquam gratiam referunt. Cauſa eſt naturæ ipſorum imbecillitas, & timiditas. Vt enim canis alienus nec menſæ tuæ aſſuefactus obiectam offam, aut fruſtum rapit, atque ita abit; ſi plura non videt: at menſæ herili aſſuetus adeſt aliter; herumq́ue iam ſibi notum ſequitur: ita profectò barbari natura alieni à conſortio, & humanitate non ſe credunt tibi etiam benefacienti, timentq́ue adhuc potius quàm amant. At ſi longo vſu didicerint te ſibi beneuolum verè,
profectò

profectò & grati ſunt; & ſe ipſos etiam dedunt.

1. Indos domeſticos, ſiue familiares.

Dicant ſanè Hiſpani, qui Ianaconas experti ſunt, an ſit genus hominum obſequentius, heroq́ue ſuo deuotius. Dicant Patroni Indorum, an ſi ſacerdotem ſibi beneficum, & commodum experti ſunt, non excedentem deplorent, ac requirant, apud patronos præſuleſq́; etiam conteſtentur eo Patre nullum ſibi eſſe chariorem. Dicãt ſacerdotes ipſi, qui in eos fuêre liberaliores, an non ſentiant ad quæuis obſequia promptos, an non Dei verbum videant eos libentius ſuſcipere, & animum ad noſtra germanè accommodare. Nos certè ipſi exiguum quiddam beneficij impertiti, tamen excedentes, & lachrymas illorum videbamus, & clamores exaudiebamus, & quoſdam longo itinere nos conſectantes vel inuiti retinebamus. Quod ſi illam noſtrorum hominum vrbanitatem, verborumq́; elegantiam, atque animi grati ſignificationem officioſam, quia in Indis minus inueniunt, apud ingratos fruſtra beneficia collocari iactant, falsò ſanè in barbarica conſuetudine mores cultiores quærunt, quos ne apud ruſticos quidem ſuos Hiſpani reperiunt. Quod ſi conſtantem æſtimationem benemeritorum librantem omnia iuſtiſſima lance deſiderant, nimium id est in ijs præſertim, qui nos longè ſibi duriores, quàm humaniores experti ſunt. Sed eſt tamen ſenſus beneficiorum apud Indos, qui ne feris quidem deeſt, ſaltem vt commoditates ſuas cogitantes eos libenter audiant, quos de ſe benemeritos vident. Bene merendo igitur multum ad conciliandas aures animoſq́; Euangelio proficitur. Quod ſi nihil aliud, certè Chriſtiani nominis honor nos maxi-

mè mouere deberet, vt intelligant Indorum gentes non omnes Chriſtianos eſſe auaros, quæſtuarios, alienorum expilatores, quod in pleriſque viderunt: ſed eſſe etiam humanos, beneficos, liberales, qui ſe, non ſua quærant. Illos à Chriſto eſſe alieniſſimos, hos Chriſti, & verba, & exempla ſectari, verè enim glorificant Deum, Chriſtumque magni faciunt, cùm tales eius miniſtros vident. Nam illa, quæ de regno cœlorum commemorantur à nobis, deque præſentium rerum contemptu, vel non capiunt, vel non facilè ſibi perſuadent, cũ ſermo factis euertitur. Ingens Heliſæi laus quòd externum Naamanum lepra mundans argentum aurumque reſpuerit: graue Giezi facinus, qui prophetę Dominique ſui puritatem, & ſplendorem, argento eius nomine falſo poſtulato offuſcauerit. Itaque perpetua lepra mulctatus etiam poſteros nequitiæ ſuæ teſtes reliquit. Id nunc fit à pleriſque, qui Chriſti ſe ſeruos profitentur, & quam eorum Dominus pecuniam repudiauit, beneficio liberaliſſimè collocato, hanc iſti repetunt illius nomine, ſed lepra impleti infidelitatis ſuæ pœnas iuſtiſſimas dant. Infidelitatem qui in alijs curant, infideles ipſi, eorumque tota poſteritas. Ergo operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei, neque pigeat Euangelicum miniſtrum ægrotum viſitare, xenio aliquo recreare, famelicum cibario ſaltem pane paſcere, nudum operire, pauperem, cui non eſt adiutor, à diuitum calumnijs, & potentia eripere, pro afflictis principem magiſtratumue conuenire, cœlibes matrimonio honeſtè quæſito collocare, rem familiarem conſilio augere, morientibus ſedulò

4. Reg. 5. — Gal. 6. — Eccli. 7.

dulò & benignè aſtare, ſepulturam curare, eos, qui quæruntur ad mortē, eripere, lites & diſſidia componere: omni deniq; officij genere cumulatè proſequi, ſiquidem certiſſimè ſciat Chriſto Chriſtianæq; religioni honorē maximū, ad ſpiritualē fratrum ſalutē viam apertam, ſibi præmiū copioſum parari, ſi verum illud eſt, quod veritas dixit, Quod minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. *Matth. 25.*

De correptione & diſciplina.

CAP. XIX.

CVM verò Chriſtianæ dilectionis ſit non modò conſolari puſillanimes, ſed etiam corripere inquietos, hanc quoq; beneficentiæ partē, quæ perperam admiſſis corrigendis inſiſtit, minimè ſibi prætermittendā parochus exiſtimare debet. *1. Theſſ. 5.* Ac ſicubi diſciplinæ ſeuerioris cura adhibenda eſt, ea profectò opus eſt maximè in natione Indorum, quod & natura ſeruili, & moribus plerumque puerilibus ſint, qui ſeſe ita comparānt, vt niſi timoris ſtimulis excitentur, facilè de via deflectānt, aut pigri conſiſtant. Rectè prorſus Salomon ſcripſit, Virga & diſciplina tribuunt ſapientiam. *Prouerb. 29.* & alibi: ſtultitia colligata eſt in corde pueri, ſed virga diſciplinæ fugabit eam. *Prou. 22.* & rurſus, Non emendabitur verbis ſeruus durus. Seruus non poteſt verbis erudiri. *Prouer. 29.* Paulus quoque Apoſtolus non ſolùm manſuetudinis ſpiritum, ſed virgam quoq; præfert interdum. *1. Cor. 4.* Sed quomodo & quatenus caſtigatione vtendum ſit ſacerdoti Dei, id certè quæritur. Plerique perſuaſi niſi per vim & metum nihil ſe apud Indos proficere, vſque ad plagas deſæuiunt, neque verentur Deo ſacratas manus, in colaphos ſuorum vertere. Rem prorſus inhoneſtam, & ſacerdotali

autoritate maximè indignam eum, qui patris nomen vſurpet, qui Chriſti teneat locum, tam vilem carnificinam exercere. Apoſtolus quidem inter cætera, quæ in eo qui Eccleſiaſticæ familiæ præficiendus ſit, requirit, hoc etiam meminit, Ne ſit percuſſor, ſiue, vt legit Ambroſius, verberator. Ac ne quis interpretetur in ſubditos talia exercere licere peccantes correptionis gratia, id quoque Canon Apoſtolorum, cuius à Taraſſio Patriarcha in ſeptima ſynodo mentio fit, diſertè prohibet. Cuius verba, vt à Gratiano in decretis referuntur, ſunt hæc: Epiſcopum aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per huiuſmodi volentem timeri, deijci ab officio ſuo præcipimus, quia nunquam nos docuit hoc Dominus, ſed econtrario ipſe cùm percuteretur, non repercutiebat; cùm pateretur, non comminabatur. Quod ſi vniuersè Apoſtoli miniſtros Dei ab eiuſmodi violentijs abſtinere voluerunt, profectò noſtrorum ſacerdotum percutiendi ac ſæuiendi licentiam grauiſſimè accepturi fuiſſent, cùm & ſe infeſtos, & prædicationem ſuam odioſam reddant, quod ad magnam pertinet Euangelij iacturam. Ferè enim Dominos magis, quàm Patres, & vltionem potius quærentes ſuam, quàm ipſorum emendationem Indi arbitrantur. Adde quod à cæteris Hiſpanis vexati, niſi ſacerdotum benignitate reuocentur, Chriſtianum nomen exhorreſcunt. Ipſi quoque parochi præter inſigne dedecus, quo ordinem ſuum afficiunt, vt in Concilio Bracharenſi legimus, aliorum apparitores effecti, etiam iracundiæ flammas excitant, vt & animo perturbati, & vultu ipſo

Tit. 1.

7. ſynod. act 3.

Diſt 45. c. Epiſcopum.

Diſt. 45. De clerico Percuſ. ca.

ipſo indecori paſſim tumultuentur. Quibus ex cauſis omnibus prouidenter in Concilio Limenſi ab omni cæde, verberibus, detonſione comæ, cæteriſque in Indos deſignari ſolitis abſtinere parochi iuſſi ſunt, mulctandi, ſi ſecus faciant, ſuorum præſulum arbitrio. Hîc iam vociferantur plurimi ſibi omnem docendi, & emendandi ſuos facultatem eripi, Indos niſi ſacerdotem timeant, pro nihilo illius monita habere, facilè iuſſa contemnere, ſi impunè ſe abituros intelligant, nihil boni ſponte facturos: quò liberalius cum ijs agitur, eò deteriores reddi. Pueros eſſe moribus, & ingenio, puerorum more tractandos, qui niſi præceptoris flagellum præ oculis habeant, neque diſcere, neque parere ſciant. Vbi primùm Indus intelligat nihil ſibi à parocho ſuo timendum, neque ad miſſam venire diebus feſtis, neque ad doctrinam conuenire, neque confeſſiones curare, Chriſtianæ omnia religionis officia flocci facere, ebrietatem inuerecundè ſectari, inſanire in fœminas, ſuperſtitionem cultumque antiquum repetere, ariolos ſuos conſulere, ſimulacra adorare, omnem diſciplinam, fidem denique ipſam funditus perire. Hæc ſe & olim expertos, & quotidie experiri certiſſimè. Itaque ſacerdotum manus qui à ſupplicio Indorum cohibent, nihil aliud quàm Indorum manus in nefas omne diſſoluere. Quorum profectò non poteſt contemni oratio, aut omnino conficta reputari. Quamuis enim illi pulſando cædendoq; excedant, tamen hi cùm digna ſæpe vindicta admittunt, tum niſi vindicetur, facilè verba contemnunt. Indigent ergo ſeueriore interdum diſciplina, indigent prorſus. Horum verò crimina

Si quis. ex Conc. Agatherſ. Cap. 116.

aut negligentiam ſpirituali gladio (quod eſt Eccleſiæ proprium) vlciſci minimè expedit. Nam interdicta Eccleſiaſtica, excommunicationes ac cenſuras ſi pro vindicta iubeantur, excipere, facilè paruipendent, quia harum vim neque vident neque agnoſcunt, & ad ſuperſtitionis ſuæ tenebras, facilè ſunt redituri Eccleſiæ luce interdicti. Vt ergo belluas caſtigare ſolemus plagas infligendo, quæ multum ſenſus ac doloris habeant, periculi minimum, eſſetq; reprehenſione digniſſimus, ſi quis phrenetico aut inſano correptionis gratia gladium iugulo admoueret, aut mucronem pectori opponeret, ac non potius verberibus tutò ſæuiret in ſuras aut ſcapulas, quòd illic mentis inops, necem citius, quàm correctionem admitteret: hîc contra ſalutis cauſa dolor ipſe fieret: ita ſanè in nouos Eccleſiæ paruulos minimè oportet cenſuris agere, quarum diſcrimen ſine emendatione adirent, magiſque corporeæ ac ſenſibiles pœnæ infligendæ ſunt, quibus & læduntur nihil, & multum omnino adiuuantur. Eam ob cauſam ſanctiſſimi Romani Pontifices cùm Hiſpanos interdicti aut excommunicationis cauſa teneret obſtrictos, peculiari priuilegio neophitos hos minimè comprehendi voluerunt. Conſequens ergo eſt, vt corporalibus pœnis in officio barbari continendi ſint. Eas verò à ſacerdote irrogari excluſum eſt ſupra. Quid igitur? Non paruæ occurrunt anguſtiæ, cùm hinc ſacerdotalis dignitas, & paterna beneuolentia neceſſariò conſeruanda, inde diſciplinæ neceſſitas, ingeniumque ſeruile concertent. Primùm igitur, quod ſuperiore libro diſſerebam, prætore ac iudice ſæculari o-

pus eſſe ad diſciplinam Indorum, hic profectò quàm verum ſit, dilucidè patet. Horum enim propriè intereſt iſta vindicare & plectere. Hos igitur adminiſtros eſſe ſacerdotũ æquiſſimũ eſt, & quicquid durius deſignandum erit in noxios, ſæculari potius manu intentari. Deinde quoniá & prætores omnibus populis adeſſe non poſsũt, & occurrunt quotidie peccata leuiora, quæ correptione quidem indigẽt, ſed non illa aſperiori & iudiciaria, vt cùm ad rem ſacram non venit, aut catechiſmo abfuit: tum etiam ſunt quædam, quæ à ſæcularibus vindicari nullo modo debẽt, quod illorum forũ recuſent, vt cùm Quadrageſimalem confeſſionem Indus neglexit, cùm impediméta matrimonij non dixit ſciens, cùm religionis Chriſtianæ ritum contempſit, cùm aruſpices & veneficos cõſuluit, & multa talia, tũc ſanè Eccleſiaſtico iudicio in tales animaduerti oportebit. Ac mea quidem ſententia taxatas iá ac definitas pœnas decreto publico eſſe oporteret talibus criminibus, quæ ſciret Indus ſeſe certò ſubiturũ, cùm illud aut illud admitteret. Fieret hoc modo vt plus timoris pœna iá propoſita incuteret, tũ minus odij cõtraheret parochus executioni mandans, quod eſſet lege decretum. Non enim tam ipſe tunc vindicare, quàm lex videretur, atq; ita & terrori eſſet ſupplicij irrogatio, & minus infeſtus, qui imperaret. Quam ob cauſam in ſynodo Prouinciali pœnas eſſe taxatas certis criminibus credo, tametſi parum exæcurantur, ſed ſuum potius parochus quilibet iudicium ſequitur, aut etiam iracundiæ legem. Poſtremò ſiue publico canone ſint pœnæ decretæ, ſiue priuata ſententia decernantur, illud modis

omnibus obſeruandum eſt, vt nihil parochus manu própria vindicet. Id enim & odioſum eſt, & indignum, & valde periculoſum. Iubeat verò ipſe quid facto opus ſit: Apparitor autem, aut fiſcalis, aut Lictor, aut Guatacamaius iuſſa facessat.

Quid obſeruandum in correptione Indorum.

Cap. XX.

QVA in re tria pręcipienda ſunt. Vnum vt cauſas vindictæ exponat, & intelligant ipſi, qui corripiuntur, mitius ſecum agi quàm pro merito. Et ne tam iracundiam, quàm diſciplinam interpretentur, non iraſcatur & ſæuiat in ſuis, ſed in Dei offenſis. Turpe enim eſt valde, vt, ſi mox atque Indum mulæ ſuæ fœnum ferre ceſſantem viderit, aut non promptè imperatos cibos afferentem, nimis ſæuiat: eundem mox & adulterum, & idololatrã ſciens vix contingat. Hinc odia exardeſcunt in parochos, hinc omnis diſciplina contemnitur. Magnopere ergo curandum eſt, vt caſtigatio diſciplinæ cauſa adhibita, non vltionis, aut iracundiæ impetum præſeferat. Secunda præceptio eſt, vt confeſſionis Sacramento, & exiſtimationi diligentiſſimè conſulatur. Ea enim ſunt ignorantia iſti, vt facilè ſibi perſuadere poſſint, cùm ad confeſſiones faciendas accedunt, Patrem, quæ ex illis audiuerit, acriter poſtea vindicaturum, ac propalaturum. Itaque hoc timore correpti ſimul conſcientiæ ſuæ vulnera non admodum curantes, facilè fictas ac mendoſas confeſſiones facient, rarè veritatem integrè aperient ſacerdoti. Qui etſi multum culpandi in tanto ſacrilegio forent, tamen quod negare

gare non poſſumus, ex duritia & imprudentia parochorum occaſionem non exiguam tam magni ſui exitij haberent. Hoc ergo quod eſt omnium grauiſſimum, in ſacerdotali ſeueritate incommodum modis omnibus cauendum eſt. Ac præſtat omnino diſciplinę neruum tantiſper debilitari, & infringi, quàm tam ſalutaris, tamque neceſſarij ſacramẽti exiſtimationem prodi. Sed poteſt vtriq; rei conſulere prudens charitas, ſi confeſſionis forum longè diuerſum eſſe & verbis, & re ſæpe perſuaſerit, ſi nihil in confeſſione auditum, etiam alioqui cognitum plectat, vt magis aſylum quàm proditionem confeſſionem eſſe cognoſcant, ſi blandè illic, & paternè ſe gerat, ſi inſtante confeſſionũ tempore à ſeueritate abſtineat, ſi ſe grauiſſimas pœnas daturum doceat ob tenuiſſimam auditæ culpæ reuelationem. Poſtremò perſpiciendum eſt, vt ſupplicij modus is ſit, qui ſemper paternam & Eccleſiaſticam clementiam redoleat. Argenti modica quædam mulcta, coniectio diurna in compedem, plagæ aliquot interdum inflictæ, ſæuiſſimum omnium crinium detonſio, quę extremæ ignominiæ apud Indos loco eſt. Neque mirandũ, aut ab Eccleſiaſtico inſtituto alienũ exiſtimandum, ſi id genus pœnæ adhibeantur, cùm ſacris & antiquis canonibus non rarò verberum mentio fiat. Nihil enim quod ad continẽdos in officio homines valere poteſt, Eccleſiaſtica cura à ſe alienum putat. Sed quicquid in hac tam magna quæſtione præcipitur, imbecille eſt, & ieiunum, niſi vnctio ſpiritus accedat, quæ doceat de omnibus. Magnus enim eſt doctor Charitas, vt ſanctus Chryſoſtomus ait. Hæc cùm ſyncerè & germanè ſalu-

Diſt. 45 c. Cum beatus.

Hom. 33. in 1. Cor.

tem ſuorum affectat, docet plenius & certius, & quando indulgendum, & quando vindicandum, & quomodo, & quatenus. Huic vni rectè ea omnis cura committitur, vt lucrifacere fratrem cum minimo ipſius diſpenſio ſtudeat.

De Catechiſmo & Catechiſtæ tædio leuando.
Cap. XXI.

DEinceps de catechizandi cura dicendum eſt, quo cætera, quæ dicta ſunt, omnia penè referuntur. Eſt autem ea pars, vt neceſſaria maximè, ita moleſta & laborioſa ſummoperè, ſi qua opus eſt diligentia tractetur. Multa enim ſunt quæ faſtidium faciant, multa quæ quamuis prōptum, & alacrem catechiſtæ animum retardent atque debilitent. Et re quidem vera detracta illa quęſtus ſpecie, quæ pleroſque ad id oneris ſuſtinendum mouet, ac multò longius relegata diſſolutè flagitioſeque viuendi licentia, quę non paucos allicit, ſi modeſtè temperanterq; viuendum eſt, vt Euangelij miniſtrum decet, magnum eſt & perdifficile inter Indos velle verſari, & in ijs inſtituendis perdurare, propterea quod genus vitæ tum iniucundum, tum humile, tum verò moleſtijs plenum apparet. Sed huic morbo ante omnia occurrendum eſt, & remedia quærenda ſecundùm Deum, quibus ea peſtis depellatur ex animo. Solet autem tædium, & triſtitia partim ex opere ipſo catechizandi naſci, partim ex Indorum ingenio, & natura. Opus quidem ipſum rudes imbuendi moleſtum eſt, quod eadem ſæpius ac propemodum ſemper inculcanda ſunt, tritaque illa valde, & elementa ſermonum Dei,

neque his omiſſis ad perfectiora ferri conceditur,ſed lac ſemper paruulis in Chriſto oportet dare. Huius autem ægritudinis leuandæ remedia ex nullo alio melius petere poſſumus,quàm ex Beato Auguſtino in eo opere,quod de hoc ipſo argumento, id eſt, de catechizandis rudibus ſcripſit, vbi inter alia ſic ait. Iam verò ſi vſitata & paruulis congruentia ſæpe repetere faſtidimus,congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem, & copulatis cordi eorum etiam nobis, noua videbuntur. Tantùm enim valet animi compatientis affectus, vt cùm illi afficiuntur nobis loquentibus, & nos illis diſcentibus, habitemus in inuicem, atque ita, & illi qui audiunt, quaſi loquantur in nobis, & nos in illis diſcamus quodammodo quod docemus. Nonne accidere hoc ſolet cùm loca quædam ampla & pulchra vel vrbium, vel agrorum,quæ iam nos ſæpe videndo ſine aliqua voluptate præteriebamus, oſtendimus eis, qui antea nunquã viderant, vt noſtrà delectatio in eorum delectationis nouitate renouetur, & tanto magis,quanto ſunt amiciores? Quanto ergo magis delectari nos oportet,cùm ipſum Dominum iam diſcere homines accedunt, propter quem diſcenda ſunt,quæcunque diſcenda ſunt,& in eorum nouitate innouari? Huc accedit ad cõparandam lætitiam quod cogitamus & conſideramus, de qua erroris morte in vitam fidei tranſeat homo. Idem in eodem opere, Cogitemus quid nobis prærogatum ſit ab illo, qui demonſtrauit nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam accipiens & cætera, vſque ad

Cap. 12. de Cat. Rud.

Cap. 10.

mortem Crucis. Quam ob cauſam? Niſi quia factus eſt infirmus infirmis, vt infirmos lucri faceret? Audi eius imitatorem alibi etiam dicentem, ſiue enim mente exceſſimus, Deo: ſiue temperantes ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti compellit nos iudicantes hoc, quia vnus pro omnibus mortuus eſt. Quomodo enim paratus eſſet impendi pro animabus eorum, ſi eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus eſt paruulus in medio noſtrum tanquam nutrix fouens filios ſuos. Nũ enim delectat, niſi amor inuitet, decurtata & mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant. Et ſuauis eſt matri minuta manſa inſpuere paruulo filio, quàm ipſam mandere ac deuorare grandiora. Non etiam recedat de pectore cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, & ſuſurrantes pullos confracta voce aduocat, cuius blandas alas refugientes ſuperbi præda fiunt alitibus. Si enim intellectus delectat in penetralibus ſynceriſſimis, hoc etiã intelligere delectet, quomodo charitas quanto officioſius deſcendit ad infima, tanto robuſtius recurrit in intima per bonam conſcientiam, nihil quærendo ab eis, ad quos deſcendit, præter eorum ſempiternam ſalutem. Hæc ſapientiſſimus, & Dei amantiſſimus Pater, quæ ſi tranquillo animi vultu non obiter inſpiciantur, vel ſola ſufficiunt, omnem mærorem, faſtidiumque depellere, & ad nutriendos paruulos Chriſti magna ſuauitate inuitare. Neque aliena ab his aureum illud Chryſoſtomi flumen: Non eſt, inquit, charitas faſtidioſa (ſic enim legit

2. Cor 5.

1. Theſ. 2.

Mat 23.

1. contẽpla tio.

legit ille in Paulo, quod nos: Nõ eſt ambitioſa) *Homil. 33. in 1. Cor.*
Maiores natu videmus ſapientia præcellẽtes vi- *1. Cor. 13.*
ros cũ liberis ſuis ſępe balbutire: & id cũ faciũt,
nec reprehendit eos quiſquã, neq; ipſos rei illius
pudet, ſed digna laude adeò videtur, vt quanquam improbi ſunt, qui inſtituuntur, perdurent
tamen ipſi hortando, turpia caſtigando, horum
illos nihil pudet. Non eſt enim faſtidioſa charitas, ſed alis aureis omnium quos complectitur,
vitia tegit. Ita Chryſoſtomus charitatis ingenium exprimit. Quare neque infantilia dedignatur, neq; aſſidua repetitione tædio afficitur. Eadem enim repetere mihi quidem non pigrum, *Philip 3.*
inquit, vobis autem neceſſarium. Nonne videmus artifices eadem ipſa cùm faciant, & modo
eodem repetant, nihil tamen faſtidire, ſed lucro
potius intentos vehementer delectari? Nam &
cytharædus, & cantor, & grammaticus, & ludimagiſter rudimenta eadem inculcare non moleſtè ferunt, quod ea docendo quæſtum ampliorem faciunt. Et prorſus in doctrina Chriſti, quæ
à laceſſente iam aut defeſſo dicuntur, quæq; ipſemet languida putat, ea ſæpe vehementius Deo
ita agente, auditorum animos permouent. Quoties nobis accidit, cùm confeſſiones peccatorũ
audimus, & feſſi iam alios atque alios excipimus, tã nobis frigidè loqui videri, & faſtidioſè,
vt ipſi nobis diſpliceamus, & tamen illa ipſa
languens, vt nobis videtur, & toties ſingulis repetita exhortatio, præter ſpem noſtram, lacrymas ac ſingultus intimos excitat, declaratque re
ipſa pœnitens, noua illa ſibi & mirabilia videri?
Mihi quidem ſæpe ita euenit, & tamen ſæpe contra, cùm mihi ardenter agere viderer, & ad flecten-

ctendum quoque lapidem efficaciter loqui, intuens vultum auditoris, deprehendi oſcitantē, vt ſatis mihi perſuaderem, neq; qui rigat eſſe aliquid, neq; qui plantat, ſed eũ qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & dat fructum, cùm vult. Ipſum ergo repetendi, & inculcandi eadem tædiũ magnæ mercedis eſt, & fructum habet copioſum. Quòd ſi abiectum & indignum nobis puerilia iſta tractandi munus recuſamus, prӕterquā quod & charitatis vacui, & ſuperbiæ pleni, nobis ſuſpecti eſſe debemus, & ſtulti prorſus qui certa lucra non amemus, incerta magis & periculis plena ſectemur, hoc igitur vt omittā, quæſo honor & dignitas, apud quem tandem æſtimatorem collocanda eſt? Deumne, an homines iudices intuebimur? Siquidem hominum iudicium reſpiciamus, nihil abiectius Pauli officio, quippè cùm pro magno diceret, Non erubeſco Euangelium, &, Noli erubeſcere teſtimonium IeſuChriſti, neq; me vinctum eius. Talis erat apud homines exiſtimatio prædicationis Euangelij. At apud Deum? Nihil Apoſtolatu maius in terris. Principes conſtitues eos ſuper omnem terram. Paruulos igitur Chriſti Euangelij lacte nutrire, vile: Indos, gentem deſpectam & ſordidam erudire, viro graui indignum. Ita ſanè mũdus exiſtimat. At apud Deum nihil ſublimius, nihil glorioſius, & reuerà in Eccleſia Dei nihil Apoſtolicum magis. Hoc enim proprium Apoſtolorum eſt. Neque enim Paulus tantùm ſuum eſſe putabat ſapientiam loqui, ſed parcè id quidē & raró, nec niſi inter perfectos. Cæteris verò quid? Nihil, inquit, me arbitratus ſum ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifix-

Rom. 1. *2. Tim. 2.* *1. Cor. 2.*

cifixum. Ne ergo vile habeatur officium, quòd non Angelis modò commiſit, ſed & Chriſtus ipſe ſuſcepit. Quantoq; quis maior eſt, tanto eum magis decet ad iſta deſcendere exemplo Chriſti, vt Auguſtinus optimè admonuit. Quod ſapienter cùm ſecum reputaret parens noſter Ignatius ſocietatis Ieſu inſtitutor firmiſſima ac perpetua conſtitutione ſanxit, vt quicunque profeſſionem facerent, qui gradus eſt in noſtra ſocietate ſublimior, cæteris votis ſuis conceptis & hoc expreſsè adijceret. Et promitto peculiarem curam circa puerorum eruditionem. Vt norint noſtri omnes rudimenta Chriſtianæ doctrinæ non ſolùm viros, quibus diſcere opus ſit, ſed etiã pueros docere tam eſſe ſuum, vt niſi fide Deo violata, huic muneri deeſſe non poſſint. Itaque nobis non iam de laude, & palma cogitandum eſt, cùm ad rudes catechizandos accedimus, ſed de fide potius liberanda. Euangelizandi enim paruulis neceſſitas nobis incũbit, & væ nobis eſt, ſi non euangelizemus. *Part. 5. Conſt.*

De fructu ex catechizandis Indis ſperando.

CAP. XXII.

NIhil tamen æquè laborem catechizandi auget & tædium, ac ea cogitatio, quod operæ pretium non ſuccedat. Hoc etiam Auguſtinus aduertit. Facit, inquit, loquenti tædium auditor immobilis, non quia humanæ laudis nos auidos eſſe decet, ſed quia Dei ſunt, quæ miniſtramus, & quanto magis diligimus eos, quibus loquimur, tanto magis cupimus, vt eis placeant, quæ ad eorum porriguntur ſalutem: quod ſi non ſuccedit, contriſtamur, & frangimur, quaſi fruſtra operam conteramus. Huic moleſtiſſimæ cogitationi *De catech. rud. c. 10.*

tioni ita occurrit. Conſoletur nos, inquit, Dominicum illud exemplũ, qui offenſis hominibus ex verbo ſuo, & tanquam durum refugientibus, etiam his, qui remanſerant, ait, Nunquid & vos vultis abire? Satis enim fixum atque immobile debet corde retineri Hieruſalem captiuam ab huius ſæculi Babylonia decurſis temporibus liberari, nullumq́; ex ea eſſe periturum, quia qui perierat, non ex illa erat. Firmum enim fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc: Nouit Dominus, qui ſunt eius, & recedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Iſta cogitãtes & inuocantes Dominum in cor noſtrum minus timebimus incertos exitus ſermonis noſtri propter incertos motus auditorum, delectabitq́ue nos ipſa etiam perpeſſio moleſtiarum pro miſericordi opere, ſi non in eo noſtram gloriam requiramus. Tunc enim eſt verè opus bonum, cũ à charitate iaculatur agentis intentio, & tanquã ad locum ſuum rediens, rurſus in charitate requieſcit. Hæc Auguſtinus. Itaque perſuadere in primis ſibi Dei ſeruus debet laborem ſuum, ſiquidem Deo placet, nunquam eſſe inutilem poſſe: fructum verò in electis eſſe certum, propter quos omnia libenter ſuſtinere debet vt Paulus: *2.Tim. 2.* in cæteris ſi non conſequatur quod cupit, non eſſe mirandum, cùm & Apoſtolis id. crebrò contigerit, & Angelis, qui vident faciem Patris in cœlis, qui cùm impijs etiam ad tutelam dati ſunt, nihil prætermittunt, quod ad illorum ſalutem pertinet, iuxta præſcriptum Dei, cùm tamen tam multos perire videant. Quin ipſe quoque Angelorum Dominus idem tolerauit in ſe, qui non ſolùm diuina ſua concione de pa-

ne vitæ non flexit animos hominum, ſed etiam, quæ eorum prauitas eſt, magis alienauit à ſe. Conſtantem verò Dei prædicatorem docens, & non hominum gloriam quærentem, conuerſus ad reliquos dixit, Nunquid & vos vultis abire? Vt intelligamus ardorem quidem proximos lucrandi maximum eſſe debere, ſed tamen cùm per te non ſteterit, quominus vota ſuccedant, ſummè quietum atque tranquillum. Non enim, vt dixi, perire poteſt charitatis opus. Hæc igitur humiliter primùm cogitanda ſunt. Deinde quoniam debet, qui arat, arare in ſpe fructus percipiendi, certò ſibi perſuadeat catechiſta, fructus futuros maximos, atque mirabiles laboris ſui. Nam ſi opinionum vel ſegnitie, vel ambitione ortarum caligo pellatur, ſereniſque oculis res Indicæ iudicentur, non eſt dubitandum, quin labore, & moleſtia longè maior appareat quæſtus animarũ. Hoc non ſolùm viri religioſiores, & experiuntur, & prædicant, verùm etiam prudentiſſimus quiſq; ſæcularium, qui diuturniorem vſum horum habere potuerunt. Et ſurgit quidem paulatim, ſed quotidie maior copioſiorque meſſis, ac pro ingenio, & natura iſtorum etiam gratia ipſa lenta & ſuſpenſa quodammodo videtur, re tamen vera non ceſſat. Tolle auaritiam, adhibe vitæ integræ exemplum, pro captu Indorum opiniones eorum varias refelle, viam veritatis demonſtra, atque his diligenter inſiſte miniſter Euangelij, ita ego te fruar Domine Ieſu Chriſte, vt copioſam meſſem, & lætam futuram intelligo. Sed nos citò operando ceſſamus, & properatas, ac plenas fruges ſtatim volumus. Non eſt autem tale Regnum Dei, prorſus non eſt tale, ſed quale Chriſtus

Ioan. 6.

1. Cor. 9.

Matt. 4. expoſuit, Sic eſt, inquit, Regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terra, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Aduertamus obſecro noſtrum eſſe ſementem iacere in terrã, Eccl. 11. idque iuxta Eccleſiaſten mane, & veſpere eſſe faciendum, quia neſcimus quid magis oriatur, hoc an illud, & ſi vtrumq; ſimul, melius erit. Itaque etſi dormiendum eſt aliquando, & vacandum Deo, ſed tamen nullo modo ab opere ceſſandum, ſed ſurgendum nocte, & die. Et licet ſemen ſepultum lateat, neq; nos laboris noſtri ſucceſſum videamus, ſuſtinendum tamen eſt, quia nobis etiam neſcientibus ſemen germinat, & increſcit. At neque properandum eſt nimium, neq; ſtatim plenæ maturæq; fruges expectandæ. Sed primùm herbam quandam cuiuſdã externæ ſpeciei, & ſignificatæ Chriſtianitatis gratè accipiamus, mox calamum viſuri robuſtioris fidei, poſtremò plenos gratiæ, & charitatis fructus demetemus. Hoc non in vno quouis homine tantũ Saluator noſter voluit intelligi, ſed multò magis in ipſa hominũ multitudine, quã Euangelici ſeminis iactus attingit. Senſim enim vocatio Dei vires ſuas exerit, & euulſis tribulis, & carduis errorum præparatur terra futuræ ſementi Fidei, ſenſimque cœlitus affluente diuini fauoris imbre, nouum germen in Chriſto oritur, creſcit, matureſcit in frugem. Ergo cœleſtis oraculi perſpicua promiſſione confirmatus Euangelicus operarius certiſſimè intelligat laborem ſuum nõ eſſe inanem, ſed magna emolumenta ſalutis ho-

minum

minum allaturũm, quia qui promiſit, fidelis eſt, & negare ſe ipſum non poteſt, tametſi ſucceſſum interdum ipſe non videat quàm vellet citò, interdum ne tardè quidem fortaſſis, quia fieri poteſt, quod Euangelium habet, vt alius ſit, qui ſeminat, alius qui metit. Sed qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Non tamen ſibi ſoli metit, mercedemq; accipit, ſed potius vt & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. Siquidem omnes in Chriſto vnum ſunt. Addo etiam in præſenti fructum laboris ſentiri, & cũ magna ſuauitate decerpi ab ijs, qui curam ſuam iactant in Domino, & commiſſo officio non deſunt, ſi qua decet patientia, & longanimitate, quos Deus expectat, ipſi quoque expectare non dedignentur. Neque enim fructus affertur niſi in patientia. *Ioan. 4.* *Luca 8.*

Quid reſtet de Catechiſmo dicendum.

CAP. XXIII.

HOc animo inſtructus qui ad erogandum diuini tritici menſuram accedit alacer, ſiquidem hilarem datorem diligit Deus, qui traditurus ſit, tum qua methodo, & ratione cogitare debet, vt in altero fidelis, in altero prudens ſit. Quæ ergo nouas gentes, rudes Fidei populos doceri oporteat, & quibus ea rationibus, vt animo hæreant, effici queat, quoniam præcipuus eſt ſcopus catechizantis, noua diſputatione explicandum eſt. *2. Cor. 9.*

FINIS LIBRI QVARTI.

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE,

LIBER QVINTVS.

Finis Chriſtianæ doctrinæ Chriſti cognitio & dilectio.

CAPVT I.

Rom. 8. 1. Tim. 1. FInis legis Chriſtus ad ſalutem omni credenti, & finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Hîc vniuerſæ doctrinæ Chriſtianæ ſumma eſt, quæ nihil aliud commendat quàm Gal. 5. Chriſti fidem per dilectionem operantem. Præclarè D. Auguſtinus illa duo his verbis colligit, Auguſt. De catechi. rud. cap 4. Omnis ſcriptura diuina, quæ ante ſcripta eſt ad prænuntiandum aduentum Domini, & quicquid poſtea mandatum eſt literis, & diuina authoritate firmatum, Chriſtum narrat, & dilectionem monet. Hæc verò duo vnum eſſe quodammodo 1. Ioan. 3. Ioannes apertè docet: Hoc eſt, inquit, mandatum eius vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit manda- 1. Ioan. 4. tum nobis. Etenim in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniã Deus filium ſuum vnigenitum miſit in mundum, vt viuamus per eum. Verè ergo & finem Chriſtum, & finem charitatem ſcri- Matth. 22. Rom 13. 2. Cor. 3. ptura dicit: verè in illo verbo legem pendere, Diliges, & plenitudinem eſſe dilectionem: & verè nihilominus in Chriſto euacuari legem, & impleri

impleri omnia, ſiquidem nullus eſt alius diuinæ inſtitutionis ſcopus, quàm Chriſtus cognitus & dilectus. Etenim vita æterna eſt cognitio Chriſti vera & perfecta. Nam qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Quoniam igitur duæ ſunt rationalis naturæ partes: cognitio, & appetitio, duæ humanæ vitæ rationes, contemplatio & actio, duo quoque ſunt doctrinæ Chriſtianæ lumina, cognitio Chriſti, & dilectio, neceſſe eſt duas etiam eſſe doctoris Euangelici functiones, docere, & exhortari, atque doctrinę omnis, & cognitionis finis eſt Chriſtus, omnis exhortationis, & actionis finis eſt charitas. Porrò cognitio Chriſti, quam Fidem dicimus, ſymbolo traditur, charitatis omnis actio Decalogo continetur. Ergo prædicatoris Chriſtiani eſt, & Fidem docere, & mores inſtruere. A Fide verò inchoandum eſt, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, cuius author, & conſummator eſt Chriſtus. Quamobrem illa prima, ac præcipua cura eſſe debet miniſtri Euangelici, vt gentibus Chriſtum annunciet, cùm ſit nullum aliud nomen ſub cœlo datum hominibus ad ſalutem conſequendam. Neque verò poteſt quiſquam aliud fundamentum ponere, neque eſt aliud oſtium, neque via alia ad vitam æternam. chriſtus lac paruulis, cibus grandibus. Chriſtus Alpha, & Ω, & principium ſapientiæ totius & finis. Deſinat Chriſti miniſter quærere quid aliud doceat quàm Chriſtum, qui factus eſt nobis ſapientia, & iuſtificatio, & redemptio. Abſint procul hæreticorum calumnię. Chriſtum nobis eſſe omnia cùm dicimus, & nihil præter hunc ſapere oportere, non tam ſumus ſtulti, vt iccirco manen-

1. Ioan. 2. *Heb 11.* *Heb. 12.* *Act 4.* *1. Cor. 3.* *Ioan. 10.* *Apoc. 1.* *1. Cor. 1.*

Rom. 6. dum in peccatis ſentiamus, quod Paulus execratur, alioqui quomodo Chriſtus vita erit, ſi nondum peccato mortui ſumus? Itaque & dixi, & dicam Chriſtianæ prædicationis finem eſſe Fidem
Iacob. 2. Chriſti, non tamen otioſam & mortuam, & quam
1. Cor. 13. Paulus nihili facit, ſed viuam illam, & efficacem,
Gal. 5. & fructuoſam, quæ per dilectionem operatur. Quamobrem quid Fides Chriſtiana habeat, deinde quos mores exigat, diſſerendum eſt.

Chriſti annuntiandi curam præcipuam eſſe debere.

CAPVT II.

MIhi verò monſtri ſimile ſemper eſt viſum, inter tot millia Indorum Chriſtiano nomine donatorũ tam eſſe rarum, qui Chriſtum agnoſcat, vt quod Epheſij olim Paulo de Spiritu ſancto reſponderunt, poſſint hi de Chriſto melius
Act. 19. vſurpare: Neque an ſit Chriſtus, audiuimus. Cùm verò ſint hæc prima elementa ſermonum Dei, cumq́; nihil aliud inſonet omnis ſcriptura diuina, quid cauſæ putemus eſſe, quod vix in hoc loco conſiſtunt aliquando catechiſtæ, vt Chriſtum oſtendant, atque imprimant menti Neophytorum? Nam ſi paulò curioſius interroges, vix pleniorem de Chriſto notitiam in pleriſque reperias quàm de Petro, aut Paulo, aut Dauide, aut alio quouis homine, interdum ita noua accidit his Chriſti cõmemoratio, ac ſi de Aenea, aut Romulo mentio fieret. Quod tantum Euangelij dedecus, tantam Chriſtiani nominis contumeliam neſcio quo fulmine ſatis vindicari poſſe exiſtimem, vt homo Chriſtianus, & annos iam viginti, aut triginta terens Eccleſiam, rogatus de

tus de Chriſto, neque quis ſit, neque verò an ſit, prorſus intelligat. Ac docent multi neſcio quæ friuola, quidam præpoſtera omnino, plerique Chriſtum quidem annuntiant, ſed ita curſim, & obſcurè, vt nihil hîc magis Indus conſiſtat animo, quàm in cæteris omnibus. Hæc ergo prima & maxima Euangelici catechiſtæ præceptio ſit, vt Neophytus Chriſtum teneat, & memoria, ac intelligentia menteque tota, quantum capax eſt, capiat. Et quamuis res notiſſima ſit, quã loquor, nulliſque teſtibus egeat, tamen dignum eſt primos Euangelij prædicatores contemplari, quid docuerint, & quò omnis eorum ſpectarit oratio. A Chriſto inſtructi, & redempti nihil aliud quàm Chriſtum Magiſtrum, & Redemptorem perpetuò loquebantur. Siue enim Apoſtolorum Principem Petrum cum plebe, cum principibus Iudæorum, cum gentibus differentem, ſiue Stephanum, ſiue Philippum, ſiue Paulum, & Barnabam ad gentes, ſiue ſolum Paulum ad gentes ſæpè verba facientem, ſæpè ad populum Hebræorum, ſiue cæteros omnes parentes, & præceptores noſtros ſpectes, ne vnam quidem concionem inuenies, in qua Ieſu Chriſti Dei noſtri annuntiatio non vel totum argumentum orationis ſit, vel certè præcipuus ſcopus, quò cætera tandem referantur. De Epiſtolis ſuperuacaneum eſt dicere, cùm quæuis illarum pagina Chriſtum loquatur. Cur hoc? Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Hæc eſt, inquit, virtus Dei ad ſaluandum, & Dei ſapientia ad docendum, ſiquidem, & gratia, &

Actor.2.3.4. 10. *Act.7.8.* *Acto.13.16. 17.* *Act.25.26.* *1.Cor.1.* *Ioan. 1.*

tia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Nihil ergo aliud oportet ſcire, neq; aliundè vires, & ſalutem ſperare. Meritò Paulus gloriatur ſibi id diuinitus datum, vt myſterium Chriſti excellenter oſtenderet. Mihi, inquit ille, omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo. Itaque glorianter addit, prout legentes poteſtis intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti. Neque verò Euangelici tantummodo & Apoſtolici ſtudij fuit Chriſtum mundo indicare, verùm etiam Propheticæ, & Legalis ætatis, quando velut paruuli tenebamur ſub pædagogo concluſi in eam fidē, quæ reuelanda erat: Nam & tunc, & longè ante cùm primum homini Deus innotuit, omnia & geſta, & ſcripta Chriſtum prænuntiabant, Chriſtum ſignificabant, quemadmodum Apoſtolus Petrus oſtendit: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. Et Paulus Apoſtolus velamen veteris teſtamenti in Chriſto euacuari. Et ipſe Dominus prædicaturos diſcipulos inſtituens, Omnia quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis de me. Quamobrem cùm omni homini in Chriſti cognitione ſalus poſita ſit, cuius eminentem ſcientiam tanti facit Apoſtolus, vt præ illa cætera ſtercus putet, hæc prima, hæc potiſſima, ac propemodum ſingularis Chriſtiani magiſtri cura ſit, & infatigabilis ardor Chriſtum annuntiandi, Chriſtum docendi, vt Chriſtum omnes agnoſcant à minimo vſque ad maximum, illamque propriam ſui muneris exiſtimet vocem, cognoſce Dominum.

Epheſ. 3. *Gal 3.* *Acto. 10.* *2. Cor. 3.* *Luce 24.* *Phil 3.* *Hier. 31.*

Contra opinionem eorum, qui ſine Chriſti notitia poſſe aliquem ſaluum eſſe volunt.

CAPVT III.

QVæ cùm ita habeant, vix ſatis mirari poſſum, quid pręceptoribus quibuſdam ſcholaſticis, viris certè grauibus noſtri ſæculi in mentem venerit, vt nunc quoque temporis poſt tandiu reuelatum Chriſtum ſine Chriſti notitia ſalutem cuiquam æternam contingere poſſe confirment. Quorum opinio tam mihi ſemper viſa eſt, ac modo quoq; videtur abſurda, vt nullo modo dubitem antiquos patres Auguſtinum præſertim in homine Chriſtiano nedum Theologo moleſtè id accepturos fuiſſe, ac neſcio ſanè an etiam à ſeueriore cenſura temperare potuiſſent, à qua tamen propter authorum & eruditionem, & pietatem abſtinendum nobis eſt, quorum veſtigia potius ſolemus ſequi. Sed illud & liberè & verè dicendum eſt, non dignam Theologo eſſe ſententiam, quæ nihil in ſacris literis, nihil in ſanctis Patribus firmitudinis habeat, tantùm humana quadam ſuſpicione introducta propter eorum infinitam multitudinem, qui in hoc nouo orbe tã longa ætate Euangelij luce caruêre, quibus aditus in cœlum omnis præcludi videtur, ſi ad ſalutem fuerit Chriſti notitia neceſſaria, quã rebus humanis ita labentibus conſequi nullo modo potuerunt, cùm haberent nullos Fidei præcones. Quid igitur? inquiunt. An his omnibus impoſſibilem eſſe ſalutis viam ſentiendum eſt, in quorum poteſtate non fuit Oceano traiecto ab Europa prędicatores accerſere? ipſos verò

ſponte venientes ſerò tandem poſt mille quadringentos annos viderunt? Quin potius cœleſtem ianuam illis aperimus, & notitia ſibi conceſſa ſaluos eſſe poſſe cenſemus? Rigidum eſt enim,& à Dei,qui omnes homines vult ſaluos fieri,charitate alienum,vt ea exigat, quæ neque ipſe dat, & homines per ſe præſtare non poſſunt.
1.Tim.2. Hæc illorum ratiocinatio eſt,qua eò quoque impulſi ſunt quidam,vt ſine Fide per naturalem tãtum cognitionem ſalutem conſequi iſtos poſſe confidant,quorum ſententia,tametſi Catholici ipſi ſint,tam eſt apertè hæretica,vt nihil magis repugnet Fidei, quàm ſine Fide ſaluum eſſe hominum quemquam. Porrò alij inde pedem referentes,ne ex tam lubrico, & periculoſo loco in præceps ſeſe darent, tutius illi quidem, ſed quàm conſentaneè ipſi viderint,aſſeruerunt ſine Fide quidem neminem eſſe ſaluum, ſed tamen Fide nihil aliud de neceſſitate ſalutis opus eſſe cognoſcere, quàm quod naturali ductu intelligi poteſt. Quaſi verò Fides ab Apoſtolis neceſſaria definiatur ad illa percipienda, quæ à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt viſibilia, cognoſci poſſunt, ac non potius ad ea quæ in cor hominis non aſcenderunt, nobis verò reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Nam ad naturalia,neceſſariò cognoſcenda natura ipſa non vſque adeò deficit. Fides verò eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Quæ ergo non apparent, id eſt, ſupra captum,& rationem hominum ſunt,de quibus ſcribitur, Plurima ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi, ea per ſe ad Fidem pertinent, cætera verò per accidens. Igitur vt rem propius

Rom.1. 1.Cor.2. Heb.11. Eccl.3.

attingam, poſt nouum hunc eundemque vaſtiſſimum orbem inuentum noſtri Theologi talia cœpêre & docere,& ſcribere, cùm per mille quadringentos annos, neque in ſacris, neque in ſcholaſticis Doctoribus veſtigium eius ſententiæ extet, quod equidem ſciam, quin omnes conſentienter affirment ſine explicita Fide Chriſti neminem eſſe ſaluum. Hanc autem ſuam ſententiam ex quadam Sancti Thomæ opinione confirmandi occaſionem libenter arripuerant, de primùm veniente ad vſum rationis, quem ad Deum conuerti, & poſſe, & debere vult, atque è veſtigio ſi faciat, gratiam iuſtificationis accipere. Ex quo colligunt nihil eiuſmodi puero opus eſſe alia cognitione quàm boni honeſti, quod pro illa ætate poteſt agnoſcere. Horum, pro Indorum ſalute patrocinium eò libentius amplecterer, quò me huius cauſæ ſtudioſiorem profiteor, niſi valde reuocaret, quod ad Patrem nemo venit niſi per Chriſtum, quod nulla alia eſt via, qua eatur, nullum aliud oſtium, quo intretur ad vitam. Ac re quidem vera, ſi poteſt ſine Chriſti notitia ſalus eſſe aut iuſtitia, ergo gratis Chriſtus prædicatur. Fruſtra Apoſtoli mittuntur in orbem, fruſtra præcipitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Non fruſtra, inquiunt, Chriſtus annuntiatur. Nam & plures & facilius, & vberius ſalutem conſequuntur. Ego verò exiſtimabam Chriſti annuntiationem, hoc eſt Euangelium, non vt plures, & melius ſalui fierent, neceſſariam eſſe, ſed vt omnino poſſent homines ſalutem conſequi. Ita ſanè exiſtimabam, imò verò non exiſtimo, ſed tam certò, & apertè mihi perſua-

In 3. d. 25.

Ioan. 6.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Marc. 16.

perſuadeo Pauli hanc eſſe ſententiam, vt neminem putem repugnaturum, qui ſyncerè, & attentè illius verba expendat in eo loco epiſtolæ ad Romanos, vbi expreſsè hoc verſat. Finis legis, inquit, Chriſtus ad ſalutem omni credenti. Quã ſententiam poſtquam confirmauit, & æquè docuit Iudæis, & gentibus Chriſti fidem neceſſariam eſſe, omittens Hebræos, de quibus ſatis multa dixerat ſuperiore capitulo, tranſit ad gentes, & illa propoſitione prolata, Quicumque inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit, affert quæſtionem & vrget vehementer, Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? Et mox, Ergo Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hæc Apoſtolica reſponſio eſt, & difficillimæ quæſtionis abſolutio. Quomodo inuocabunt, inquit, in quem non crediderunt? conſentiunt hîc nobiſcum Fide opus eſſe ad ſalutem. At quomodo credent ei, quem non audierunt? Profectò ſi iſtorum opinio vera eſt, facillimè reſpondetur Paulo, & veriſſimè, neque prædicante, neque mittente opus eſſe, neque verò audiente, ſiquidem poteſt homo concipere Fidem ſine aliqua reuelatione aut prædicatione; poteſt ſibi ſufficere ad ſalutem ſine notitia Euangelij, poteſt inuocare Deum, quem per ea, quæ facta ſunt, conſpicit. Nonne ita nobis reſpondent, cùm Chriſti notitiam dicimus neceſſariam ad ſalutem? Falsò ergo

Rom. 10.

ergo Paulus docet neminem ſufficienter inuocare,& credere ad ſalutem, qui non audierit Euangelicam prædicationē,ſi vera iſta ſunt. Quod ſi Paulus falli non poteſt, profectò iſta vera non ſunt. Si pergas Paulum interrogare, Quid de ijs, qui nunquam audierunt Euangelium? reſpondet tibi, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, nimirum prædicationem eorum ſaluti, qui ſalui futuri ſunt ex gentibus, toto orbe terrarum non defuturam, qui verò ex ijs perierint, ſuorum ſcelerum, non ignorati Euangelij pœnas daturos. Dicis durum hoc eſſe, & aſperum, at memineris ab Apoſtolo eos reprehendi, qui iuſtitiam ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Rom. 10. Non enim hîc agitur, durum ne hoc, & ſeuerum ſit, an benignum, & liberale, ſed vtrum verum necne. Alioqui eadem pietatis ſpecie cogentur etiam paruulis eorum, qui Euangelium audire non potuerunt, ſine baptiſmo ſalutem dare per quamcumque Fidei proteſtationem parentum, vt olim fiebat in lege naturæ? Cur enim paruuli ſine Euangelico ſacramento ſalui eſſe non poſſunt, & tamen grandiores ſine Euangelica lege poſſunt? Quod ſi fatentur Euangelica lege iam promulgata nuſquam gentium ad iuſtificandos paruulos antiqua ſacramenta ſatis eſſe, & pro ijs omnibus vnum duntaxat valere baptiſmum (neque enim hoc ſine aperto errore negari poteſt) quid quæſo rationis habet, maioribus notitiam legis naturæ ad ſalutem poſſe ſufficere? Etenim quicquid contra nitantur, fateantur pariter neceſſe eſt, modò ſine Euangelica lege homines poſſe ſaluari, quod qui non putat abſurdum, cum

eo ego

eo ego amplius minimè diſputem. Paulum profectò apertius loquentem nemo deſideret: cuius omnes ſancti expoſitores ſenſum eſſe, quem dixi, probant, maximè Beatus Thomas, cuius commentationem afferre non moror, cuius ſe hi ſcriptores in primis authoritate tuentur. Poſt enarratum ergo locum Apoſtoli, ità dubitat. Nunquid illi, ad quos non peruenit prædicatio Euangelij, vtpotè ſi fuerunt nutriti in ſylvis, excuſationem non habent de peccato infidelitatis? Ad hoc dicendum eſt, quòd ſecundùm ſententiam Domini, quæ habetur Ioannis 16. Illi qui loquentem Dominum, vel per ſe, vel per diſcipulos ſuos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium conſequentur, vt ſcilicet, iuſtificentur ab alijs peccatis, quæ vel naſcendo contraxerunt, vel malè viuendo addiderunt, & pro his damnabuntur. Si qui tamen eorum feciſſent, quod eſt in ſe, Dominus ſecundùm ſuam miſericordiam prouidiſſet mittendo eis prædicatorem Fidei, ſicut Petrum Cornelio, & Paulum Macedonibus. Hactenus Thomas. Auguſtini autem de hac re tam eſt aperta ſententia, vt nullo modo ſubterfugi queat. Adeò enim Chriſti notitiam ad ſalutem neceſſariam vult, vt ijs etiam, qui ex gentibus ante tempus Euãgelicum ſeruati ſunt, minimè id contigiſſe dicat abſque reuelatione vnius mediatoris Dei & hominum Ieſu Chriſti. Nam vt cætera miſſa faciam, ita ſcribit in libris de ciuitate Dei, Diuinitus autem prouiſum fuiſſe non dubito, vt ex hoc vno ſciremus (loquebatur autem de ſancto Iob) etiam per alias gentes eiſſe potuiſſe, qui ſecundùm Deum vixerunt, eique pla-

Thom. lect. 3. in c. 10. ad Rom.

Act. 10. & 16.

Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 17.

quę placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Hieruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui diuinitus reuelatus eſt vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus. In ſecundo quoque libro de gratia Chriſti idipſum multis confirmat. Neque tamen diſplicet mihi illa quorundam temperatio, vt implicita quidem fides Ieſu Chriſti, explicita verò vnius mediatoris ſatis fuerit ad ſalutem conſequendam ante Euangelicum tempus. Tunc enim, vt ait Paulus, tanquam paruuli cuſtodiebamur incluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. At poſt reuelatam fidem, patere alicui vitæ ianuam niſi per reuelatam, & expreſſam Chriſti cognitionem nullo modo aſſentior, omnibus & antiquis, & nouis ſcriptoribus hac parte ſtantibus præter paucos quoſdam ſcholaſticos, qui neque ratione aliqua firma, neque veterum authoritate, ſed ſua potius ſuſpicione ducuntur. Neque verò extremam ſalutem tantùm, ſed iuſtitiam etiam primam ſine Euangelij cognitione poſt promulgatum orbi Euangelium cuiquam contingere exiſtimo, in quo alij minus moleſtè, ſed tamen falsò contradicunt. Neque Auguſtini alium fuiſſe ſenſum quicquid hi contenderint demonſtrabunt. Non enim Cornelij (quoniam hoc loco vrgent) eadem cauſa eſt, & infidelium huius temporis. Etenim quemadmodum Iudæis fides vnius mediatoris tunç temporis ſufficiebat ad iuſtificationem, antequam Ieſus Chriſtus euangelizaretur, ita quoque Cornelio Iudæorum, & libris, & conſuetudine inſtructo ſufficere potuit, vſque dum à Petro diſceret Chriſtum. Nunc verò poſt-

Aug. lib. 2. de gratia Chriſti. cap. 24. 25. & 26.

Gal. 3.

Aug. lib. de Præd ſanctor. c. 7.

rò poſtquam toto orbe terrarum Iudaica,& lex, & ſacramenta prorſus abolita ſunt, vt non mortua ſolùm, ſed etiam mortifera ſint, omnino Euangelica menſura quærenda eſt fidei, ſine qua nemo,quod ſatis eſt,credit,cũ lex fidei ſola iuſtificet,id eſt,nullum aliud ſalutis initium ſit præter fidem Ieſu Chriſti. Quod ſi quis pergat quærere. Ex quonam tempore explicita fides Chriſti cœperit eſſe neceſſaria ad iuſtitiam,equidem reſpondebo ex illo ipſo, cùm primùm promulgatum eſt orbi Euangelium. At Indis non erat hactenus promulgatum, inquis, ita ego ſanè arbitror, verùm nihil ad rem. Neque enim de ea promulgatione ſermo eſt,quæ cuiuis ignorationis locum nullum relinquit, ſed de ea potius, quæ cùm ſolennis ſit, & pro legiſlatoris voluntate conueniens, omnes contrarias leges abrogat,contractuſq; diſſoluit. Scimus igitur ſacramenta omnia,& legis,& naturæ abolita eſſe,ſcimus Euangelicam legem,quæ eſt fides Ieſu Chriſti, omnes mortales aliquando cœpiſſe obligare:quo verò primùm tempore ſufficienter promulgata fuerit,alijs aliter ſtatuentibus,nos neſcimus. Cornelij certè tempore nondum plenè propalatum fuiſſe Euangelium Gentibus, vel ipſe Petrus teſtis eſt,cui ea de re erudiendo cœleſti viſione opus fuerit. Nunc ergo cùm æquè vel notum,vel ignotum ſit Gentium populis ſiue eſſe aliquem mediatorem diuinitus prouiſum, ſiue hunc eſſe ſolum Ieſum Chriſtum, non eſt, cur ſine Euangelij notitia remiſſio peccatorum alicui tribuatur. Alij ſentiunt Cornelium non verè iuſtificatum eſſe coram Deo antè Petri prædication em, cùm & animali immundo compa-

Ita ſentit apertè D Greg. hom. in Ezech. 9.

retur,

retur,& audita remiſſione peccatorum per Chriſtum ceciderit Spiritus ſanctus, neque ab ea ſententia valde abhorret Chryſoſtomus: verùm quia difficile eſt, quē ſcriptura religioſum,& timentem Deum, & acceptum Deo & operantem iuſtitiam dicit,nō eundem verè iuſtificatum intelligere, commodius explicatur accerſendi Petri neceſſitas,non vt abſolutè gratiam conſequeretur, ſed vt Euangelicam gratiam ea plenitudine & firmitate, qua per Ieſu Chriſti fidem cōferebatur. Modò verò poſt latè prædicatum Euangelium eiuſdem neceſſitatis putamus credere, & in Chriſtum credere, ſine cuius myſterij fide iuſtificari neminem & olim beatus Thomas, & nuper ſancta ſynodus Tridentina decreuit. Sed quid agemus de infinitis hominum millibus, qui neque audierunt Euangelium,neque verò audire potuerunt? An eorum neminem ſaluum eſſe poſſe cenſebimus? Minimè verò. At ſine miraculo fidem doceri non poſſunt. Primum miraculū dici non debet Dei peculiaris prouidentia vel Angelum, vel hominem deſtinantis, vt Euangelizet ei,qui quod poteſt,præſtitit. Nam vt rarum hoc eſt,& rariſsimum vt in natura iam obſcurata, & grauiſſimè ſaucia ad tam præclaros quiſquam conatus aſſurgat, idque ſine præueniente Dei auxilio facere nequit, ita prouidentia ſingulari non deſtituendum ipſa ratio confirmat, cui tam ſingulare contigerit ſtudium boni. Quod ſi adhuc miraculum vocandum perſtant, quid de nomine digladiandum eſt? Certè hi tanquam eiuſmodi opera Deo grauia aut anguſta & inuſitata forent, ita parcè & arctè cohibenda putant. An non ad ipſum illum Cornelium, & Ange-

Beda in acta, fidem operam tribuit Cornetio.

Tho. 1. 2. q. 113. ar. 4. ad 2. & 3.

Con. Tri ſeſſ. 6. c. 6.

Act.10. *Act.8.* *Act.16.* lum,& Petrum miſſos legunt? An nō ad Eunuchū Candacis Reginæ Philippum Diaconum? An nō ad Macedones, & ad Lydiam Paulum? Quod ſi noua quærimus, præſto eſt Paulus ille Iapponenſis, qui tanto tempore criminum ſuorum medelam exoptans, & Franciſcum Xauierum quærens tam longo maris circuitu, eoque non inuento abiens Malacam tempeſtate reuocatus eſt ex ipſo Sinenſum aſpectu, vſque dum in illum rediens incideret, & Chriſti Euangelio audito per fidem non ſolùm ipſe ſeruatus ſit, verùm amplißimæ genti ſuæ Chriſtum annuntiandi Franciſco fuerit, & hortator & dux. Ad hunc ſane modum de cæteris, ſi qui tales extiterint, ſentiendum eſſe non tam ego quàm Thomas ipſe reſpondet: à quo cùm obiectionem ſuam dilui videant, neſcio quomodo in eam ſententiam vocare poſſint, quam refellit. Sed de puero veniente ad vſum rationis negotium nobis ex ſancto Thoma faceſſunt. In quo ſi nulla neque ab Angelo, neque ab homine doctrina expectanda eſt, certè neque Chriſti, neque Dei notitiam pro illa ætate firmam habere poteſt. Itaque iuſtificabitur is, qui Deum adhuc non nouit, & falſum erit quod Apoſtolus de fide neceſſaria, vt placeatur Deo, ſcripſit, Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt. Quod ſi & hoc ipſum implicitè credi ſatis eſſe dicunt, profectò nihil dixit Apoſtolus. Nam implicite non illa ſolùm credere oportet accedentem ad Deum, verùm & illa Adam extra paradiſum formatum eſſe, & octo animas in arca Noe ſeruatas, & Tobiæ filium fuiſſe cognomine, & quicquid diuinæ literæ tradunt. Quod

Thō.14. de Verit.a.10. ad.1. & in c.10. Rom. lect.3.

Heb.11.

ſi certa

ſi certa aliqua fidei menſura deſignanda eſt, & firma ſaltem de Dei maieſtate & prouidentia conceptio, profectò à quo hanc fonte puerulus haurire poteſt nulla doctrina imbutus, nulla experientia ductus, ab eodem facilè hauriet, & Chriſti myſterium, cùm vtrumque vel diuinitus, vel humanitus edocendus ſit. Itaque vel opinio illa D. Thomæ non vſq; adeò tenaciter eſt tuenda, quam etiam illius plerique diſcipuli non ſatis ſibi perſuadent, vel ſi retinenda eſt, ad eum modum explicanda eſt, quem antiquiores illius diſcipuli ſequuntur, vt etiam pueri iuſtificationem reuelatio Chriſti antecedat. Neque enim propter incertas opiniones dogmata debemus certa deſerere. Cùm ergo fides infuſa neceſſaria ſit, non vt credat homo, ſed vt aliquid credat, id eſt, non tam propter actum quàm propter obiectum, quærenti quodnam ſit illud, nihil aliud occurrit, quàm quod Patres tradunt, vt credamus vera eſſe, quę diuinitus reuelata & promiſſa ſunt, atq; illud in primis à Deo iuſtificari impiũ per gratiam eius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quamobrem myſterium Chriſti primum ac potiſſimum docere debemus, ſi illius ſapientiam ſequi volumus, qui dicebat, Nihil aliud arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. *Cõc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.* *1. Cor. 2.*

Contra errorem illius, qui Chriſtianos rudiores ſine Fide explicita Chriſti aſſeruit poſſe ſaluari.

CAPVT IIII.

BENE autem habet quod nemo ſcripto-

rum Chriſti notitiam neceſſariam negat ijs, quibus fides prædicata eſt, quin potius diſertè admonent præceptum de Chriſti myſterio explicitè credendo, & diuinum eſſe, & omnibus hominibus neceſſariò propoſitum, tum verò eos, qui fidem audierunt ſine illius myſterij cognitione ſaluos eſſe non poſſe. Aiunt verò infideles barbaros, quibus Euangelium non eſt nuntiatum, propter ignorantiam excuſari à peccato, quod nos quoque libenter damus: ſed eoſdem, ſi fecerint quod in ipſis eſt, ſine fide explicitã Chriſti ſalutem conſequi poſſe cenſent, quod nobis nequicquam placet, ſed interim teneamus illud, quod nemo catholicus poteſt abnuere, De myſterio Chriſti expreſsè ſciendo Chriſtianis omnibus ſine exceptione diuinum eſſe pręceptum, neq; verò quemquam eorũ, quibus Euangelium prædicatur, ad ſalutem iuſtitiamue coram Deo peruenire poſſe, niſi per fidem explicitam Chriſti. Qua de re non ita pridem in hoc nouo orbe vir quidam diu, & inſigniter doctus, & valde religioſus habitus, iam verò magnus, vel factus, vel patefactus Hæreticus nouũ dogma, vt ille quidem iactabat, pium & ſalutare, ſed reuera valde impium, & pernicioſum inducere conatus eſt; idque multis prolixiſque commentationibus egit, vt perſuaderet, Nempe Indorum populis cæteriſque hominibus rudioribus non eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt myſterium Trinitatis, neque verò myſterium Chriſti explicitè crederent: ſed ſatis eſſe, vt ſcirent vnum eſſe Deum, eumque bonis præmia, malis ſupplicia digna reddentem, in cæteris verò legem noſtram, hoc eſt Chriſtianam, diuinam eſſe

& cer-

& certò tenendam. Denique præter illa duo nihil aliud quàm vt crederent communiter & implicitè, quæ tenet Eccleſia. Quamobrem hæc ipſa Indis prædicanda eſſe, cætera non ita magnopere curanda. Cauſam huius ſui dogmatis ille reddebat, quod Deus ad impoſſibile neminem obliget: eſſe verò tam obtuſo & abſurdo ingenio pleroſque, vt neque myſterium Trinitatis, neq; myſterium Chriſti percipere poſſint, quos ſi cogas iſthæc explicitè credere, nihil aliud agas, quã vt cœli ingreſsũ miſeris occludas. Addebat porrò cùm diu de hac re ſecum ipſe deliberaſſet, atque ita ſentiret, vt dixi, diuina ſe reuelatione penitus confirmatum vſq; adeò, vt Paulum ipſum Apoſtolum per reuelationẽ dixiſſe affirmaret, Rudioribus non eſſe neceſſarium ad ſalutem credere Chriſtum eſſe hominum ſaluatorem. Quis verò pſeudopaulus ille, & peſſimus dæmon fuerit, Angelus lucis haberi volẽs, ſatis iam ac plus etiam quàm vellemus, innotuit. Sed autore miſſo, ipſum dogma tractemus, eoque accuratius, quod iugulum ipſum Euangelij ferire contendat. Omnis penè prædicationis Indicæ labor & cura tollatur neceſſe eſt, ſi vera illa ſint. Paucis verò non ſolùm impiam, ſed ſtultam quoque aſſertionem perſpicuè demonſtrabo. Quid enim impium magis, quàm & apertæ Domini ſententiæ, & gentium ſaluti per Chriſtum obtinendæ contradicere? Ite, inquit, in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizat⁹ fuerit, ſaluus erit; qui verò nõ crediderit, condẽnabitur. Euangeliũ ergo ſuſcipere & credere omnẽ creaturam oportet, ſi ſalua eſſe velit. Atqui Euangeliũ, & Chriſti *Marc. 16.*

notitia nomine quidem ſunt duo, re ipſa penitus idem. Quomodo enim Euangelium nouit, qui Chriſtum non nouit? Ex quo planè apparet, quàm ſtultè illud dicatur, vt is, qui fidem Chriſtianam habet, Chriſtum tamen ignorare poſſit. Nam ſi quis Aeneida aut Odyſſeam tenere ſeſe diceret, neq; tamen Aeneam aut Vlyſſem vnquã audiſſe, quis obſecro riſum tenere poſſet? Præterea qui nouit ſe fieri aut eſſe Chriſtianum, & nó Iudæum aut paganum, qui Chriſtum non nouit? Quomodo eam legem profiteri poteſt, qui quid lex habeat, ignorat? Omnis Chriſtianus, quatenus Chriſtianus eſt, Chriſtum profitetur. Itaque docere quemquam Chriſtianum eſſe debere, ſi ſaluus eſſe velit, neque tamen opus eſſe, vt Chriſtum agnoſcat, nihil aliud eſt quàm cum ratione inſanire. Ad hæc quã ineptè & fatuè iubetur Indus credere, quæ credit Eccleſia, qui tamen Chriſtum ignorare permittitur? Omnino repugnat vtrumque. Etenim Eccleſiam niſi congregationem fidelium Chriſtum verè tenentiũ intelligat, non magis Eccleſiæ credit quàm ſynagogæ Iudæorum, aut ſcholæ Athenienſium, ſine Chriſto enim Eccleſia neque eſſe, neq; intelligi poteſt. Siue ergo Eccleſiam voces, ſiue Chriſtianorum legem, ſiue fidelium cœtum, niſi Chriſtum Indus agnoſcat, Eccleſiæ myſterium ſcire nó poteſt. Vt illud prætereã, quantæ inſaniæ ſit myſterium Eccleſiæ myſterio Chriſti præponere in neceſſitate fidei explicitæ. Ioannes certè Apoſtolus ita colligit; Et hoc eſt mandatũ eius, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti. Et hæc eſt, ait, victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quæ autem ſit fides noſtra, ſtatim adiungit:

1. Ioan. 3. *1. Ioan. 5.*

git:Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei. Igitur eiuſdem præcepti, eiuſdem neceſſitatis eſt Chriſtiano credere, & in Chriſtum credere, eadem fides Chriſtiana, & fides Chriſti. Docendi ergo ſunt Indi, & gentes omnes myſterium Chriſti, & qui genus aliquod hominum inde excipit, grauiter errat, ne hæreticum apertè dicam, quod tamen nonnulli graues autores intrepidè affirmant. Sed homo abſurdus eſt, inquit, rudis, hebes, ſenex eſt iam decrepitus, æthiops eſt trunco ſimilis, Vrus eſt vix quicquam à pecude diſtans. Hoſne atque horum ſimiles Trinitatis myſterij diſcere coges, quod eſt vſque adeò difficilè magnis etiam & promptis ingenijs? Myſteriumne Chriſti, quod captum ſuperat mentis humanæ ex tam ſtolido ſenſu exiges? Ego verò myſterium Chriſti (nam de cæteris dicam poſtea) intelligere neminem cogo, quod eſt paucorum, credere verò omnes debere dico, quod nemo non poteſt. Nemo enim tam eſt abſurdus, qui nequeat vtcunque cogitare Deum & hominem. Doceri ergo poteſt, Deus factus homo, hic eſt Chriſtus Ieſus, addat, cur id ſit factum, vt nos prorſus à peccatis eriperemur, & vitam conſequeremur, atque ita diſcet eſſe vnicum ſaluatorem noſtrum. Mox ordinem quoque doceatur, quod conceptus ſit Spiritus ſancti opera ex virgine, & natus, & crucifixus, & poſt mortem reſurgens in vitam immortalem. Hæc profectò cogitatione percipere non eſt impoſſibile, quin potius ſi Paulo Apoſtolo credimus, propè eſt valde verbum in ore noſtro, & in corde noſtro, hoc eſt verbum Fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore

Dominicus Soto in 4. d. 5. a. 2.

Rom 10.

tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. cùm ergo quæritur, quid in myſterio Chriſti gentes docendæ ſint, reſpondetur, Dei filium factum hominem propter nos crucifixum reſurrexiſſe, quam ſummam eſſe Euangelij rectiſſimè dixit Chryſoſtomus. Itaque tria quædam breuiter inſinuantur. Primum, Chriſtum eſſe Deum & hominem; deinde, mortuum eſſe propter peccata noſtra, tertium, vitam immortalem, & beatam poſſidere, quam nobis communicare vult. Hæc qui nullo modo percipere poſſit, neminem eſſe arbitror, ſi congruenter doceatur. Nam & corporali imaginatione cogitari poſſunt, quod eſt hominibus facillimum, & vtrumque depingi, & verbis exprimi ſatis queūt. Memoriter verò tenere, & acutè intelligere, & aptè explicare ſciò non omnes poſſe, & Deum bonum nihil exigere ab homine, quod præſtare non poſſit. Quod ſi quiſquam tam obtuſus & ſaxeus vel fingatur, vel reperiatur, qui nullo modo cogitare & percipere poſſit Chriſtum eſſe hominum ſaluatorem, & Dominum, hunc ego vel ſenſus humani expertem exiſtimabo, vel propter ſua crimina diuino iudicio retardari, ne vel fidem doceatur congruenter, vel beneuolè capiat. Neque enim dubitamus eſſe non paucos, qui non habent aures audiendi, quibus licet foris inſo- *Eſai. 6.* net Euangelij tuba, intus tamen ſurdiſſimi ſint. Vt iuxta verbum propheticum audientes non audiant. Nam & conſentire verbo fidei percepto diuinæ gratiæ eſt, & ipſum quoque quantum ſatis eſt, mente concipere, & cogitare non nullius eſt gratiæ, ita vel illud, vel hoc ſicui negatur, di-

uini

uini iudicij eſt, cuius effectus cùm ſæpe cernamus, cauſas tamen planè ignoramus. Deniq; quicunque diuinitus ad fidem Chriſtianam idoneus iudicatur, ſine qua ſalus & iuſtitia eſſe non poteſt, idem ad myſterij Chriſti agnitionem, quantum ſatis eſt, idoneus exiſtimandus eſt, quam ſi vel neglexerit, vel aſſecutus non fuerit, oſtium vitæ æternæ nondum inueniſſe ſine vlla dubitatione exiſtimandus eſt.

Quòd præcepto cætera myſteria, quæ continentur in ſymbolo, ſcire omnes Chriſtiani conſtringantur.

CAPVT V.

MYſterium verò Chriſti nemo poteſt perfectè, & vt par eſt, cognoſcere, niſi myſteriū quoque & Trinitatis, & Eccleſiæ doceatur. Nam Ieſus Chriſtus Dei filius de Spiritu ſancto conceptus eſt, mortuus eſt autem, vt ſuo ſanguine mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, in quo eſſet remiſſio peccatorum, & ſalus æterna per fidem, & ſacramenta Chriſti. Itaque tribus hiſce myſterijs, Chriſti, Trinitatis, Eccleſiæ, Chriſtianæ fidei ſumma definita eſt. Quamobrem ab Apoſtolis tribus veluti partibus ſymbolum diſtributum eſt. Et quæ quidem ad naturam diuinitatis pertinent, in primo loco patri attributa ſunt, quæ verò ad diſpoſitionem redemptionis noſtræ, ſecundo loco Dei filio Ieſu Chriſto: porrò quæ ad fidelium gratiam & ſanctificationem, ea tertio loco Spiritui ſancto aſcripta ſunt. Neque verò illorum eſt modò error refellendus, qui plebeio & ruſtico homini ſatis eſſe putant, vt ſe tenere profi-

Tit.2.

teatur, quæ tenet Eccleſia, qui ab ipſa iampridē Eccleſia damnati ſunt. Quin potius audiamus Auguſtinum eorum ſententiam data opera refellentem, qui ſentiebant ſufficere ad percipiendum baptiſmum confeſſionem Ieſu Chriſti filij Dei. Ita enim ſcribit in lib. de Fide & operibus; Spado (inquiunt) ille, quem Philippus baptizauit, nihil plus dixit, quàm credo Dei Filium eſſe Ieſum Chriſtum. Et in hac profeſſione continuò baptizatus eſt. Num ergo placet, vt hoc ſolùm homines reſpondeant, & continuò baptizentur? nihil de Spiritu ſancto, nihil de ſancta Eccleſia, nihil de remiſſione peccatorum, nihil de reſurrectione mortuorum? poſtremò de ipſo Ieſu Chriſto nihil, niſi quia filius Dei eſt? non de incarnatione eius ex virgine, de paſsione, de morte crucis, de ſepultura, de tertij diei reſurrectione, de aſcēſione, ac ſede ad dexterā patris aliquid dicendū eſt catechizanti, & profitendū credenti? quæ neceſſe habeinus etiam cùm ad baptiſmum tēporis vrget anguſtia, exprimere interrogādo, vt baptizandus ad cuncta reſpondeat, etiamſi ea memoriæ mandare non valuit. En quid exigat Auguſtinus, idque ex recepta cōſuetudine totius Eccleſiæ. Et nos dubitabimus teneri quemuis Chriſtianorum ſymboli myſteria noſſe, & explicatè credere, quę à morituris quoq; exigebantur ante baptiſmū? Certè Leo Papa nulla exceptione facta; Quod continetur, inquit, in ſymbolo, Dominus noſter in Eccleſia neminem vtriuſq; ſexus voluit ignorare. Concilij Laodicenſis decretum extat, ſymbolum diſci oportere & reddi Epiſcopo, aut Presbytero ante baptiſmū. In Bracharēſi catechumeni totum ſymbolum Apoſtolorū doceri

Aug lib. de fide & ope. cap. 9.
Act. 8.
Leo epi. 13. ad Pulcheriam Auguſtam.
Con. Laod c. 46.
2. Concil. Brach. c. 1.

ceri iubentur. Sed notior res eſt, quàm vt teſtimonijs, quæ ſunt plurima, indigeat. Igitur omnes Chriſtiani nemine excepto fidei capita, quæ cõtinẽtur in ſymbolo, quantum illorũ captus fert, explicatè tenere diuina autoritate cogũtur, qua de re ſcriptores quidam docti nõ doctè profectò dubitant, quorũ de hoc diuino præcepto refellẽdo aut cohibendo ſententia, vix in opinionũ numero referri poteſt, cùm noſtri & multitudine, & autoritate multis partib⁹ ſuperiores ſint. Quoniam verò ea, quæ cõmuniter præcipiuntur, propter vrgẽtes aliquas cauſas excuſari nõnunquam poſſunt, non eſt dubitandum, quin temporis anguſtiæ, aut ſenſus hebetudo, aut minus idonei doctoris facultas, ſæpe imbecilliores excuſet, ſi nõ vſquequaq; omnia illa fidei myſteria norint. Si enim baptiſmi percipiendi, itemq́; Euchariſtiæ ſumendæ, & cõfeſsionis peccatorũ Chriſtiano faciendæ, cùm iuris diuini præcepta ſint, tamen poteſt nonnunquã homo excuſari, vel miniſtro abſente, vel ipſa materia, vel ſua ipſius impotẽtia ad loquendum, vel alijs etiam ex cauſis, neq; tamen ſi voto & animo præſtet quod poteſt, cùm vero corde Deum quærat, excludetur à regno, nihil profectò eſt, cur quamuis diuinum de fidei præcipuis myſterijs ab Apoſtolis traditis cognoſcendis, & expreſsè profitendis præceptum ſit, tamẽ excuſari & abſolui non poſsint multi, quorum ſenſus tam eſt exiguus, vt non vſquequaq; ſufficiat, aut ætas grauis, aut præceptoris inopia, aut aliud extrinſecus obiectum impedimentum. Neque enim contemnet hos, qui fecit illos, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus, neque deerit Dominus

Tho 2.2 q. 2.art.7 & 8. Mag. in 4. di 1.& ſcholaſtici ibi.& in 3.diſt.25.

Sap. 6.

nus fidei & bonæ volũtati hominis, qui quod poteſt, bona fide præſtat. Itaq; ſunt illa quidem omnia ſymboli capita docenda, diſcendaque diligenter, & omni ſtudio incumbendum, vt hæreant, idque nulla negligentia detrectari poteſt, nulla occupatione præpediri, nullius negotij magnitudine cõtemni, cùm ſit ipſa animæ ſalus fides Eccleſiæ: ſed tamen vbi neceſſitas & impotentia obſtant, non debemus putare defuturum Deum, ſi modò ea menſura non deſit, quam neceſſariam diximus omnibus, neque valde difficilem, ſine qua ſalus nemini patuit. Ea verò eſt, vt credat in vnum Deum per Ieſum Chriſtum vnicum ſaluatorem peccata hominibus remittentem, & ſibi obedientibus æterna bona præbentem, ſine qua fidei menſura neminem Chriſtianorum fuiſſe, neminem fore ſaluum mihi ſanè perſuadeo.

De myſterio Trinitatis omnibus tradendo.

CAPVT VI.

DE Trinitatis ergo arcano an omnes etiam valde imperiti & rudes neceſſariò docendi ſint, partim rectè dubitatur, partim non rectè. Nam aliqua ex parte omnes illud debere cognoſcere præter patrum autoritatem, ea vna ratio apertè declarat, quod nemo Chriſtianus fiat, percipiatque baptiſmum (quod fidei ſacramentum antiqui vocant) niſi in nomine Trinitatis. Qui ergo Chriſtianum ſe eſſe nouit, non poteſt iure ignorare myſterium, in quo vnico Chriſtianus effectus ſit. Adde quod ex Apoſtolica & veteri traditione nemo baptizatur in Eccleſia Chriſti, niſi prius rogatus, an credat in Deum Patrem, &

Damaſc. lib. 4. de fide c. 10.

in Ie-

in Ieſum Chriſtum Dei Filium, & in Spiritum ſanctum, reſponderit firmiter ſeſe credere. Quátumuis ergo hebes ſit, ſi iudicij aliquid habet, & ita rogatur, & ita reſpondet, prorſusque ita expreſsè credere iubetur. Namque implicitè & inuolutè non iſthæc ſolùm, ſed quæcunque diuinæ literæ produnt, credit, de quibus tamen non omnibus interrogatur, quod ea expreſsè ſcire omnia, illi minimè opus ſit. Præterea cùm nemo tam imperitus Chriſtianæ diſciplinæ ſit, quin & ſe & res cęteras ſignare ſalutariter doctus ſit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quonammodo ei ignorare fas erit, quod quotidie frequentat? Nihil ergo eſt, cur propter Aethyopũ Indorumue barbariem nouum dogma cudatur, de Trinitate non neceſſariò docenda, quod plures grauioresque Theologi, & Eccleſia ipſa, niſi fallor, in Athanaſij ſymbolo ſatis redarguit. Sed ſubtile eſt, inquiunt, myſterium, & valde ſenſum humanum excellens: iſtorum verò ſenſus tam eſt obtuſus, vt ne cogitare quidem Trinitatem queat. Primùm qui ita differunt, velim an ſe fortaſſis cogitare poſſe reſpondeant. An præter certos ac definitos loquẽdi modos ex Eccleſiæ, & Theologiæ regulis ſumptos, quicquã amplius in tam ſublimi arcano Theologi norunt? Nihil opinor. Nam de me certus ſum equidem. Quid enim ſentiendum, & quomodo enunciandum ſit, ruſtico literatus præſtat: quid porrò id ſit, & quomodo cogitandũ, nihil propemodum inter vtrumque intereſt. Non ergo intelligentia, quæ valde paucorũ eſt, tanti myſterij, quã non tam lectione librorum, quàm diuinitus luce perfuſa mens capit, vt Auguſtinus optimè docuit, ſed ſimplicem ſynce-

Tho. 2. 2. q. 2. ſcholaſtici in 3. d. 25.

Aug. lib. 14. de Trin.

Aug. li 14. de Trin. ſynceramq́ue Fidem poſtulat ſancta mater Eccleſia, à qua cur alienare quoſuis homines debeamus omnino non video. Quemadmodum enim ſacrificia olim offerebantur Deo pia populi religione, quorum tamen vim, & ſignificationem pauci admodum ſatis perciperent, & nihilominus à ſuis Deus iſta exigebat, quod in ijs, quæ videbant, ea, quę non videbant, proteſtabantur: ita planè in nouo teſtamento, vbi cruentæ abolitæ ſunt victimæ, & vituli acceptiſſimi sũt labia confitentium Domino, vult profectò Deus fideles ſuos offerre, & cordis, & oris confeſſionem ſecundùm ſpiritum Fidei, vt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum adorent, & colant, quamuis quid ore proferant, quid mente credant, vix plerique percipiant: Nam & ipſa Fides eſt argumentum non apparentium, quam etiam ſacrificium quodam loco vocat Apoſtolus. *Phil. 2.* Sed premunt adhuc nonnulli hęc ipſa amplius. Trinitatis myſterium in hoc eſſe aiunt, vt tres diuinæ perſonæ in vna eademq́ue eſſentia credantur. Atqui inuenies quàmplurimos, qui neque quid ſit diſtinctio perſonarum, neq; quid eſſentię vnitas cogitare queant. Ego ſanè tales eſſe nō in India & Aethiopia ſolum, ſed in ipſa Hiſpanię, & Italię curia plurimos arbitror. Hos ergo excludemus ex notitia Trinitatis? Minimè verò. *Hoſius lib. de Fide c. 2.* Quin potius doctiſſimi Cardinalis Hoſij, & de Catholica Eccleſia optimè meriti ſentētiā, valde probo. Diſtinctionē, inquit, perſonarum & vnitatem ſubſtantię, ſi qui ſunt rudiores, quā vt comprehendere poſſint, non eſt adeò neceſſarium ad ſalutem omnibus explicatè credere, vt ſi quis minus hęc fuerit aſſecutus, de eius ſalute dubitandum ſit. Rectè

prorſus

prorſus ac piè. Namq; vt rudiores myſteriũ Trinitatis, quantum ſatis eſt, credant, ſatis omnino eſt illis, ſi verè credāt in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Neq; opus eſt iſta moroſè premere apud tales, quæ ſi ſubtilius exquirantur, de illorũ exiguo ſenſu elabuntur. Teneant ergo vnum eſſe Deum omnipotētem, omnium rerum creatorem, teneant hunc eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Quod ſi præterea facultas ſuppetat, doceri poſſunt has tres eſſe diſtinctas perſonas, & æquales per omnia, ſed Deum omnino vnum, propter vnam eãdemque omnino ſubſtantiam. Quicquid enim de hoc myſterio ſentiendum eſt, Eccleſia breuiter poſuit, Vt in perſonis proprietas, in eſſentia vnitas, in maieſtate adoretur æqualitas, ad quæ ferè Auguſtinus confert omnia à ſe diſputata per quindecim libros in ea epiſtola, quam ſcripſit Euodio, ſed ſicut religioſa diligētia iſta plebi exponentium laudanda eſt, ita improbanda quorundam importuna moroſitas de diſtinctione perſonarum, de vnitate eſſentiæ à rudiſſimis hominibus rationem extorquentium, quæ neq; comprehendere ſatis poſſunt, & cùm vtcumque comprehendunt, penitus explicare non poſſunt, niſi fortè verbis conceptis memoriæ mãdarint, quod vt in puerili ætate non eſt inutile, ita non firmum eſt intimi ſenſus indicium. Opus ergo eſt, vt omnes doceantur credere in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, quemadmodum religio Chriſtiana veneratur, idque & rudibus ſatis eſt, & pro eorum tenuitate non impoſſibile.

Aug. epiſt. 102.

De my-

De myſterio Eccleſiæ tenendo.

CAP. VII.

DE ſancta verò Eccleſia articulus à vulgaribus catechiſtis ferè omittitur, cauſam eam opinor, quod in myſterijs Fidei explicandis, non tam ſymboli Apoſtolici ſeriem ſequantur, quàm vſitatam iſtam diſtributionem articulorum Fidei in ſeptem ad diuinitatem pertinentes, & totidem ad humanitatem, quæ ſanè diſtributio vt non eſt contemnenda, ita nullo modo, aut præferenda aut comparanda ſymbolo, quod ab Apoſtolis eſſe compoſitũ Cypriani, Clemẽtis, totiusque Eccleſiæ cõſenſu accepimus (& quidẽ certis ab vnoquoque ſententijs collatis in medium, ſi Leoni, & Auguſtino clariſſimis doctoribus credimus) & eſt omnino non minoris autoritatis apud fideles, quàm Euangelium Ioannis. At vulgaris ille articulorum ordo, qui in puerorum tabella apud nos circumfertur, in commentario quodam S. Thomæ Aquinatis inuenitur, (autorem antiquiorem certi nominis me legiſſe non memini) At in hoc ipſo Eccleſiæ myſterio explicando valde deficit. Nihil illic de Eccleſia, nihil de communione ſanctorum, nihil de remiſſione peccatorum per ſacramenta, quæ tamen noſſe ſummopere refert, Nam quod Thomas in articulum Saluatoris reijcit Eccleſiam, communionem ſanctorum, & peccatorum remiſſionẽ, non eſt quidem falſum, ſed ita obſcurum, vt illo verbo nihil tale populus ſuſpicari queat, niſi à Doctore commonefiat. Hanc igitur ob cauſam opinor hũc articulũ vulgò non ita notum. Eſt verò perquàm neceſſarius, ab Auguſtino, cũ de catechizandis

Clemens epiſt. 1. Cypria. in ſymb. expo. Leo epi. 13. Aug ſerm 181. de Temp. & ſerm. 115. Tho. in. Dir. Inqui. p. 1. in Decre. de ſũma Trin. Th. 2. 2. q. 1. ar. 8.

techizandis rudibus agit, ac ſæpè aliàs, vſque adeò commendatus, vt dicat ſæpius & planiùs in ſcripturis ſacris de ſancta Eccleſia, quàm de ipſo Chriſto prophetatum. Adde, quod ab hoc vno, ſi non diſſentiat Chriſtianus, quamuis in cæteris fortè labatur, Chriſtianus eſſe non deſinet: huic vni ſi ſeſe ſubtrahat, Fidelis eſſe non poteſt. Eſt enim Eccleſia Domus Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Doceantur ergo Indi de Eccleſia tria præcipuè. Primum, quid illa ſit, congregatio certè hominum Chriſtum, doctrinamque Chriſti profitentium, non Hiſpanorum, aut barbarorum, aut nationis, & gentis cuiuſdam numero, & ſorte definita, omnia terrarum ſpatia, omnes temporum ſucceſſiones cõplectens. Hæc nihil eſt aliud quàm ipſe populus Chriſtianorum, ſinguli enim, vt præclarè Auguſtinus dixit, filij ſumus, & partes Eccleſiæ, omnes verò ſimul, ipſamet mater Eccleſia. Huius verò caput eſſe Romanæ vrbis Pontificem Petri ſucceſſorem, Chriſti vicarium, pleniſſima ipſius in terris authoritate pollentem, cui cæteri omnes Chriſtiani etiam Reges, & Principes pareant. Hoc eſt Eccleſiam Catholicam credere, & vniuerſalem. Secundum, hanc eandem Apoſtolicam, & ſanctam eſſe. Nimirum huius Eccleſiæ doctrinam à Deo eſſe profectam, neque vnquam erraſſe, errareue poſſe: quicumque verò ab ea receſſerint, ſine vlla dubitatione grauiſſimè errare: præterea in hac vna eſſe ſalutem, vt nemo, qui ab ea alienus ſit, ſaluus eſſe poſſit, quocumque ille religionis nomine glorietur, itaque ſoli populo Chriſtianorum patere cœlorum aditum. In ea quoque licet plurimi reperiantur, peruerſis moribus, eſſe ta-

Auguſt. ſæpè contra Donatiſtas.

1. Tim. 3.

Aug quæſt. Euang. lib. 1. cap. 18.

men alios puros & ſanctos, illoſque ipſos prauos ipſius Eccleſiæ præceptis non obtemperare, ac proinde graues improbitatis ſuę pœnas daturos. Poſtremum ſit, introitum in hanc Eccleſiam eſſe per Baptiſmi ſacramentum, quo peccatorũ omnium remiſſio donatur, ijs verò, qui in ea iam ſunt abluti ſalutari lauacro, alia eſſe ſacramenta diuinitus data velut pharmaca, & dona cœleſtia tum ad remittenda peccata, ſi denuò committãtur, tum ad vberiorem gratiam promerendam, præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, in qua ſit Chriſtus pro nobis oblatus, factus, & hoſtia pro nobis, Deo placando, & noſtris animis reficiendis cibus ſuauiſſimus. Hoc enim magnum eſt pie-
1. Tim. 3. tatis ſacramentum, id eſt, Eccleſia Chriſti, quod manifeſtatum eſt in carne, cùm ſit Eccleſia viſibi-
Ephes. 3. lis, iuſtificatum eſt in ſpiritu pro internorum do-
Ibid. norũ magnitudine, apparuit Angelis per Eccleſiam multiformis gratia Dei, prædicatũ eſt gen-
Col. 1. tibus eas eſſe concorporales, & comparticipes Chriſti, creditum eſt in mundo Euangelio vbiq; creſcente, & fructificante, aſſumptum eſt in glo-
1. Cor. 15. ria, quando mortale hoc abſorbeatur à vita. In tanto ergo diuinæ ſapientiæ myſterio, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ articulo nouis Fidei tyronibus cõmendando, & exponendo nullo modo decet Parochorum diligentiam ſtudiumque ceſſare.

Quid in extremo mortis diſcrimine Indi docendi ſint, vt baptizentur.

CAPVT VIII.

Qvod ſi cui repentinus morbus incidat, qui ſpe vitæ excluſus Chriſtianum ſe fieri velle ſignificet, quod ſæpè vidimus, is verò & rudis ſit, &

ſit,& temporum impediatur anguſtijs, ne Chriſtianæ doctrinæ rudimenta ſatis accipere poſſit, meritò quæritur, quidnam ſatis eſſe exiſtimandum ſit,vt ſalutari lauacro perfundi poſſit. Auguſtin. quidem etiam in tanta temporis coarctatione,de omnibus ſymboli articulis interrogari vult hominem, & ſic baptizari, quod ſanè in eo catechumeno, qui aliquandiu res noſtras audiuit,non eſt difficile, vt rogatus, & ore, & corde reſpondeat. At ſi rudis ſit omnium,& ad imbuendum mora ſit breuis,quid ſit agendũ adhuc quæritur,ne aut homini ſalutis aditus præcludatur, aut baptiſmus detur indigno. De qua re in ſynodo prouinciali Limenſi decretum eſt, vt quàm poſſit breuiſſimè præcipua tantùm doceatur. Quorum primum eſt, vt credat in vnum Deum Patrem,& Filium, & Spiritum ſanctum: ſecundum,hunc eſſe omnium creatorem, & eundem gloriam bonis æternam præſtantem in cœlis, & malis ſupplicia ſempiterna: tertium, à peccatis neminem liberari niſi per Ieſum Chriſtum Dei filium hominem factum, paſſum, & mortuum propter nos, hunc eſſe Dominum & redemptorem noſtrum,& ſpem vnicam,qui regnat glorioſus in cœlis: quartum, Huius Ieſu Chriſti hominem fieri ſeruum per baptiſmum, in quo omnia peccata remittuntur,& vita donatur æterna. Hęc ſi vt poteſt & credat,& confiteatur,rogandus eſt, an verè præteritæ vitæ criminum pœniteat,præcipuè idololatriæ, & an in poſterum velit rectè viuere ſecundùm Dei,& Chriſtiani populi leges atque præcepta. Si ſe & præterita dolere reſponderit,& futura adimplere cupere ex animo, non eſt differẽdus, ſed Chriſto ex aqua & Spiritu ſan-

De Fid. & oper. c. 9.

Synod. Limen. c. 33.

ĉto regenerandus. Illud autem ſine vlla dubitatione confirmo, in talibus, ſi voluntas ſit bona, & diuinitus præparata, qua verè velint eſſe Chriſtiani, nunquam intellectui lumen deeſſe, quo quantum oportet neceſſaria ſaluti ſuæ percipiant, Deo plerumq; illuſtrante mirificè tenebras mentis humanæ. Nobis cùm in Prouincijs ſuperioribus verſaremur, euenit, vt in Vrum incideremus extremè ægrotantem, corporis tanta deformitate, vt vix hominis ſimulachrum retineret, mentis verò vtpote Vrus tanta hebetudine, vt truncus magis exiſtimaretur. Hic petijt inſtanter, vt fieret Chriſtianus, breui de Fidei præcipuis myſterijs edoctus tanta alacritate cuncta percepit, vt eſſet admirationi. Itaque baptizatus à ſocio, cum magno animi gaudio Chriſtum alloquebatur, Domine ſiquidem me Chriſtianum eſſe voluiſti, transfer in cœlum, atque in his vocibus Deo gratam efflauit animam, cumque eſſet abiectiſſimæ etiam inter ſuos cōditionis, neſcio quo impellente, præcipuo quodam honore tumulatus eſt, & nobis, & ipſis diuinæ bonitatis gratiam celebrantibus. Itaque neque Deus homini deeſt, neq; homo Deo, quamuis breui temporis interuallo, ſi quem Deus efficaciter ad ſalutem vocat.

De præceptis Decalogi, & de idololatria barbarorum.

CAPVT IX.

ALtera doctrinæ Chriſtianæ facultas in moribus formādis verſatur, vt ambulemus iuxta Apoſtolum dignè Deo, qui nos vocauit vocatione ſua ſancta, & de tenebris tranſtulit in admirabile

Coloſſ. 1. *1. Pet. 2.*

mirabile lumen ſuum. Omnis autem vitæ Chriſtianæ ratio ex charitate dependet, qua Deum amamus & proximum, illum colentes, hunc adiuuãtes vt poſſumus. Huc ergo ſpectare debet omnis catechiſtæ noſtri labor, vt Dei vnius verum cultum, hominis quoque in hominem officia opportuna perſuadeat. In primis nihil eſt æquè laborandum, nihil tanti faciendum, quàm vt ex futuro, aut iam facto Chriſtiano omnis idololatriæ amor & ſenſus penitus euellatur. Nã & omnium ea peſtis pernicioſiſſima exiſtit, cùm ſit, vt Sapiens dixit, omnium malorum initium & finis, veræ religioni omnibus modis obſiſtens, & quod eſt in humana conditione miſerabile, nullum virus ita intimis viſceribus hæret, cùm eſt ſemel ebibitũ, nullius turpiter amantis in ſcortum ſuum tam inſanus amor, quàm eſt idololatræ in idolum defixus animus. Quamobrem fornicationis meretricijque cuiuſdam amoris nomine ſcriptura ſacra idololatriã frequenter notat, cuius cæcum quemdam furorem, pertinacemque contentionem multarum rerum commemoratione demonſtrat. Id quàm verè ſit in diuinis literis commendatum, noſtri barbari ſatis in ſe declarant. Neſcio equidem quibus verbis ſignificem non tam imbutos, quàm in idololatriam penitus transformatos iſtorum animos, vt neque in otio, neque in negotio, neque in publica re, neque in priuata quicquam peragant, niſi idolorum ſuorum prius ſuperſtitione adhibita. Non lætari in nuptijs, non lugere funus, non epulum præbere aut accipere, non denique, aut pedem efferre domo, aut operi manum admouere ſine ſacrilegio gentili. Vſque adeò Diabolus

Sap. 14. *Hierem. 2.* *Ezech. 16.* *Oſe. 4.* *Pſal. 105.*

bolus oppreſſos eorũ ſenſus tenet ſeruitutẽ miſerrima. Quanto verò artificio iſta ſua omnia celent, atque diſſimulent, cùm publicè agere haud liberum ſibi eſſe perſpiciunt, quanta rurſus impudentia, cùm licere ſibi putant, inſaniant, mirari potius poſſum, quàm ſatis dicere. Scripſit ſanè Ioannes Damaſcenus idololatriæ tria eſſe genera. Primum Chaldæis attribuit, qui cœleſtes globos, & ſigna, atque elementa colerent: quos diuina ſcriptura cum reprehenſione commemorat. Neque operibus attendentes, inquit, agnouerunt, quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aêrem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Horum errorem præclarè confutat adiungens, Quorum ſi ſpecie delectati Deos putauerunt, ſciant quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis, à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri. Secundum gẽnus idololatriæ refert ad Græcos, quo homines mortui coluntur pro dijs, in quo genere Iuppiter eſt, & Iuno, & Saturnus, & Ceres, & cætera poëtarum ſcena. Huius verò exordia, & infœlices progreſſus graphicè ſcriptura deſcribit. Acerbo luctu, inquit, dolens pater citò ſibi rapti filij fecit imaginem. (Belum tamen patrem à Nino filio inter Deos relatum, à quo ſimulachra primùm orta ſint, graues authores volunt, ex eoque omne penè idolum apud Hebræos Bel dici ſolitum.) Itaque adiungit,

Damaſc. in hiſt. Barlaã & Ioſaphat.

Sap. 13.

Sap. 14.

Hieron in c. 2. Oſeæ.

iungit, Et illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia. Deinde interueniente tempore conualeſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et poſt pauca, multitudo autem hominum abducta per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æſtimauerunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam, aut affectui aut Regibus deſeruientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt. Tertium genus addit Damaſcenus Aegyptiæ idololatriæ, qua non ſolùm ſidera, aut homines habentur pro Dijs, ſed animantia quoque ſordida, & vilia & ſaxa ipſa, & ligna ſenſus expertia diuino honore afficiuntur. Nam & bouem, & caprum, & canem ipſum, atque muſtellam, & truncos, & lapides inter Deos retulerunt, Oſyrim, & Typhonem, & Orum, & mille alia commenta fabulantes. Hoc totum idololatriæ genus grauiſſimè inſectatur Sapiens, Nam vbi mentionem illorum fecit, qui ſolem, & ſidera coluerunt, ſed adhuc, inquit, in his minor eſt querela. Infelices verò ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum aurum, & argentum, artis inuentionem, & ſimilitudinem animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ. Hos verò ita refellit: Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt, & pro ſanitate infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo, qui

Aug lib. 22. contra Fauſtum c. 17.
Nazianz orat. 2. de Theologia.
Sap. 13.
Ibidem.

ambulare non poteſt, & de acquirendo, & de operando, & de omni rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus inutilis eſt. Equidem cùm hæc ipſa lego, & vniuerſum pene terrarum orbem ante oculos pono tam copioſè inſanientem, non ſatis conſtituo, vtrum dolere magis an indignari oporteat, quod qui putantur ſapiētes, ſtulti facti ſunt, mutantes gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, aut quadrupedis, aut ſerpentis, aut cæterorum, quæ Apoſtolus dicit. Neque vulgarem fuiſſe hunc errorem, ſed excellentiſſimos quoſq; non Poëtarum modò & Rhetorum, ſed Philoſophorum eiuſmodi nugas, & facto, & oratione eſſe admiratos. An nō diuinus Plato de Dijs maioribus, & minoribus multa diſſerit, vel delirat potius? Quid ter maximus ille Mercurius, qui tanta de Trinitatis, tanta de incarnati verbi myſterio ſcribit, idem tamen ſimulachrorum potentiam, & maieſtatem prædicat, & quod ridiculè dictum videri poterat, niſi tam ſeriò commendaret, miratur artem Deos faciendi mirabiliter hominibus eſſe collatam? Planè, vt noſter dixit Apoſtolus, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & dicentes ſe eſſe ſapiētes, ſtulti facti ſunt. Redeo ad cauſam Indorum, ſi tot ſuperſtitionum genera à Græcis, & ſapientibus inuenta retentaque ſunt longo tempore, immeritò ſanè & indoctè prorſus quidam barbarorū noſtrorum ritus indignātur, quos oporteret potius miſerari, pro eo quod vani ſunt ſenſus hominis, quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Illud magis cogitandum eſt hæreditarium eſſe impietatis morbum, qui ab ipſis matrum viſceribus ingenitus, ipſo vberum lacte nutritus, paterno & dome-

Rom. 1.

Plato in Timaeo.

Trimegiſtus in Aſclepio. De quo Auguſt. lib. 8 de ciuit. cap. 23.

Rom. 1.

Sap. 13.

domeſtico exemplo confirmatus, tum diuturna conſuetudine & legum publica authoritate munitus, nullo modo niſi copioſo Chriſtianæ gratiæ munere & magna doctoris Euangelici, atque indefeſſa cura ſanari queat. Quid igitur accuſamus barbarorum in idololatria deſerenda tarditatem, & cunctationem, cùm debeamus potius noſtræ deſidiæ iraſci, qui pauca quædam, & friuola, contra Guacarum, & Homorum ſuperſtitionem ſuſurrantes, victoriam ſtatim canimus, re prorſus infecta. Hîc hîc ergo oportet catechiſtam prudentem pedem figere, & ad idololatriæ intimas fibras euellendas ex Indorũ animis omnem cogitationem, induſtriam, operamque conferre. Nam omnia à nobis eius genera commemorata apud barbaros vigent maximè. Solem quidem noſtri Peruenſes in honore primo habent, ſecundum eum Tonitru, illum Punchaum, hunc Illapam vocitantes. Quillam quoq;, id eſt, lunam, Cuillor, id eſt, ſidera; terram quoque Pachamamam, & mare Mamacocham Chaldęorum more venerantur. Porrò Reges ſuos homines præcipui nominis diuinitate donatos colunt, quorum etiam corpora admiranda arte integra, ac viuida adhuc vſque conſeruant, ita primum Mangocapam, & Viracocham, & Ingayupangũ, & Guaynacapam, & cæteros ſuos progenitores religioſiſſimè ſtatis feſtis, & ſacrificijs proſequebantur, cùm eis iſta licerent, vt cum omni Græcia ingenio certare poſſent in conſeruanda maiorum ſuorum memoria. Iam verò quod ad Aegyptiorũ ſuperſtitionem attinet, tã latè patet apud noſtros barbaros, vt prorſus enumerari nequeant ſacrilegiorum genera, atque Guacarum,

ſiue montes, ſiue cliui, ſiue ſaxa prominẽtia, ſiue aquæ commodè ſcaturientes, ſiue fluuij celeriter fluentes, ſiue edita culmina rupium, ſiue arenæ immenſa congeries, ſiue foraminis obſcura vorago, ſiue arboris proceritas, & annoſitas, ſiue metalli index vena, ſiue lapilli cuiuſuis minus vſitata, aut paulò elegantior ſpecies, quicquid deniq; vt ſemel omnia dicamus, cæteris ſui generis inſigniter præſtare deprehendunt, illic protinus numẽ agnoſcunt, & ſine vlla cunctatione barbari adorant. Hac idololatriæ infeſtiſſima lue pleni ſunt mõtes, plenæ valles, oppida, domus, itinera, nullaq; eſt Peruenſis agri portio, quæ ſit ab eo ſacrilegio libera. Quot autem victimarũ, quot libaminum, quanto cæremoniarum ordine iſtorum omnium cultum perſequerentur Ingarum proceres, infinitum eſt dicere, legat qui volet accuratam ea de re hiſtoriam à Polo viro prudenti & graui conſcriptã. Inueniet intra vnius Cuzquenſis vrbis terminos plus 360. Guacas numeratas, quibus omnibus diuinus honor haberetur, quibuſdam quidem fruges, quibuſdam etiam pretioſa vellera & argentum aurumq; offerebatur, nonnullis non ſine multo innocentium infantium cruore litabatur. Ac re ipſa, certoq; vſu obſeruatum eſt eas Indorum nationes plures ac grauiores ſuperſtitionis diabolicæ ſpecies tenuiſſe, in quibus Regum ac Reip. maximè potentia & peritia excelluit. Contra qui tenuiorem fortunam, minuſq; Reip. accommodatam ſortiti ſunt, in his multo idololatria parcior eſt, vſq; adeò vt nonnullas Indorum gentes omni idolorum religione vacare quidam pro certo confirment, eaſque à ſeſe eſſe inuẽtas atq; exploratas, teſtentur,

Contra

Contra idololatriam remedia.

CAP. X.

HVius verò curandi morbi illa pleriſque noſtrorum expedita ratio viſa eſt, vt ſimulacra,& Guacæ, cæteraque ſuperſtitionis Indicæ monumenta inuenta quidem extorquerentur inuitis, atque ferro & igne abolerentur, vt inuenirentur verò, ſi fateri verbis Indi recuſarent, verberibus certè, vt proderent, eſſe agendum. Neq; hoc militaris modo turbæ inſtitutum, ſed doctiſſimi, atque optimi cuiuſque ſacerdotis religioſum conſilium fuit. Quod planè, ſi in noſtros, id eſt, iam baptiſmo donatos tantùm deſignatum eſſet, poterat certè ferri, tametſi ita ea in re peccetur quotidie, vt qui religionem Chriſtianam commendatam & confirmatam volunt, nihil aliud maximè agant, quàm vt eam odioſam reddant, propterea quòd quæ de manibus Indorum idola eripiuntur inuitis, ea in animis illorum amplius infiguntur, verùm id in Chriſtianis non eſt alienum à ratione vt fiat. In ijs verò qui Fidem Ieſu Chriſti, neq; profeſſi ſunt, neq; ſatis perceperunt, neq; verò edocti ſunt, conari per vim ante idololatriam auferre, quã ſponte Euangelium ſuſcipiant, mihi certè cum grauiſſimis ac prudentiſſimis viris nihil aliud videtur, quàm aditum Fidei Chriſtianæ præcludere, quem maximè aperire cõtendunt. Sæpe enim eſt dictum,& eſt etiam ſæpè dicendum Fidem eſſe volentium, neq; quemquam Chriſtianum fieri debere per vim. Quamobrem præclarè Auguſt. eiuſmodi factũ reprehendit,& grauiſſimè docet prius eſſe idola de cordibus paganorũ auferẽda, quàm

Aug. ſerm 6. de verbis Domini. tomo 10.

quàm de altaribus, quod etiam in hoc Peruenſi Regno vir quidam grauis, & prudens multum, ac ſæpè accuſabat, cùm facillimè fieri poſſe affirmaret, vt idololatria omnis funditus euerteretur, ſi ſapienter, & placidè Indorum Proceres, deorum ſuorum vanitatem edocerentur, atque eos vt contemnerent, atque abolendos curarent cum ratione & authoritate, tum modeſtia & beneuolentia, atq; omni officio adducerentur. Hoſce nullo negotio reliquo vulgo quicquid ſentiant perſuadere, quicquid velint, efficere. Nam quod mirari quiſpiam iure poſſit, tanta regum in ſubditos populos authoritas extitit, vt eos tantùm Deos vrbes, prouinciæque ſuſciperent, quos rex Inga tribuiſſet, neque liceret cuiquam aliud numen colere, quàm quod ille ſtatuiſſet. Itaque deos ipſi, & Guacas toto hoc orbe diſtribuerunt, & in hac quidem prouincia Illapæ numini, in illa Puncho, in alia Guanacauro alijs atque alijs modis litari imperatum, vſque adeò imperita plebs de maiorum ſuorum authoritate pendebat. Adhibebat Polus huius ſuæ ſententiæ illuſtre ſanè documentum, quòd poſtquam ipſe primoribus Ingarum Cuzqui de idolis tollendis legem perſuaſiſſet, horum ipſorum opera breui pluſquam trecenta idola ex vicinis oppidis nemine cogente ad ſeſe eſſent delata. Quo inſtituto, ſi cætera proceſſiſſent, hodie in hoc regno vix idololatriæ veſtigium ſupereſſet, quam conſtat paſſim perinde atque ante annos centum vigere. Hoc igitur idololatriæ tollendæ primum præceptum ſit, vt prius de animis auferatur præcipuè regum, Præfectorum, Curacarum, quorum authoritati cæteri facillimè, & libentiſſimè cedunt.

Vt au-

Vt autem id noſter Catechiſta perficiat, & ſimulacrorum non ſolùm contemnendam vanitatem, ſed etiam execrandam peſtem perſuadeat, non erit illi opus apud hoſce barbaros exquiſitis admodum philoſophicíſque rationibus, neque Clementis Alexandrini ſtromata, neque Theodoriti Cyrenſis morborum Græcanicorum curationes plurimi faciet. Sed breues, faciles, & ante oculos omnium poſitas obiectiones proferet, eaſque repetendo, exaggerando, auditorum ipſorum experientiam interrogando, in animis Indorum inſculpet. Argumenta huic rei idonea nuſquam melius & plenius quàm in diuinis litteris, in ſapientia præſertim Salomonis toto capite decimo tertio, & decimo quarto, & in Iſaia propheta capit. 44. & 46. & in Hieremia cap. decimo. Pulcherrimè autem, & ad vulgarem ſenſum accommodatiſſimè in Propheta Baruch idolorum vanitas confutatur. Notum, inquit, ſit vobis, quia non ſunt dij, ne ergo veneremini eos, ſicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt dij eorum. Conſtitutis illis in domo, oculi eorum pleni ſunt puluere à pedibus introeuntium. Lucernas autem accendunt illis, ex quibus nullam videre poſſunt, ſunt autem ſicut trabes in domo, nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. Supra corpus eorum, & ſuper caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aues etiam ſimiliter & cattæ. Vnde ſciatis quia non ſunt dij. Si ceciderint in terram à ſemetipſis non conſurgunt, ſicut mortuis munera illorum apponuntur illis. Hoſtias eorum vendunt ſacerdotes & abutuntur. Vnde ergo vocantur dij. In domibus eorũ ſacerdotes ſedent. Neq; ſi quid

Baruch. cap. 6.

ſi quid mali patiuntur ab aliquo, neq; ſi quid boni poterunt retribuere. Neq; regem conſtituere poſſunt, neq; auferre, ſimiliter neq; dare diuitias poſſunt, neq; retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit, neq; hoc requirent. Hominem à morte non liberant, neq; infirmum à potentiori eripiunt. Lapidibus de monte ſimiles ſunt. Quomodo ergo æſtimandũ eſt eos eſſe deos. A fabris & aurificibus facta ſunt, nihil aliud erũt niſi id, quod volunt eſſe ſacerdotes. Nunquid ergo poſſunt ea, quæ ab ipſis fabricata ſunt, eſſe dij? Quomodo ergo ſentiri debeat quod ſunt dij, qui nec de bello ſe eripiunt, neq; de malis ſe liberãt? Si inciderit ignis in domum deorum, ſacerdotes quidem ipſorum fugient, & liberabuntur, ipſi verò ſicut trabes in medio comburentur. Quomodo ergo æſtimandum, aut recipiendum quòd ſunt dij? Non à furibus ſe liberabunt, quibus iniqui fortiores ſunt, & reliqua. Tria ergo hinc argumenta ad idololatriam confutandam capere poteſt miniſter Chriſti. Primũ ex natura & ſubſtantia Deorum. Siquidem ligna, aut lapides, aut metalla ſunt, quibus artis humanæ acceſſit induſtria ſacerdotum auara prędicatione munita, aut regum violento imperio. Deos autem facere homines nequeunt, cùm ſint ipſis meliores rebus à ſe fabricatis. Si idololatria circa cœleſtia, aut naturalia corpora verſetur, ſubſtantia illorum facta, & motibus varijs ſubiecta oſtendi facilè poteſt, quod à Dei natura alienum eſt. Quod ſi reges priſcos adorant homines barbari, eorum corpora nihil ſentire, & tabe iam conſumpta doceri poſſunt, neq; à cæteris quicquam differre. Alterũ argumentum eſt ex impotentia & ignorantia.

Simu-

Simulachra quippe ſe ipſa defendere nequeũt ab ignis,aut latronis,aut ruinæ iniuria, neque verò aut vident, aut ſentiunt,aut mouere ſe omninò poſſunt. Naturalia autem corpora nullo ſuo arbitratu mouentur, ſed leges ſibi ab authore præfixas ſemper tenent. Tertium eſt ab humanarum rerum prouidentia,quod præcipuum eſt. Vbi ipſa barbarorum experientia compungenda, & in medium producenda eſt. Vtrumne in morbo,aut bello, aut fame deorum ſuorum vtilitatem aliquam ſenſerint? Vtrum religioſè illos colentes, an pro nihilo facientes melius habuerint? Quot & quanta mala perpeſſi,neq; tamen à dijs adiuti, releuatique ſint. Ad hæc autem omnia plenius confirmanda, quoniam ſæpè aliqua ſigna ſenſus aut vocis in ſimulachris apparent, interdum etiam minæ, & præcepta exaudita, docendi ſunt barbari,cùm res ita tulerit,diaboli ea omnia eſſe commenta,tum verò quis diabolus ſit, qui illius ſatellites dæmones, quid agant, quæ illorum in homines inimicitiæ, & fraudes, & nequitia, vt timorem in horum potius odium conuertant. Hoc enim commune apud omnes pene barbaros eſt, vt Deum quidem omnium rerum ſupremum,ac ſummè bonum fateantur, ſpiritum verò quorundam peruerſorum non obſcura opinio ſit, qui à noſtris barbaris Zupay vocari ſolent. Igitur & quis ille ſummus idemque ſempiternus rerum omnium opifex, quem ipſi etiam ignorantes colunt, & quem nos annuntiamus, per omnia doceri debent, mox quantum ab illo illiuſque fidelibus miniſtris Angelis abſint gens peſſima cacodæmonum, hominum generi infeſtiſſima, accuratè & dilucidè

cidè oportet exponere, vt idola omnia ſua Indi vel contemnant, vt vana & inutilia, vel etiam execrentur,& oderint,quę dæmonum aſtu etiam perniciosa didicerint. Neque ſatis eſſe debet ſtudioſo catechiſtæ, vt communiter idolorum vanitatem refellat, addat etiam oportet peculiarẽ deorum Guacarum,& ſuperſtitionum ſuæ plebi familiarium confutationem, in quibus inueſtigandis & perdiſcendis vtiliſſimum quin potius ſummoperè neceſſarium ſtudium exiſtit. Quare pleriq; grauiter peccant incuria & ſocordia, cũ morbos,quos non didicerint, rectè curare non poſſint. Neque verò idolorum tantùm formas varias, ſed infinitas etiam ſuperſtitionum ſpecies inde manantes perſequi debeat. Exempli cauſa,cùm Indus ſolem Orientem aſpicit, & ſalutat,cùm tranandum fluuium verbis conceptis conciliat, cùm garritus aut gemitus auium nocturnarum, aut cæterorum animantium obſeruat,cùm ſortes de rebus agendis init,cùm ſementis aut frugum liba quædam offert telluri, cùm ſuſceptos liberos ſideri conſecrat, cùm nuptias certis cantibus dedicat, cùm compotationibus cantillando identidem ſtudet, cùm mortuos lugubri carmine effert, & ſepulchrum commeatu inſtruit,cùm ægrotus vates ſuos accerſit & conſulit,cùm deniq; cætera facit ſuperſtitionis antiquæ,cuius tam eſt omnis iſtorum vita plena,vt nulla ab ea peſte actio libera ſit. Sed vt nuſquam grauius Indi laborant, ita neque facilius curari poſſunt,ſi non deſit induſtria, & ſtudium ſalutis ipſorum. Eiuſmodi enim omnes nugæ ſimul atq; detectæ ſunt,per ſeſe facili negotio euaneſcunt, ac veluti deprehenſæ erubeſcunt, ſi modò bar-

barorum præfectorum, maiorumq; ſuorum authoritas compeſcatur. In confeſſionibus verò audiendis omni cura incumbendum eſt, vt hæc omnia minutè ac ſigillatim, vbi opus eſt, ſacerdos interroget pœnitentem, & confeſſum doceat atque deterreat. Ferè quia negliguntur, occidunt: eadem adhibitæ curationi non difficilè cedunt.

De euertendis idolorum ſignis & templis.

CAP. XI.

QVamuis autem prima eſſe cura debeat ſacerdotis, vt idola de auditorum cordibus auferantur, idque docendo & exhortando maximè fiat, tamen vt de oculis quoque atque vſu remoueantur, nullo modo negligendum eſt. Qua in re *Deut. 7. &*
diuinæ hiſtoriæ illuſtria & documenta, & facta *12.*
proponunt. Aras, inquit, eorum deſtruite lucoſ- *3 Reg. 15.*
que ſuccidite. In quo genere mirificè Aſa & Io- *4. Reg 23.*
ſiam celebrat ſacra hiſtoria, quin etiam ab Eze *2. Par 14. &*
chia rege Moyſis ſerpentem illum æneum con- *34.*
fractum cum non parua laude commemorat. Il- *4 Reg. 18.*
lud ergo, & ſacerdotes, & principes ſtudioſè curare debent, vt idololatriæ omnis etiam ſuſpicio aboleatur. Quod duobus modis rectè & ordine fit, & ſecundum Chriſtianæ legis diſciplinam. Primùm in ipſis iam Chriſtianis, qui baptiſmo perfuſi ſunt, in quibus gentilitiæ ſuperſtitionis monumentum aliquod ferri minimè debet, ſed idololatriæ ſpecies omnis tum acriter inſectanda ſi deprehendatur admiſſa, tum præcauenda diligenter omnibus illius ſignis ſublatis. Hoc Au- *Serm. 6. de*
guſtinus, & à ſe factum commemorat, & fieri de- *verb Domi-*
bere demonſtrat. Hoc cuiuſdam Concilij Canon *ni Aug.*

Concil. Nannetenſe ca. 20. diſertè præcipit illis verbis, ſummo decertare debent ſtudio Epiſcopi & eorum miniſtri, vt arbores dæmonibus conſecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione habet, vt nec ramum, nec ſurculum inde audeat amputare, radicitus excindantur atq; comburantur. Lapides quoque, quos in ruinoſis locis atq; ſylueſtribus dæmonum ludificationibus decepti venerantur, vbi & vota vouent, & deferunt, funditus effodiantur, atq; in tali loco proijciantur, vbi nunquam à cultoribus ſuis venerari poſſint. Et omnibus adnuntietur, quantùm ſcelus ſit idololatria, & qui hæc veneratur, & colit, quaſi Deum ſuũ negat, & Chriſtianitati abrenuntiat, & talem pœnitentiam debet ſuſcipere, quaſi idola adoraſſet, omnibuſq; interdicatur, vt nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro ſalute ſua rogaturus alibi deferat, niſi ad Eccleſiam Domino Deo ſuo, & cætera. Quem canonem libẽter recitaui, quòd videam in eius generis ritibus, & multum Indos iam baptizatos labi, & parum à ſacerdotibus animaduerti. Non ſolùm ergo ſimulachra ipſa, & inſignes idololatriæ notæ, verùm etiam veſtigia quæuis ſuperſtitionis veteris eradenda ſunt. Atque eam ad rem imperio, & authoritate, ſi opus ſit, vtendum erit. Et hæc ad Chriſtianos Eccleſiæ filios. Ad infideles verò quid? Prorſus diſtinguẽda cauſa eſt. Si enim ita ſuos ritus, & cæremonias agunt, vt fidelibus ſcandalo non ſint, ſed vnuſquiſq; lege ſua viuere facilè ſinatur, permittendi ſunt cæcitati ſuæ vſque dum ab altiſſimo illuminentur. Huc enim pertinet illud. Eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Quod ſi Eccleſiæ principibus ſubſunt, & Chriſtianis hominibus ſcandalo

1. Cor. 5.

dalo ſunt, profectò tolerandi non ſunt. Quo in genere B. Auguſtinus laudat Conſtantini magni leges, quibus Paganorum templa clauſit, & idola detraxit, itemque Ambroſius aduerſus Symmachum vrbis præfectum, Fortunæ aram à Curia Romana eiectam magnis viribus eloquentiæ defendit. Concilium quoque Eliberinum, vt domini ſeruorum idola comminuant, edicit. Atque hoc modo in ſubditis infidelibus, cùm præſertim nouis fidelibus nocent paganici ritus, atque idololatria per poteſtatem auferri & poteſt, & debet, niſi maiora inde incommoda, & tumultus conſequi ſapiens adminiſtrator iudicarit. Sed illud ſummoperè curandum eſt, vt pro noxijs ritibus ſalutares introducantur, & cæremonijs cæremoniæ obliterentur. Itaque & aquæ benedictæ vſum, & imaginum, & roſariorum, & granorum, & cereorum, & palmarum, & cæterorum, quæ Eccleſia ſancta probat ac frequentat, neophytis perquàm opportunum eſſe ſibi perſuadeant ſacerdotes, atque ea omnia in concionibus popularibus multis laudibus proſequantur, vt pro veteri ſuperſtitione nouis religioſiſq; ſignis imbutos aſſuefaciant. Ita fiet, vt melioribus atque elegantioribus occupati obſoletam ſectæ ſuæ ſuperſtitionem de manibus ac de mente deponant.

Aug. epiſt. 48. ad Vincent.

Amb. lib. 5. epiſt. 31. ad Valentinianum Auguſt.

Conc. Elib. c. 41.

De recta dilectione ſui.

CAP. XII.

POſt Dei veri cultũ traditum, ſupereſt, vt proximi dilectio explicetur. Eſt verò vnicuique proximus diligẽdus, ſicut ipſe ſibi. Se autem ipſum nemo, vt oportet, diligit, qui animi corpo-

riſque ſalutem atque conſtantiam abijcit. Id ergo magnoperè Indi præſertim barbari docendi ſunt, vt primùm vitam valetudinemq; ſuã tueantur, neq, vel deſperatione, vel obſtinatione prodigant, quod ſæpè faciunt. Etſi enim naturale eſt, non homini ſolùm, ſed cuiuis animanti vitam amare, ſui perniciem, quoad poteſt, auertere, tamen irrationali quodam impetu & lege apud pleroſq; barbaros necis ſibi afferendæ conſilium iamdiu obtinuit, vt vel impendentia mala deuitarent, vel fortiter rem geſſiſſe viderentur, vel dijs ſuis aut regibus alioqui gratificarentur. Quanquam in hoc Peruenſi regno præ alijs minus id vſitatum fuit, quod legibus, & moribus eſſet excultius. Neque miranda eſt ea barbaries in cæteris cùm Grææ, Romanæque hiſtoriæ Themiſtocles illos, & Mitridates, tum Mutios, & Catones, & Brutos, alioſque innumeros, vt viros fortes non parum ambitiosè celebrent, atque ipſi etiam, qui Chriſtiani haberi volebant, Circumcelliones in Africa creberrimè ita interierint. Etenim vel laudis amor quidam inſanus, vel cæcum vitandi mali conſilium complures ingenio etiam atque doctrina præſtantes viros vſque ad ſæuam ſui necem ſæpe compulit. Quod cùm exemplis maiorum apud barbaros pro magno ducitur, naturali ſenſu propemodum extincto etiam iucundum mortis genus habetur. Pertinet etiam ad rectam ſui dilectionem, vt mentis vſus per temulentiam ne intercipiatur, atque ex homine pecus fiat, vel potius maximè noxia, & ferox bellua. Sed de ebrietate vitanda, quod eſt præ cæteris vitium maximè familiare barbaris, ſatis in tertio libro dictum eſt. Huc etiam

iam pertinet, humanarum carnium eſus, in quo non tam defuncto homini, qui nihil aut ſenſus aut doloris capit, quàm ipſi humanæ naturæ iniuria fit. Id enim naturali legi ita repugnat, vt nulla, quantum ego ſentio, famis inopiæue cauſa licere poſſit. Aſſentior enim doctiſſimo Theologo ita ſentienti, quanquam alij aliter ſapiant. Genus autem hoc vitij apud Indos Carybes dictos, quales ſunt Braſilienſes, & Chunchi, & Chiriguanenſes, & alij plerique in vſu & pretio habitum ſacroſanctæ literæ grauiter auerſantur, quæ veteres illos idolorum adoratores inter cætera multum accuſant, tanquam humanorum viſcerum comeſſores. Philoſophia quoque ferinum id eſſe docet apud Ariſtotelem, qui eiuſmodi facinus inter extrema opprobria actionum humanarum numerandum putat. Quare vt ſeminis humani fundendi honeſta cauſa eſſe non poteſt leuatio corporis, niſi alioqui matrimonio legitimo, etiam ſi ex eiuſmodi humore coacto interitus conſequatur, ita profectò neque ex humano cadauere epulas quantacunque famis depellendæ neceſſitas iuſtas eſſe permittet. Ad communis quoque naturæ dilectionem ſpectat, vt defunctorum corpora non violentur, atque adeò ne ſepulchra quidem effodiantur, in quod auaritiæ, & inhumanitatis genus leges imperatoriæ, & Pontificiæ acerbè animaduertunt, & in hoc regno Concilio Limenſi ſeuerè admodum noſtrorum hominum licentia coercetur. Verùm in quo rectam ſui dilectionem barbari offendunt maximè, minimeque id putant, illud eſt, quod ab Apoſtolo Paulo vno verbo luculenter eſt dictum, quòd contumelijs afficiunt corpora

Victoria relect. de temperantia n. 5 & 6 ſed Caiet. & Abulen aliter ſentiunt.
Sap. 12.
Ariſtot. 7. Ethic. c. 5.
Conc. Tol. 4. c. 45.
Con Melden. c. 72.
Conc. Lim. cap. 113.
Rom. 1.

pora ſua. Ita enim omnes impudicitiæ & libidinis præpoſteræ ſordes expoſuit. Atque eſt illud quoque ab eodem veriſſimè oſtenſum idololatriæ ſcelus omnia flagitia ſtatim conſequi, tan-
Sap. 14. quam riuulos primum fontem, quod eſt à Sapiente ſapienter etiam animaduerſum. In hoc genere ſunt concubitus cum maribus, cum beſtijs, cum ipſis lignis, inceſtuoſi amplexus cum ſororibus, cum matribus, cum filijs apud quoſdam barbaros non conceſſi ſolùm, ſed interdum lege ſanciti. Noſtros Ingas non niſi ſororem legitimo ſibi coniugio copulare ſolitos conſtat, ex quibus duo ad fidem conuerſi & baptizati in antiquo matrimonio permanere à præſule quodam permiſſi feruntur, factumq; Paulum quartum Pont. max. grauiſſimè tuliſſe, verbiſque ſeueriſſimis obiurgaſſe fama eſt. Verè à Sapiente ſcriptum eſt, Ini-
Sap. 14. tium fornicationis eſt exquiſitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt. Et poſt nonnulla: Neq; vitam, neq; nuptias mundas iam cuſtodiunt, ſed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat: & omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtũ & fictio, corruptio & infidelitas, & cætera, inter quæ natiuitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitia. Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. Hæc Sapiens. Quæ omnia carnis flagitia à catechiſta aſſiduè & grauiter inſectanda ſunt, & ſeuerius cùm violatoribus legis naturalis agendum. Interea verò fornicationem, quã ferè gentes licere putant, multis modis legi Dei & naturæ ipſi contrariam docere debent, atq; vt perſuadeant, non ſolùm ſacræ authoritates proferendæ,

ferendæ, verùm etiam humana argumenta, quæ poterunt: illudque præcipuè ab opinione iſtorum remouendum, vt fœminas non ante matrimonio ſibi iungendas arbitrentur, quàm in ſolutis periculum fecerint, qua ex cauſa concubinas prius penes ſe retinent, quàm eaſdem ducant vxores. Quin etiam adeò virginitas vilis eſt fœminis, vt opprobrio propemodum detur, ſi qua ad nuptias nondum corrupta perueniat, tanquam ſui amatorem antea inuenire nequiuerit. Hęc atque id genus alia barbaricæ ſtultitię monſtra diligenter ab hominum ſenſu, & vitæ vſu quoad liceat releganda ſunt, & docendi omnino barbari, vt ſe ipſos, ſenſum, corpuſque ſuum diligere & conſeruare congruenter naturæ diſcant.

De dilectione proximi.

CAP. XIII.

PRoximum eſt, vt qui ſe rectè diligit, fratrem quoq; vt ſe ipſum diligat. Quod ſanè fit duobus modis. Vno, vt ne cui omnino noceat, ſiue vitam corpuſq; lædendo, ſiue vxorem violando, ſiue fortunas contrectando, ſiue exiſtimationem opinionemque imminuendo, quibus proximus aut re aut verbo læditur. Et vt ſit perfecta iuſtitia, à quibus perpetrandis abſtinet, ab iiſdem etiam per libidinem affectandis ſeſe cohibeat. Horum quippe omnium lex naturaliter hominum inſerta atq; impreſſa animis eſt, Vt quod tibi ab alio fieri nolis, id in alterum ipſe ne facias. Altero quoque modo diligimus proximum, cùm non modò non lædimus, verùm etiam opportunè adiuuamus atque adſumus. Atque hìc planè omnia *Matth. 7.* *Tob. 4.*

Chriſtianæ charitatis officia verſantur: & quædam quidem ſalua charitate prætermitti nō poſſunt, vt ſi debitus honor parentibus, ſi extremè aut grauiter indigenti res familiaris, ſi periclitanti neceſſaria vitæ ſubſidia ſubtrahantur. Quędam verò etſi non omnino charitatem vitiant, grauiter tamen debilitant, vt ſi non doceas, quos commodè potes, ſi hoſpitio non excipias, ſi non paſcas, cùm ipſe abundes, & reliqua id genus. Quæ cùm dicta vniuersè ſint, & omnium mortalium gentibus communia habeantur, tamen illud eſt proprium Indorum moribus, quantum ego notare potui, accommodandum, vt mutuis inter ſe officijs honeſtè certent, idque & humanitatis & Chriſtianæ diſciplinæ maximum ac propemodum ſingulare decus ſibi perſuadeant. Etenim cùm pleriſque in rebus Europæos homines naturales Indorum mores longè antecellant, quod is facilè concedet, qui horum modeſtiam, lenitatem, auaritiæ faſtuique contemptum; laborum tolerantiam contemplatur, tamen hac vna valde horum ingenio offendor, quod parum omnino benignitatem atque humanitatem inter ſeſe obſeruent. Nam in noſtros homines ſiue ſeruitute quadam oppreſſi, ſiue admiratione commoti, ſiue ne in ſe ſæuientes experiantur, timore correpti, liberales certè ſunt, & pro ſua tenuitate copioſi. At inter ipſos vix eſt, qui ſtipem vilem, aut pugillum frumenti vltro alteri præbeat. In ægrotos parum miſericordes, in ſenes & egentes illiberales, in labore, & ærumna oppreſſos inhumani. Vix filij parentibus deferunt honorem. Senectus ipſa vt alijs eſt venerabilis pro rerum vſu, & conſilij authoritate, ita

his bar-

his barbaris vulgo faſtidio, & opprobrio habetur. Itaque plerique ſenes atque anus, quoniam ſuſtentandæ vitæ rationem inueniunt nullam, viribus deſtituti, & ab alijs contempti, eam potiſſimum ineunt, vt ſortibus, augurijs, diuinationibus, veneficijs ſtipem colligant, & ſuam apud cæteros opinionem tueantur. Obſeruatum eſt à viris valdè prudentibus nullos eſſe in natione Indorum iſtarum ſuperſtitionum artifices, & architectos, niſi homines abiectos, inopes, decrepitos, qui omnibus alijs rebus excluſi ad eas ſe artes vulgò conuertunt. Obſeruatum etiam parentes filijs in nullo eſſe pretio ſi indigeant, ægrotis nihil ferè opis adferri: defunctis multa prodigi, quæ ſi viuis concederentur, diutius eſſent in vita retinendi. In noſtris verò nihil perinde barbari ſuſpiciunt, & admirantur, nihil æquè apud ſe commemorant, & laudibus tollunt, atque mutuam beneficentiam, & liberalitatem, cùm præſertim eam ad ſeſe redundare perſpexerint. Verum eſt enim Saluatoris elogium: In hoc cognoſcent homines, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem. *Ioan.* 14. Hanc ergo Chriſtianæ charitatis partem, quæ in beneficentia ſita eſt, excolendam atque illuſtrandam, & verbis, & factis ſibi præcipuè reputare debet miniſter Chriſti. Et certè diſcunt barbari humanitatem, diſcunt mores ſuauiores, diſcunt effuſam etiam in ſuos liberalitatem, ſi diligenter & crebrò ea de re commonefiant, & exhortationibus ſacerdotum paria exempla non deſint.

De Catechiſmo vulgo Indorũ neceſſario.

Cap. XIIII.

MVlta quidem ſunt in Chriſtianę doctrinæ explicatione fuſius & vberius Indis repetenda. Verùm ea à me commemorata ſunt, quæ peculiarem videntur habere difficultatem. Nos verò ex vaſtiſſimi orbis innumeris gentibus, quantum eſt hoc, quod experti ſumus? Itaq; alij alia notare, & commendare potius curabunt, quæ nouis Euangelij ſtirpibus magis opportuna animaduerterint. Ego quod Peruëſibus maximè conferre exiſtimo, vt potui, expoſui hactenus, & deinceps exponam. Hæc autem omnia vt commodius, & catechiſtæ doceant, & Indi percipiant, opus in primis eſt duplici quodam catechiſmo: vno compendiario & breui, quem memoritèr etiam ſi fieri poteſt, addiſcant, vbi ſumma ſit eorum omnium, quæ ad fidem, & mores homini Chriſtiano neceſſaria ſunt, altero vberiore, vbi eadem amplius dilucidiuſq; dicantur, & copioſius confirmentur. Vt ille prior diſcipulis potius, hic poſterior ipſis præceptoribus vſui ſit. Opus eſt etiam breui, & abſoluto aliquo confeſſionali, vt ſacerdotes rudiores conſcientias Indorum examinare, & purgare ſciant, vbi ea maximè peccatorum genera explicentur, quæ iſtis familiaria ſunt. Atque ad eundem modum quæ in matrimonijs Indorum, cæteriſque ſacramentis conferendis interrogare opus ſit. Hoc vtrumque opus ſi quis vtraque lingua, & Indica, & Hiſpanica ſimul ſcriberet, ac Theologorum illuſtrium atque egregiè linguæ Indicæ peritorum autoritate munitum diuulgandum curaret, ſaluti pre-

ci profectò vniuerſæ Reip. Indicæ immortale beneficium conferret.

In inſtructione Indorum diu eſſe perſeuerandum.

CAPVT XV.

IAM verò de reſidentia Parochorum, deque miſſionum auxilio, vt hanc de catechizandis Indis partem abſoluamus, dicendum deinceps eſt. Neque magnopere modò incumbendum eſt, vt paſtoris præſentiam omni quidē gregi in primis neceſſariam, etiam Indorum populis deeſſe nullo modo debere monſtremus. Nam vt paſtor attendat vultum pecoris ſui, ſuoſque greges con- *Prou.27.* ſideret, vt requirat abiectum, & infirmum con- *Ezech.34.* fractumq; alliget, & forte cuſtodiat, vt proprias *Ioan.10.* oues nominatim vocet, & vadat ante eas, & lupos arceat, & ſeipſum, ſi opus ſit, pro ouibus Chriſti exemplo offerat diſcrimini, cæteraq; ſimilia, quorum nos diuinæ literæ admonent, hîc præcipuè deſiderari res per ſe ipſa quouis etiam tacente loquitur. Quæ verò ex abſentia paſtorū damna fiant, non minus experimur nos, quā ſacri Canones prædicant, atq; ille præſertim Concilij Pariſienſis, inter cætera, inquit, quæ religio- *Cōc.Pariſ.* ni Chriſtianæ aduerſa ſunt, hoc nihilominus cō- *lib.1.c.29.* trarium, & periculoſum extat, quod quorundā prælatorum temerario auſu Eccleſiæ ſuis ad tempus viduantur ſacerdotibus: & poſt pauca, Non attendentes quod eorum abſentia, & loca Deo dicata ſibi cultu debito priuentur, & homines ſine cōfeſſione, & infantes ſine baptiſmatis regeneratione plerumque moriantur. Quamobrem in Parochos ſedes ſubinde commutantes, & præ-

ſules eos aliò euocantes his ſtatim verbis decernunt. Quanti autem ſit diſcriminis & perſonæ mittentis, & eius, qui mittitur, animarum pericula, quæ ſubinde in huius rei cauſa fiant, liquidò produnt. Proinde omnibus prælatis cauendũ eſt, ne illicita ſibi Presbyterorum tranſmiſſione animarum ſuarum habeant damnationem. Presbyteri porrò qui non ſui Prælati imperio coacti, ſed potius voluptatum ſuarum delectatione, imò auaritię æſtuatione ſuccenſi id facere præſumũt, perpendant neceſſe eſt quàm luctuoſam, & quæ ſequuntur. Quæ ad verbum repetenda duxi, vt tã perniciosa licentia commutandi ſubinde Parochias Indorum, & de ijs veluti negotiandi, & licitandi aliqua ex parte reprimatur. Sed miſſa vt faciam hæc de reſidentia Parochorum communia documenta: ſunt valde peculiares, & propriæ cauſæ quæ prorſus perſuadent, nihil de ſalute neophytorum ſperandum eſſe, niſi firma, ac diuturna fuerit doctoris in catechizando diligentia. Vt enim tenera arbuſta niſi aſſiduè inuiſantur, curentur, foueanturq́;, facillimè vitiantur, difficilè iam vitiata emendantur: ita teneræ neophytorum mentes, cùm infirmas adhuc in Chriſti Fide radices egerint, vel errore corrumpuntur, vel flectuntur libidine, omneſque Diaboli atque hominum peruerſorum impreſſiones excipiunt. Ita enim natura comparatum eſt in omni noua diſciplina vſque dum conſuetudine confirmata ſit, vt parua negligentia induſtria omnis, & labor citò euaneſcat. Huc accedit harum gentium minus perſpicax ingenium, quod neq; multa de rebus diuinis breui percipere, neque percepta ſatis retinere poteſt. Nam mihi

quidem

quidem Indi ſæpè videri ſolent ijs perſimiles, qui vel ætate, vel morbo ſtomachum habent debilitatum, ægrè coquentem cibos ingeſtos: quorum ſi aut craſſitudine, aut copia obruantur, illicò aceſcit, & vitio cruditatis vires potius frangit, quàm confirmat. Opus ergo eſt, quod medicorum ars habet infirmo ſtomacho parum, & ſæpe alimentum inſtillare. Ita enim & vincit, & ad edendum excitatur. Haud ergo promittat ſibi quiſquam exigui cuiuſdam temporis labore magnos ex Indorum populis fructus, neque exiſtimemus bis aut ter de tota Fidei cauſa edoctos nō amplius indigere doctore. Quin potius & aſſiduè differendum eſt & modicè, vt quæ audierint, percipiant atq; conſeruent. Sic enim Chriſtus ipſos ſuos diſcipulos inſtruebat, præceptores orbis terrarum, multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò. Præter has autē communes ferè infirmitatis humanæ rationes, eſt illa maxima, & certiſſima natiuæ cuiuſdam iſtorum leuitatis, qui cùm primùm ſibi relinquuntur, mirè lubrici omnia accepta deponunt, & aut veteres ſequuntur errores, aut in obuium quodque, prout ſors tulerit, feruntur, ſicut paruuli fluctuantes, & circunferuntur omni vento doctrinæ. Quamobrem, ne in his fruſtra laborémus, & ne excidant in ſimplicitate Fidei corruptis ſerpentis aſtu ſenſibus, neue ab ijs, qui contradicunt veritati, conſentiunt verò iniquitati tranſuerſi agantur, infinitis modis neceſſarium eſt, vt in ijs docendis, arguendis, exhortandis, confirmandis, tuendis, & gremio denique ipſo geſtandis, nutricis diligentia ne momento quidem abſit, hoc eſt ſpirituales magiſtri, & patres apud

Ioan.16.

Epheſ.4.

2.Cor.11.

2.Theſſ.2.

apud eos immobiles perſeuerent: Ita fiet vt ex paruis initijs incrementa magna ſuccedant, ac non contra, quod ſæpe & videmus, & gemimus, lætiſſimæ ſpes & fœlicia primordia inepta quadam ſocordia corrumpantur.

An expediat Parochias Indorum regularibus committi.

CAPVT XVI.

PArochias verò Indorum vtrum tenere regulares deceat, & vtri accommodatiores ſint neophytorum adminiſtrationi Eccleſiaſticæ ſuſcipiendæ, hiue, an presbyteri ſæculares, inuidioſè, ac moleſtè quidam ſolent contendere. Sed quamuis inter antiquos Canones legamus, Ne religioſi in Eccleſijs Parochialibus ponantur, vituperari tamen non debet, neque verò poteſt, quod Apoſtolicæ ſedis autoritate & Regio decreto fit. Conſtat verò ſummos Pontifices hanc mendicantium in Indis adminiſtrandis operam non ſolùm probare, verùm etiam multis magniſq; priuilegijs, & conceſſionibus inſigniter prouocare. Neq; alienum ab inſtituto religioſo cenſendũ eſſe, ſi Chriſti amori, fratrumq; ſaluti cedat interdũ accurata illa communis vitæ, & regulę diſciplina, Chriſti præſertim Vicario ita & publicas, & priuatas leges interpretante. Nemo verò ſit adeò abſurdus, & à ſtudio Regularium auerſus, quin apertè fateatur religioſorũ operæ & labori deberi potiſſimũ huius Indicanæ Eccleſię primordia. Regios autẽ ſumptus & diligentiã in tranſmittendis nouo orbi religioſorũ gregibus; vt nulla ab Hiſpania claſſis his fœlicibus merci-

In appendice ad ſynodum Lateran. ſub Alex. 3.

mercibus vacua ſoluat, quis tā erit ineptus, qui aliorſum interpretetur, quā vt curam Indorū hi potiſſimū ſuſcipiant, regiamq; conſcientiā, quoad licet, exonerent? Præterea ne illud quidem negari poteſt à religioſis, religioſius accuratiuſq; neophytos inſtitui, fereq; vitę exemplo magis, quàm à ſæcularibus adiuuari. Nā vt nihil aliud, ipſa habitus profeſſio cohibet, vt caſtius vitam inſtituant. Quæ cùm ita ſint, nō eſt cur ab officio ceſſare monachos, & ſolū ſæcularibus parochias omnes Indorum quiſquam concedere velit. At inter has omnes tot & tantas cōmoditates duo mihi videntur incōmoda. Vnum eſt illud ipſum quod regularibus, cum priuilegijs ſuis exempti ſint, nō ſatis bene cum Epiſcopis conuenit in administrandis parochijs Indorum. Hinc quanta mala profecta ſint, dici nō poteſt. Primùm enim ſi in officio ſunt negligentes, Epiſcopi, quorum hoc munus eſt proprium, ſuis occurrere non poſſunt parocho, aut caſtigato, aut commutato, ſiquidem neq; viſitare, neq; plectere, neque amouere malè meritos poſſunt. Præfecti verò Prouinciales ſubiectos ſibi Regulares corrigere quidem poſſunt, ſed cùm oues alienæ ſint, vix ad illos ſerò tandem querela peruenit. Et omnino habet neſcio quid perturbationis Parochum Epiſcopo ſuo nō ſubeſſe, ac duplici veluti capite regi. Hinc porrò diſſidia acerbæque contentiones inter Epiſcopos, & Regulares cum Indorum certè magno malo. Hinc querela Epiſcoporū, quod oues ſibi commiſſas ſatis paſcere nequeant. Deniq, veſtem ex lana linoq; contextam, & aream eandē vario ſemine aſperſam, videre eſt ſimplicitati Euangelicæ, & ſumminiſtrationi ſpiritus, quam *Deut.22.* *Leuit.19.*

Ephſe. 4. quam Paulus tanti facit, ſępenumerò non parum incommodaſſe. Hoc igitur detrimentum ex Indorum ratione conſidero. Alterum verò meo iudicio non iſto inferius in ipſoſmet regulares recurrere ſentio ego, imò verò ſentiunt & gemunt ipſi, quorum prudentiſſimus, atq; optimus quiſque copioſè deploret propter ſuſceptas Parochias Indorum religioſorum ordines eſſe collapſos, atq; inde & diſciplinam extenuatam, quod certè dolendum eſt. Siquidem hi auxiliares à
Prouerb, 5: Chriſto Domino dati ſunt, vt fidem iuxta Sapientem, pro amico ſpondentes, ex officio habent, quod ſequitur, feſtinare, diſcurrere, amicum ſuſcitare, vt debitò ſatisfaciat. Ac neſcio quonam modò in hoc orbe commutata eſt ratio inſtituti regularium. Neque enim, vt in Europa, cùm prædicant verbum Dei, confeſſiones populi audiunt, cæteraq; faciunt, Parochis adiumento ſunt, & profeſſione ſua retenta, greges Chriſti, quoad licet, curant. Quin potius ſingularia hîc omnia diuiſaq; ſunt, vnuſquiſq; Parochiam ſuam tenet, & neq; ſuos ab alijs iuuari patitur, neq; ipſe addúcitur, vt alios iuuet. Ita finibus quiſq; ſuis ſeptus eſt, ac ſi de agro partiendo res eſſet, alienam ditionem niſi ſuam faciat, neque adire ipſe, neq; adiri ſuam æquo animo fert. Scripſit ad me ex noua Hiſpania quidam de noſtris mirari ſeſe tam abſurdam, & ab Indorum ſalute alienam conſuetudinem inuectam eſſe Indiæ Occidentali. Quamobrem ſi ſacerdotes ſæculares, & meritò & numero pares Indorum Parochijs inuenirentur, fortaſſis eſſet magis è re Indorum, vt religioſi noſtro muneri non deeſſemus, ſed Parochis ipſis, atq; Epiſcopis auxiliares manus præ-

nus præberemus, & cum ſumma eorum beneuolentia verbum Dei inter Indos diſſeminaremus, atq; eos audiendis confeſſionibus, cæteroq; omni officio proſequeremur. Quod ſi hoc vniuersè fieri nequit, vt certè nequit, profectò qui ex religioſis hoc inſtituti genere militare poſſunt, omnino plurimum cauſæ Indorum conferre putandi ſunt.

Salutem Indorum ſocietati Ieſu pro viribus eſſe procurandam.

CAPVT XVII.

SOcietatis autem Ieſu eò potiſſimum inſtitutæ, vt in miſſionibus obeundis per varios orbis terrarum tractus Eccleſiæ Dei ſeruiàt, hoc tam eſt proprium munus, vt nihil magis. Atq; id quidem quanquam vbiq; gentium præſtare debet pro ſua virili, tamen nuſquam æquè atq; inter nationes Indorum, ad quas Deo conciliandas præcipuo, vt ego ſanè opinor, ſtudio diuinitus inſtituta eſt. Ac dabunt mihi æqui omnes libenter veniam, ſi quandiu ſum Indorum ſeruus, honorificem miniſterium meum. Itaq; ſi in hac parte vel ceſſet difficultatibus victa, vel deſidia torpeat ſocietas, non mihi dubium eſt, quin grauem præ cæteris & Dei, & hominum incurrat offenſam. Etenim quo alio pertinet familiare illud in profeſſionibus ſolennibus votum, quod nos quartum ſolemus vocare, de parendo Pontifici circa miſſiones? Quorſum toties facta mentio in ſacris Bullis inſtituti profectionis ad Indos? Quid in beati Patris noſtri Ignatij conſtitutionibus, tantoperè repetitum, & commendatum, quàm vt prompto alacrique animo præſto

vnuſquiſque ſit, ſiue ad fideles, ſiue ad infideles ire iubeatur, etiam ſi remotiſſima orbis regio luſtranda ſit? Videre ſanè eſt ex ipſis primordijs ſuis huius ſocietatis authores Indicanas profectiones potiſſimum ſpirantes, eaſque literis factiſque ſuis, & toto vitæ genere velut exculpentes. Pauci numero & vixdum profeſſione ſua confirmata cùm eſſent, tamen duos ex ipſis ad Orientalem Indiam deſtinandos putarunt. Quorum vnus Franciſcus Xabier, quanta Deo magnificè adiuuante peregerit, & quale ſuis exemplum reliquerit, inter abruptiſſimas difficillimaſque Barbarorum rupes iter oſtendens Dei verbo planiſſimum, alij melius loqui poterunt, & tacentibus nobis res ipſæ Dei benignitate non tacent. Hunc cæteri ſocij ſecuti quantam Chriſti Ieſu in ſe propenſionem experti ſint, quantam in promerenda ſalute hominum vim, nimis durus ingratusque eſt in nobis, qui non & agnoſcit, & cœleſti beneficio gratias immortales agit. Neque ego ſanè dubito, quin dulciori quadam ac familiari cura Dominus Ieſus eos proſequatur, qui ſe totos ſtudiaq; ſua huic operi conſecrant, quod eo charius iucundiuſque Deo noſtro eſt, quo & per ſe inſuauius, & ab hominibus magis neglectum. De veris operarijs loquor, nam mercenariorũ, & ſua quærẽtium plena ſunt omnia. Etſi verò ad hanc Occidentalem Indiam ſerius aliquanto, & parcius ſocietas Ieſu euocata eſt, tamen de benigniſſima Domini prouidentia certò mihi perſuaſũ habeo, nõ inferius futurum operę pretium, neque vllo vnquam tempore ſocietatis huc miſſæ operam ceſſaturam. Nam cùm tot tantiſque rationibus rei Indorum pro-

curandæ

curandæ cōſtricti teneamur, militiæ deſertores, pene etiam proditores habeamur neceſſe eſt, ſi non omnes neruos in hoc opus Domini, vel prætermiſſis cæteris contendamus.

Cur multis videatur ſocietas Parochias Indorum debere ſuſcipere.

CAP. XVIII.

QVoniam verò in hoc orbe nulla alia Euangelizandi ratio hactenus ſuſcepta eſt præter eam, quam Parochi ſuis adhibere ſolent, videntur multis huius ſocietatis homines niſi Parochias Indorum ipſi vſitato more ſuſcipiant, nihil ad ſalutem neophytorum conferre poſſe, vniuerſumq; eorum aduentum ex Europa eſſe propemodum ſuperuacaneum putant. Itaq; cenſent huic omnino oneri ceruices ſubijciendas, curamque Indorum propriè ſubeundam. Cumque in hac parte cunctationem noſtram vident, indulgentiam nobis delitiaſque obijciunt, quod detrectato labore & vita agreſtiori, vrbanam frequentiam amemus. Quidam timori trepidationiq; noſtræ ſubſtomachantur, amico illi quidem animo, ſed voce libera obiurgantes, ſi Patres ſocietatis Ieſu parochias Indorum ſibi vitandas ducant, de Indorum deſperanda ſalute ferre ſententiam. Quis enim, inquiunt, diſcrimini huic obijciet ſeſe pro ſalute fratrum, ſi vos Patres detrectatis, & tergiuerſamini, quorum alioqui animarum ſtudium, & inflammata in Deum pietas perſpecta eſt? Quorſum verò miſſionem tantam ſuſcipitis, tantum terræ pelagique emenſi ad ignotas terras traijcitis, ſi Indorum cauſam deſeritis? Aut qua ratione profeſſioni, nominique ve-

ſtro conſulitis, ſi quod alij omnes religioſi viri amplexati ſunt, vos perhorreſcitis, non inferiorem alias animarum zelum præ vobis ferentes? Quod ſi Hiſpanorum noſtrorumq; hominum ſalutem appetitis, nonne ſatius erat in media Hiſpania Europaque conſiſtere, vbi & numero, & gradu ſuperiores ſunt infinitis partibus iſtæ merces? Alij quidem aurum argentumque apud Indos quærunt, quod apud ſuos, ſi æquè occurreret, haudquaquam patria deſerta tam longam, tam moleſtam, tam periculis omnibus plenam peregrinationem ſuſciperent. Vos verò Patres quid auri, quid argenti huc quæſituri aduentaſtis? ſiquidem Hiſpanorum animas, certè apud vos aurum iſtud abundabat copiosè. Quod ſi Indos Chriſto Ieſu lucrifacere in votis erat, & quęſtum maximum, vt eſt planè, exiſtimãtibus pie-
1.Tim. 6. tatem, Euangelij gloria, & propagatio cordi erat, quo tandem conſilio vix aggreſſi rem, terga vertitis? Illi ipſi profani, auariq́ue homines, qui in hunc orbem rei augendæ cauſa penetrarunt, tamen nihil laboris, nihil periculi recuſarunt, modò copia exoptata potirentur: vos verò omnia prius tuta, omnia vndiq; quadrata circumſpicitis, ac velut in vmbra res gerenda ſit, nihil periculorum adeundum putatis. Atqui veſtri ſocij ij, qui in India Orientali, in Malabarica, in Malaca, in Ormucio, in Malucis, in Aethiopia, in Iapponia, in Sina, cæteriſque Orientis regionibus tanta præſtiterunt, & tanta cum gloria rebus ab ijs geſtis per ipſorum epiſtolas cognitis in omnium ore verſantur, non ſine magnis ſudoribus, ſine ingenti periculo eam ſunt laudem cõſecuti. Quod ſi vrbes tantùm Hiſpanorum incolendas

lendas vobis exiſtimatis, ſi Mexicum, Limam, Cuzcum, ac non in medijs Indorum populis ſedem figitis, ſi Carãgas, Collas, Sacacas, Yauyos, cæteraſque prouincias barbarorum vitatis, vmbratilis tantùm ac ludicra veſtra omnis de Indis procuratio ſit neceſſe eſt. Quomodo enim eam gentem Chriſto expugnare poteritis, apud quã ſedem figitis nullam, nulla certa præſidia conſtituitis, nullas moras ducitis? cùm nulla alia re perinde opus ſit ad ſalutem Indorum procurandam, atque perſeuerantia & improbo quodam labore. Sic enim habetote Patres, quantum nos veteranos, & mores horum barbarorum diuturno vſu edoctos cauſa ádmonet, niſi perpetuò, ac conſtanter verbum vitæ, & curam ſalutis harum gentium meditemini, vanos omnes veſtros conatus & telæ Penelopes ſimiles prorſus futuros.

Quæ rationes à ſuſcipiendis Parochijs Indorum ſocietatem deterreant.

CAP XIX.

HAec atque horum ſimilia expoſtulare nobiſcum ſolent, qui cauſæ Indorum ſtudioſi, ſegniores nos in ſuſcipiendis Parochijs accuſant, quorũ me oratione ita ſæpenumerò perculſum fateor, vt propemodum victus cederem, omniaque alia ſaluti neophytorum poſthabenda exiſtimarem, atque equidem penè contemnerem. Sed contemni profectò non poſſunt, cùm occurrant nobis tot viri religioſi & pij, qui nõ minus amico, & ſyncero animo trepidationem noſtrã in ſuſcipiendis Parochijs vehementer probent, confirmentq; ſe longa experiẽtia didiciſſe reli-

gioni ſuæ plurimum eiuſmodi Parochias incommodaſſe. Itaque permulti graues, & pij viri in ſuis Capitularibus conuẽtibus agitarunt de Indorum parochijs deſerendis, ne & regularibus ſuis nocere pergerent, & maximas ab Epiſcopis, à Patronis, à Præfectis Regijs moleſtias ſuſtinerent. Quod & ſi effectum non eſt, Rege regijſque miniſtris contranitentibus, tum verò ſententia aliorum, vel charitate, vel quauis alia cauſa obtinente, tamen illud omnes, aut penè omnes experti nobis gratulantur, quod eos ſcopulos nos præteruecti ſimus. Neq; enim in nouo orbe antiquam Domini ſententiam obliuiſci debemus.

Matth.16. Quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

Eccl.29. Et illud Sapientis: Secundùm virtutem tuam recupera proximum tuum, & attẽde in illis, ne fortè incidas. Præterea illud ante oculos

Eccl.14. ponere oportet: Qui ſibi nequam eſt, cui bonus

1.Tim.4. erit vnquam? & illud Pauli, Attende tibi. quibus ita ſalutem fratrum iubemur quærere, vt ne negligamus noſtram, imò verò nullam eſſe ab alijs ſperandam, ſi in nobis prima defecerit. Atque vt omittam reliqua, quæ non leuia ſunt, duo manifeſtè habent Parochiæ Indorum grauiſſima incommoda. Vnum eſt continentiæ periculum, propter Parochorum miram ſolitudinem, ac libertatem quiduis perpetrandi, cum perpetua quadam eſca libidinis ex fœminarum aſpectu, colloquijs, rei familiaris vſu. Ad quæ accedit, vt cumulum faciat mira ipſarum fœminarum facilitas, rarus pudor, reſiſtendi vis propemodum nulla, ſæpe etiam ſponte oblata copia. Hoc igitur

tur

tur vnum eſt: alterum verò non leuius iudicio meo, quod ex lucri ſpecie naſcitur, & cupiditatis opinione ſiue vera illa, ſiue falſa ſit, omnia Parochi ſtudia reſpergit, propemodumque corrūpit. Nā & victus ſuppeditari ſolet ab Indis, quod illi Camaricum dicunt, & à Patronis Dominiſq; Indorum ſalarium penditur. Hîc cùm Indis imperando, exigendo, commodiſſimum quodque eligendo, minus copioſum Camaricum recuſando, quanta turbatio inter ipſorum fraudes, & Parochi cupiditatem. Itaque omnem ad Parochi quæſtum vel fallendum ſi poſſunt, vel ſi nō poſſunt, explendum, ſalutis ſuæ curam, cogitationemque conuertunt. Cum Patronis rurſus Indorum, cum Prætoribus, quæ tragœdiæ quotidie? quot iurgia, & lites, quibus Regia ſubſellia aſſiduè crepant. Hinc ſimultates, hinc odia acerba, hinc calumniæ graues. Coniurat cum Curaca Patronus aduerſus Parochum, & quiduis vt obijciat, teſtes habet ad votum. Hæc qui non vidit ad exaggerationem fortaſſis cumulata putabit; qui interfuit, & rem totam oculis perluſtrauit, rerum fide inferiora teſtabitur. Igitur vel continentiæ naufragium, vel ſæua certè tempeſtas ſubeunda eſt, tum verò auaritiæ gurges ipſe ſi euitetur, ſpecies profectò auaritiæ, & exiſtimationis iactura euadi nullo modo poſſe videtur.

Quæ in ſuſcipiendis Parochijs moderatio adhibenda ſit.

CAPVT XX.

INTER has verò tantas difficultates, illa hactenus ſententia mihi magis probata eſt, vſque

dum melius, & certius aliquid eluceat, Parochias Indorum, neq; eſſe ſocietati noſtræ temerè complectendas, neque vſquequaq; tamen repudiandas. Sed ſiquidem duobus illis incommodis incontinētiæ, & auaritiæ ſatis occurri queat, tum verò Epiſcoporum pace, & amicitia retēta, cætera omnia officio aduerſus Indos eſſe poſthabenda. Sin verò vitari nulla ratione queant, pro certo eſſe intelligendum aliam eſſe adiuuādi has gentes quærendam viam, neque dubitandum hanc vulgarem diuinitus noſtris eſſe præcluſam. Nam præter communes Euangelizandi leges eſt illa ſocietati noſtræ, vel prima, vel maxima, vt miniſterij ſui impenſi in proximos nullam omnino patiatur mercedem, mercediſue ſpeciem ad ſe redundare. Itaque quod alijs valdè, & licet, & ſanctum eſt, eleemoſynas pro miſſa dicēda, pro funere, pro concione, & accipere, & petere, noſtris etiam vltrò oblatas admittere nullo modo fas eſt, idque & conſtitutionum & literarum Apoſtolicarum præceptis diſertè, & ſæpe cautum eſt. Quare nihil eſt quod tantoperè quidam mirentur, ſi Parochias Indorum Camarico, & ſalario inſtructas minus cum noſtra profeſſione congruere exiſtimemus. Verùm ea, quæ dixi, incommoda vitari ſatis poſſe videntur mihi in ijs præcipuè Parochijs, quæ vel in vrbibus Hiſpanorum ſitæ ſunt, vel ab ijs non admodum remotæ, qualis hæc Limenſis eſt S. Iacobi, quam noſtri tenent. Nam & ſubeſſe poſſent Rectori collegij, qui Indorum doctrinæ dant operam, atque illorum religioni & modeſtiæ ſatis conſuli poteſt, cùm vita omnis illorum, ſuperiorum oculis ſubiecta ſit, qui vt, & ſibi & officio ſatisfaciāt

ſuo,

ſuo, facilè curant. Vitæ ergo liberioris licentia ſuperiorum cura propè inuigilantium in hominibus alioqui probatæ integritatis, ſatis ſublata videri poteſt. Etenim & magnum Indorum fructum ita experimur, & incommoda omnia facilè anteuertimus. Sed quoniam ſacerdotes doctrinæ, & adminiſtrationi Indorum neceſſarij ſine ſumptu & quidem copioso vbi frequentes illi ſunt, ali non poſſunt, non eſt recuſandus moderatus, & congruens victus, dummodo illud inuiolabile ſit, vt ab Indis ipſis nihil exigatur, neque cum præfectis ipſorum ſordidæ contentiones de quæſtu aut mercede concitentur. Id vt fiat, cenſent pleriq; magno adiumento fore eam conſtitutionem, quam noua lege iam videmus editam, vt de publico ærario ſacerdotibus annui prouentus tribuantur, quod ſi ſyncerè, & candidè obſeruetur, non dubium eſt, quin honeſtis, & religioſis hominibus percommodum, & iucundum ſit: ipſi verò ædificationi, & ſaluti neophytorum magnoperè conducat. Hoc genus ergo Parochiarum collegijs Societatis vicinarũ mihi ijs, quas dixi, conditionibus ſuſcipi minimè diſplicet. Sed quoniam maius aliquid homines in ſocietate requirunt, neque eo modo ſatis vel expectationi de ſe conceptæ, vel harum gentium extremę neceſſitati noſtri faciunt, ne illud quidem omittendum eſt, quod nos admonuerunt opportunè viri primarij. Eſſe quaſdam prouincias Indorũ frequentes, vbi collegia ſocietatis erigi poſſent, atque inde ſacerdotes prodire ad parochias procurandas, qui tamen ſuperioris, & curæ, & oculis penè ſubeſſent, & religiosè iuuari, & inuiſi, & commutari cùm eſſet opus, facilè poſſent. Ita

enim fieret, vt Indorum rationibus conſuleretur ordinaria noſtrorum præſentia, & ipſis religioſi inſtituti nihil deperiret. Atque hoc genus doctrinarum, vt vocant, plerique regulares maximè probant, quod eſt in noua Hiſpania vſitatum, vbi monaſteria, vt audio, in oppidis Indorum paſſim ædificata ſunt. Et in hoc ipſo regno Peru ſunt non pauca huius exempli. Quanquam & diaboli inueteratę inuidię, & hominum fragilitati nihil eſt vnquam ſatis tutum. Verùm in re ardua atque vndique difficultatibus plena, quę à periculo longius abſunt, ea pro tutis conſilia reputari debent.

Miſſionum vſus in Eccleſia antiquus & frequens.

CAP. XXI.

SI quid in parochijs tenendis minus Indorum ſaluti præſtamus, certè Miſſionum commoditate copiosè rependi poteſt. Miſſiones verò intelligo eas excurſiones, & peregrinationes, quæ oppidatim verbi diuini cauſa ſuſcipiuntur, quarum & vſus & autoritas lõgè maior eſt. Et latius patet, quàm homines opinantur. Etenim in prima illa florentiſſima Eccleſia videre eſt hoc duplex genus Euangelizantium. Alij certas plebes moderandas inſtituendasque cura propria ac perpetua ſuſcipiebant, de quibus Paulus Apoſtolus loquitur. Huius rei cauſa reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates presbyteros, quos etiam Hieroſolymam adiens ex Epheſo euocauit Miletum. Attẽdite, inquit, vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam ſuam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Hos quoque Petrus alloquitur: Seniores paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, non turpis lucri gratia,

Tit. 1. *Act. 20.* *1. Pet. 5.*

neque

neque dominantes in clero. Hos Ioannes in ſua Apocalypſi Angelos ſalutat, Smyrnę, Epheſi, Philadelphiæ, & cæterarum vrbium. De quorum perpetua reſidentia apud plebes ſibi commiſſas tam multa ſancti Canones edicunt, vt ſacra & antiqua concilia relegentibus tędio penè ſit eadem cauſa toties ac tantopere repetita. Hunc ergo locum in Eccleſia Dei parochi tenēt Indorū certè nouis fœtibus perneceſſarium & ſalutarem. At fuit alterum genus in Eccleſia ſancta Dei miniſtrorum, qui non firmas ſedes tenerent, ſed prout temporis opportunitas, & fratrum neceſſitas poſtularet, varias Eccleſias obirent, in ijs pro re moras traherent, proprios paſtores iuuarent, infirmos confirmarent, fortes perficerent, omni ratione Chriſti rem promouerent. Nam vt in exercitu ſapienter inſtructo pręter militares copias certa ſede diſpoſitas, quibus nihil magis curæ ſit, quàm vt locum ſuum ne deſerant, cùm in eo victoria ſit, vt caput potius ponant, quàm ſemel fixum pedem referant, ſunt etiam auxiliares copiæ leuiſque armaturę equites, quorum ſit contra munus huc illuc diſcurrere, vbi diſcrimen ſit, promptè adeſſe, labantem iam militem confirmare, hoſtem irrumpentem excipere, omni negotio adeſſe, quorum fidei & diligentiæ plerumque victoria accepta referenda ſit: ita profectò in hac militię Chriſtianæ velut caſtrorum terribili & ordinatiſſima acie, duo ſunt ordines, vnus eorum, qui certo loco decertant, alter eorum, qui per omnia diſcurrunt, vt omnibus opem ferant. Quod militiæ genus tanti in Eccleſia factum eſt, vt duces noſtros ſummos, id eſt, Apoſtolos ſibi ſumpſiſſe videamus.

Apo. 2. & 3.

deamus. Quid enim aliud agebant Paulus & Barnabas cùm inter ſe dicerent, Reuertentes viſitemus omnes Eccleſias, in quibus prædicauimus? Quid Petrus dum tranſiret vniuerſos, & deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ? Hoc prorſus Timotheus, quem mittebat Paulus, vt confirmaret Theſſalonicenſes. Hoc Titus apud Corinthios egit. Hoc Iudas & Silas Antiochiam ab Apoſtolis miſſi. Hoc Paulus ipſe cum Sila perambulans Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias, & præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum. Et quamuis hoc Epiſcoporum, qui hac parte Apoſtolos ſucceſſerunt, munus ſit, tamen neque Epiſcopi omnia præſtare poſſunt, & ipſi ſuarum Diœceſeon limitibus concluſi ſunt. Quamobrem ad eum cui vniuerſalis eſt Eccleſia commiſſa à Chriſto, Romanum inquam Pontificem in Petro oues omnes Chriſti paſcendas ſuſcipientem ſingulari quadam ratione pertinet, quia per ſe ipſe non poteſt, vt à ſe deſtinet, qui ipſius autoritate hoc tantum munus obeant. Itaque cernimus in Eccleſia multorum Patrum religioſos ordines ſucceſſiſſe, qui Apoſtolica autoritate freti totum terrarum orbem doctrinæ luce illuſtrarint, vitæ pietate & ardore inflammarint. Quo in genere ſocietas hæc minima nihil ſibi aut nouum, aut nimium ſumit, ſi vocationem ſuam agnoſcit, vt in Chriſto omnibus ſeruiat, & cùm nulli ſæpe, aut loco, aut perſonæ addicta ſit, omnes tamen officio proſequatur ſuo. Neque vllo modo dubitandum eſt, quin vocationi ſi ſuæ ipſa non deſit, eius, qui ad rem tantam vocare dignatus eſt, gratiam & largitatem vberrimè expertura ſit.

[Margin: ...; Act. 9.; 1. Theſſ. 3.; 2. Cor. 7. & 12.; Act. 15.; Ibidem.; Ioan. 21.]

Miſſio-

Miſſionum vtilitates inter Indos.

CAP. XXII.

MIſſionum autem vtilitates inter Indos multæ magnæque ſunt. Prima quod omni cupiditatis occaſione procul remota, cùm neque miniſterij ſui mercedem exigant, neque fructum alium expectent, quàm ſalutem Indorum, neque in poſtulando Camarico moleſti ſint, deinde cõtinentiæ, & integritatis lumen præ ſe ferant, admirabile dictu eſt, quàm in ſui doctrinæque ſuæ admirationem & ſtudium Indos rapiant. Neque enim, quod ſæpe dicere ſoleo, illuſtriora miracula ad Euangelij commendationem Indis adhiberi poſſunt, quàm vt neque auaritiæ occaſione, neque libidinis ſiniſtro rumore, doctrina miniſtri euangelici decoloretur. Secunda, quod cùm ſeuerius obiurgare & malefacta vindicare ad parochos propriè pertineat, miſſionum verò ratio ea ſit, vt potius conſolandi, intercedendi, ac bene de omnibus merendi partes ſibi ſumat, valde in noſtros ſtudia Indorum excitantur, & fit animorum magna coniũnctio: ex qua & fidem dictis facilè commodant, & ſe ſuaq; omnia libentiſſimè impertiunt, atque communicant. Tertia hinc quoq; manat, & eſt copioſè vſu comperta, quod ad confeſſiones noſtris faciendas, etiam generales, etiam ingentium ſcelerum, ac diutiſſimè contectorum, vltrò ipſi non inuitati veniũt, qui tamen parochorum omnium vna ſententia, rarò verum in confeſſione ſacramentali ipſis aperiunt, quippe qui parochos pertimeſcant. Eo omni metu odioque ſublato ad noſtros, quos ſibi experiuntur beneuolos, nihilque læſuros certò ſciunt,

tò ſciunt, certatim accurrunt, crimina omnia aperiunt, vitæ conſilia libenter accipiunt, ſummá deuotione imperata exequuntur. Hæc vna commoditas miſſionum, quam in prouincijs ſuperioribus cùm verſaremur, abundè ſumus experti, tanti eſt apud me, vt ſi nullus alius miſſionum fructus expectaretur, ſola ſufficeret. Ac quemadmodum in ſacro Tridentino Concilio propter fragilem muliebrem ſexum ſanctimonialium pudori & metui patres ita conſulendum putarunt, vt præter ordinarium voluerint aliquoties extraordinarium illis confeſſarium dari: ita equidem Indis etiã conſulendum arbitror, quorum eſt fides infirmior, & duriores in ſe parochos experiuntur. Itaque eo miſſionum auxilio mirificè eorum infirmitas recreatur. Quartam demum vtilitatem ex ipſa diuini verbi tractatione numero: quæ triplex eſt in miſſionibus. Vna, qua pueri & rudiores ſimpliciter, & memoriter catechiſmo imbuuntur, idq; ſtatis diebus & horis partim canendo, partim recitando fructuosè admodum fit. Altera, qua docentur, & inſtruuntur familiariter pro ſuo quiſq; captu tam in myſterijs fidei percipiendis, quàm in moribus honeſtè inſtituendis. Poſtrema eſt ea, quæ ad exhortationem ſpectat, qua pro concione excitantur ad ſalutaria omnia, ac vi ipſa dicendi dicentiſque autoritate flectuntur. Hic mirificè & capiuntur, & cedunt, ſi concionatorem linguæ bene peritum, & appoſitè dicentem nacti ſunt. Quod cùm rarum in parochijs ſit, vnus eiuſmodi Indicè bene doctus, miſſionum excurſione multis parochijs prodeſſe poteſt. Atque ad has quatuor exempli, Beneficentiæ, Sacramenta admini-

Con Trid. ſeſ. 25 cap. 10.

miniſtrandi, pœnitentiam præſertim, & verbi deniq; diuini diſſeminandi redigi ceteræ poſſunt vtilitates, quæ ad Indos pertinent.

Quod Parochi Miſsiones vtiliter & libenter decipiant.

CAP. XXIII.

EST alia quoq; his non inferior vtilitas miſſionum, cùm ad parochos ipſos beneficium deriuatur. Paulus quidem dicebat, Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus, quod ſuo quoque modo vſurpare poſſunt, ſi qui ſunt diſcurſus Apoſtolici ſectatores. Noſtri certè experti ſunt ſæpenumerò parochos ipſos vitæ conſuetudine colloquijſque captos ad Chriſtum aſpiraſſe, neque parum ad virtutis officia commotos eſſe. Nihil enim vitæ exemplo potêtius, præſertim in morum quadam ſuauitate, tum ipſa familiaris collocutio ſtudia ſimilia parit. Cúque ſeſe adiuuari à noſtris ſedulò nulla interim mercede expectata vidêt, atq; onere ipſo nó parũ leuari horũ opera, beneficio allecti de ſe bene meritos amant. Iam verò cùm ad conſcientiam ſuam fructum hunc deriuant, ad ſuos longè diffundunt exemplo inſtructi, æmulatione excitati, fructu prouocati. Ad hæc omnia illud accedit, quod cùm ſæpe binæ ac ternæ aut eo plures parochiæ valde inter ſe etiam diſiunctæ vnius parochi curæ commiſſæ ſint, atque adeò neque baptizare, neq; confeſſiones audire, neq; in doctrina inſtruere omnes ſuos commodè poteſt, fit, vt maximam anni partem oues paſtore prorſus

2. Cor. 2.

prorſus careant,qua ex re quot millia pericliten tur,imò verò manifeſtè intereant, dici non poteſt. Poſſunt ergo qui Miſſionibus vacant, bonā temporis partem in ea parochia conſumere, à qua parochus abeſt, & omni boni paſtoris officio perfungi, quæ res nō ſolùm eſt ipſis Indis ſalutaris, verùm etiam Epiſcopis,parochis,patroniſq; gratiſſima, quibus omnibus eiuſmodi ſupplementa magnam conſcientiæ quietem afferūt. Quamobrem à multis iam agitatum eſt, vt collegia Societatis, aut reſidentiæ in frequentia maxima Indorum collocarentur, vnde tanquam ex munita arce ſubſidiarij milites regionem omnem opportunè excurrerent. Ad hæc, vt filios nobilium Indorum à pueritia inſtruendos educandoſque ſuſciperent,in qua vna re totius gentis ſalus vniuerſa poſita eſt. Neque ego ſanè diffido futurum breui,vt his omnibus modis atque rationibus ſocietas noſtra ſaluti Indorum procurandæ, quod tantoperè cupit, feliciter operam nauet.

Quid cauere oporteat in Miſsionibus.

Cap. XXIIII.

AC miſſionum commoditates eæ ferè ſunt, quas expoſui. Vt verò in omni præclaro negotio euenire ſolet, non carent ſuis quoque non leuibus difficultatibus. Primùm enim inuidia paſtorum, & plebis contemptus eorum præ noſtris diligentiſſimè cauendus eſt ea vna ratione, vt omni, & verborum, & rerum ſignificatione teſtētur ſe nullo modo eſſe parocho ſuperiores, ſed hunc verum legitimumq; paſtorem, ſe verò tantùm illius adiutores, & adminiſtros. Itaque omnem

omnem honoris in illum ſignificationē ne prę-
termittant, vt & ipſe intelligat nihil ab ijs am-
bitioſè agi, & populus factionem nullo modo
meditetur, ſed ſubditus ſit per omnia parocho
ſuo. Vix dici poteſt, quātopere inter Indos ob-
ſeruetur is, qui cæteris imperat, & præeſt, vt ſta-
tim oculos in ipſum Apo, vt illi vocant, animū-
que conuertant. Qua ex re niſi humilitatem no-
ſtri inſinuent, & circumſpectè parochorum au-
toritatem tueantur, atque commendent, certum
eſt inuidia, & calumnia omnia ſtatim bona ſtu-
dia corrumpi. Præterea & illud omnibus modis
curandum, ne odioſi parochis ſimus, dum vel
nimiam integritatem oſtentamus, vel reforma-
torum ac cenſorum partes importunè aſſumi-
mus. Meminiſſe potius illud oportet à Spiritu
ſancto dictum, Noli eſſe iuſtus multum, neque *Eccleſ. 7.*
plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas. Itē-
que illud Apoſtoli, Omnibus omnia factus ſum, *1. Cor. 9.*
vt omnes facerē ſaluos. Et illud Domini dicite:
Pax huic domui, & ibi manete comedentes, & *Matt. 10.*
bibentes, quæ apud illos ſunt. Denique vnuſquiſ-
que proximo ſuo placeat in bono ad ædificatio- *Rom. 15.*
nem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit. His alijſ-
que diuinæ Scripturæ ſententijs docemur, ita re-
ligionis diſciplinam conſeruare, vt charitati
fratrum multum demus. Multa toleranda ſunt
in homine præſertim ſæculari, ſæpe etiam pro-
fano: nonnulla interdum concedenda ſalua con-
ſcientia, & ita agendum, vt conſuetudinis ſuaui-
tate alliciatur potius, quàm aſperitate offenſus
reſiliat ſtatim. Itaque neque viſitatores, neque
cenſores, aut Momos aliquos vel Sycophantas
exiſtimare nos debet, ſed ſibi amiciſſimos, & hu

manifſimè affectos. Nouimus ex prudenti diſſimulatione non paucos egregiè captos tandem Dei verbo manus dediſſe: quos ſi nimia ſeueritate offenderis, mille concionibus reuocare non poteris. Verùm ita humanitatis leges ſeruandæ ſunt, vt neq; religionis exiſtimatio lædatur, neque conſcientiæ coram Deo puritas offuſcetur. Nam & virum religioſum & Apoſtolicum munus obeuntem nihil, aut leuitatem, aut faſtum, aut laſciuiam redolens decet. Quoniam verò cũ ad aperiendas conſcientias ſuas in confeſſione parochi accurrunt, imploranda impensè eſt diuina gratia, vt & officio non deſis tuo, & fratris animam grauiſſimè interdum ſauciam à morte reuoces. Ego ſanè in confeſſionibus audiendis nihil æquè formidare ſoleo, quod ſacerdotum quotidie cœleſtia ſacramenta tractantium vix medicina vlla morbi curari poſſunt, cùm ſemel cœperint peruenire ad cor durum, atque illud Gregorij plerunque, cùm eiuſmodi duritiem contemplor, venit in mentem. Pleriq; eorum à Domino in impœnitentis cordis caliginem pro ijciuntur, & nulla hominis adhortatione reſipiſcunt. Ergo in primis illud tenendum eſt, vt placendi voluntas, & humanus affectus nullo modo dominetur, ne puluillos ſub omni cubito, & ceruicalia ſub omni capite ſtatuamus, iuxta propheticam comminationem, quin potius veritas in omnibus dominetur, & præſit, propter quã ſi homines aliquando ſcandalizantur, non magnopere curandum eſt. Dei enim iudicium eſt, ait ſcriptura. Itaque ſi is, qui parochus nominatur, concubinarius ſit, ſi aleator, ſi fœnerator, ſi ſimoniacus, ſi litigator, ſi turpis lucri ſectator,

Greg. lib. 2. expoſi. in 1. Reg. c. 3.

Ezech. 13.

Deut. 1.

tor, ſi officij ſui negligens, ſi ſermonis Indici imperitus, & contemptor, veritatis falce reſecanda ſunt vitia, ac niſi tibi ipſi in Domino ſatis feceris peruidendum; ne alienis peccatis ipſe communices, manus pœnitentiæ citò impones. *1.Tim.5.* Cæterùm hæc ipſa etiam letalia, & vetuſta vlcera oleo ſimul foueri poſſunt, atq; ita vino perfundi, vt pariter, & mordeantur, & ferant. Attingit, inquit, à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter diuina Sapientia. *Sap.8.* Opus forte, modum ſuauem eſſe oportet. Multum intereſt, qua manu, qua dexteritate vulnus chirurgus infligat. Non imperiosè, non duriter, magis monendo, quàm minando; magis iuuando, quàm iubendo, vt ait Auguſtinus, iſta tolluntur. *Aug. epiſt. 64. ad Aurelium.* Vidimus ſæpe ſacerdotum conſcientias deploratas, de quibus ego planè diffideram eò quod ad cor durum perueniſſe mihi viderentur, & iuxta Hieremiam propter multitudinem iniquitatis dura facta eſſe peccata, miniſterijs tamen noſtris, vel potius diuinæ gratiæ ita ceſſiſſe, ita reſpuiſſe, ita ad cor redijſſe, vt magnificas Dei bonitati gratias ageremus, & ſpem non vulgarem conciperemus, ſocietatis noſtrę homines, quorũ ſunt parochi penè omnes, valde ſtudioſi, præclariſſimos fructus in lucrifaciendis Domino eiuſmodi hominibus allaturos. *Hiere.30.* Hęc in parochos obſeruanda. Porrò Indi, ipſi quoq; curam quandã mediocritatis efflagitant. Vt enim eos oderunt, qui nimij in exigendo ſunt, ita etiam à ſe auerſos putant, qui ab ipſis oblata repudiant. Accipienda ergo ſunt humanè munuſcula eorũ, & benignè vel eadem, vel plura ſi liceat, pauperibus communicanda. Quod ſi ipſorum opera interdũ

opus ſit, dum ea moderatione, qua decet, vtaris, nihil offenduntur, imò verò ſi te alioqui ſibi beneuolum experiuntur, amplius diligunt. Illud quoque obſeruatum autoritatem quandam retinendam eſſe aduerſus eos, paternæ grauitati coniunctam: neque tam ſummiſſionis, quàm liberalis cuiuſdam imperij ſpeciem præferendam. Amant enim hoc modo, quæ iſtorum eſt natura, tractari. Sed neque neceſſario noſtrorum apparatu offenduntur, neque paupertatem magnopere admirantur, magiſque præclariora noſtros non poſſe afferre, quàm non velle interpretantur. Quamobrem quæ ad vitæ neceſſitatem aut etiam commoditatem pertinent, prætermittenda non ſunt, nam & locorum, & rerum magnæ difficultatis id exigunt in hac prouinciarum Indicarum tanta aſperitate & inopia, & Indorum ingenia diuinitus ita comparata ſunt, vt ædificationis iſto neceſſario vſu nihil amittant. Illud enim non extremo loco cogitandum eſt, & penitus prouidendum, ne dum Apoſtolicæ abdicationi quidam inhærent, vitæ commoditatibus deſtituantur, atque ita vel labore victi, vel viribus deſtituti bene inſtitutum curſum reuocent.
Lucæ 10. Nam qui aliquando ſuis dixerat, Nolite portare ſacculum neque peram, idem alio tempore
Luc. 22. ijſdem dixit, ſed nunc qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram. Quo in loco Bedam vene-
Beda lib. 6. rabilem audire licet; Nobis quoque, inquit, da-
in Euang. tur exemplum, iuſta nonnunquam cauſa inſtan-
Luc c 22. te quædam de noſtri propoſiti rigore poſſe ſine culpa intermitti, verbi gratia cùm per inhoſpitales porrò regiones iter agimus, plura viatici cauſa, quàm domi habebamus, licere portare.

Indi-

Indicas ſanè peregrinationes notaſſe videri poteſt. Atque hæc ad difficultates Indicarum miſſionum conſiderandas hactenus dixiſſe ſit ſatis. Illud poſtremò adijciendum puto, Indicas & commoditates, & difficultates non ex aliarum nationum lege aut conſuetudine, ſed ex ſua ipſarum eſſe metiendas, & Dei zelo præeunte tum verò experientia duce, illud in omnibus intuendum, vt non quæramus quod nobis vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. 1.Cor.10.

FINIS LIBRI QVINTI.

DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE,

LIBER SEXTVS.

Quatenus modo de Sacramentis agendum ſit.

CAPVT I.

DE diuinis Sacramentis adminiſtrandis, quod vnum ex ijs, quæ propoſuimus, reſtat, ſi pro argumenti dignitate differendum eſſet, magnum opus exiſteret, & quod in alterius parte numerari, cùm ipſum per ſe tantum ſit, meritò quodammodo indignaretur. At nos rem tantam nullo modo aggredimur, qui de Sacramentis contra impudentes Nouatorum calumnias, & ab ipſa Eccleſia in magno & œcumenico Concilio Tridentino copiosè grauiterq; definitum, & illuſtres noſtræ ætatis ſcriptores nuſquam aut vberius, aut fælicius quàm in illis aſſerendis, explicandis, commendandiſq; elaboraſſe, non ignoremus. Igitur cum Hæreticis res nobis modò non eſt, ſed ne catholicos quidem antiquos, & in religione conſtantes admonendos, cohortandoſue exiſtimamus, quorum illud inſignem eruditionem, hoc dicendi facultatem non vulgarẽ requirit. Tantùm breuiter, ac pene curſim ea de Sacramentis attingemus, quæ rudibus Indorum popu-

populis neceſſaria videbuntur, atq; in ijs maximè inſiſtemus, quæ per imperitiam, aut incuriã quorundam contra veterem & Eccleſiaſticam diſciplinam inter hoſce neophytos obrepſiſſe, & percrebuiſſe notauimus.

Multa in his regionibus contra Eccleſiæ conſuetudinem geri.

CAPVT II.

NAM ex quo tempore obedientia duce ad has regiones Indicas venimus, non pauca in Sacramentorum functione minus conuenienter Eccleſiaſticis inſtitutis, nonnulla perturbatè prorſus atque ineptè geri, & diu mirati ſumus, & dolenter ſæpe commemorauimus. Cauſa mihi cogitanti nulla certior occurrit, quàm quod Euangelium non tam prædicatorum, quã militum manu in has nouas orbis nationes inuectum ſit: quorum ſocordia cum imperitia coniuncta multa abſurdè peperit, quæ accedente cõſuetudine confirmata tanquã legitima habẽtur. Ita priores poſterioribus errandi viam munierunt, vt vix liceat doctis & pijs hominibus veterem totius Eccleſiæ conſuetudinem reſtituere, habeanturq; rerum Indicarum imperiti, qui religionem & ſacramenta Eccleſiæ integrè, ac pro dignitate Indis tradere cupiant. Quid plura? Cũ in Prouinciali Concilio Limenſi ab omnibus Peruenſibus Epiſcopis, cæteriſq; grauibus viris ad ea vitia emendanda multum operæ & ſtudij collatum ſit, atq; edita extent egregia decreta de reformatione permulta, nihil tamen amplius perfectũ eſt, quàm ſi ab otioſis nautis de republ.

moderanda conſultatum eſſet. Quis verò non doleat Baptiſmo pleroſque adultos initio paſſim, & noſtro tempore non rarò ante perfundi, quàm Christianam catecheſin vel mediocriter teneāt, neque an vitæ flagitioſæ, & ſuperſtitioſæ pœnitentia tangantur, neque verò id ipſum, quod accipiunt, an velint accipere, ſatis conſtet? Quid illud, quod confeſſiones ſæpe ita fiunt, vt neque Indus intelligat ſacerdotem, neque intelligatur ipſe, quid dicat, tam ſupinè parochis nonnunquam dormientibus, vt neque peccatorum rationem exigant, neq; doloris ſenſum requirāt, nihilque magis curent, quàm vt à ſe quàm citiſſimè confitentes ablegent. Porrò Euchariſtiam qua lege contra omne & diuinum, & Eccleſiaſticum ius non ſolùm quotannis adulti Indi, verùm etiam morientes ritè confeſſi prohibentur accipere? quam ſi quiſpiam noſtrûm porrigere velit, & viatico munire migrantem, nouitatis accuſatur, & ſacrilegij propemodum reus agitur. Quod ſi hoc venerationi Euchariſtiæ prætetitur, cur ſaltem quæſo extrema vnctio ſubtrahitur? Neque in ſyluis tantùm aut remotis oppidis, ſed in ipſa noſtra vrbe, in ipſo ſacro Xenodochio morituri tanto bono priuantur. Horum ſimilia ſunt plurima. Etenim matrimoniorum errata vel ſocordia, vel imperitia miniſtrorum admiſſa longum eſſet enumerare. Quales ſint infidelium nuptiæ, quibus gradibus apud Indos contractæ valeant, quæ impedimenta Apoſtolicis literis his neophytis ſublata ſint, quæ etiam dum integra reſtent, pauci ſcire laborant. Hanc igitur tam vaſtam ſyluam ingreſſi illos tantùm errores refellere cupimus, qui & pernicio-

perniciosiores,& magis vulgares ſunt.

De voluntate Baptiſmo neceſſaria.
CAPVT III.

IGitur in Baptiſmo,barbaris præſertim,conferendo,tria ſpectare debet fidelis, & prudens diſpenſator myſteriorum Dei, Voluntatem,Fidem,Pœnitentiam. Voluntas ſanè omnino cognoſcenda eſt eorum, qui ad Fidei ſacramentum aſpirant,nec niſi petāt,& inſtent,Chriſtianæ vitæ profeſſione donandi ſunt.Eccleſiæ conſuetudo tenet, vt priuſquam catechumenus baptizetur,ter interrogetur,& tertiò reſpondeat, baptizari ſe velle,quod intelligerent ſancti patres magnum eſſe Chriſtianæ Religionis pondus, magnas Euangelicæ turris expenſas,nec niſi re admodum deliberata, & perſpecta hominū imbecillitati temere rem tantam debere committi. Quod profectò non nuda cæremonia obſeruandum eſt, ſed multo magis ſpiritu & veritate. Vt non ſolùm infideles Indi diligenter explorentur,verùm cognita iam, & perſpecta voluntate diu in catechumenorum ordine teneantur, quo & inſtructiores veniant & pluris faciant myſterium ſalutis ſuę. Quam Eccleſię veterem diſciplinam ita in hoc nouo orbe neglectam intuemur, vt nuſquam contra Euangelij dignitatem magis irreligiosè, & contra hominum ſalutem magis perniciosè peccatum eſſe intelligamus. Dum enim quoquomodo per fas,& nefas,per dolum,& vim gentes barbaras Chriſtianas efficere properant homines imperiti,aut improbi,nihil aliud agunt, quàm vt Euangelium ludibrio

exponant,& Fidei temerè ſuſceptæ deſertores certiſſimo exitio afficiãt. Non enim tales, vt eſt in Decretis Patrum, inuiti ſaluandi ſunt, ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ. Equidẽ cenſerem Prouinciali Concilio nihil grauius decernẽdum fuiſſe, ac fore deinceps, nihil etiam ſeuerius vindicandum, quàm vt Indi adulti ante baptiſmum per annum, aut etiam amplius, niſi diſcrimen mortis vrgeret, in Fidei myſterijs perdiſcendis, & voluntate bona confirmanda diſtinerentur: ita fieret vt ſerius impetratam baptiſmi gratiam pro magno haberent, & diligenter conſeruarent, quemadmodum in concedenda Euchariſtia vſu veniſſe cernimus. Sed quid agimus de ijs, qui contra ſalutare hoc Eccleſiæ inſtitutum baptizati ſunt? Certè ſi nullam habuiſſe voluntatem perſpicerentur, atque omnino inuiti & repugnantes, & contradicentes baptizati ſunt, nullo modo Chriſtianum characterem accepiſſe exiſtimandi ſunt, quemadmodum eſt ab Innocentio tertio definitum, neque enim ſine ſuſcipientis voluntate ſacramentum conſtare poteſt, quod accipere non poteſt, qui non præbet vtcumque conſenſum. Verùm ſi voluntas nonnulla non defuit, tametſi vel vi, vel minis extorta, quia re vera charactere Chriſti inſignitus eſt, cogendus eſt Fidem ſemel ſuſceptam conſeruare, ne Chriſti ſacramento magna fiat iniuria, ſi profanum per licentiam reddatur, quod eſt etiã ab eodem Pontifice ſecundùm Toletani Concilij decreta declaratum. Illud autẽ habet quæſtionẽ non facilem, vtrum cùm barbarus baptiſmum prorſus ignorat, & tamen non contradicens baptizatur, verè Chriſtianum characterem accipiat necne.

Conc. Tol. 4. ca. 55. d. 45. De Iudæis.

De baptiſmo & eius effec. c. Maiores §. item quæ.

Ibidem.

necne. Nam rei ignoratæ voluntas eſſe non poteſt, cùm nihil ametur niſi cognitũ aliquo modo. Itaq; qui interrogatus, an velit in ſe fieri, ꝙ fit in alijs, aut etiam nihil interrogatus, baptiſmo perfunditur, nihil inter baptiſmũ, & profanam aquã diſcernens, nihil ibi religionis agnoſcens, is profectò quomodo velit, quod nunquam cogitauit, non facilè poteſt dici. Cùm verò ſacri canones nihil aliud tradant obſtare baptiſmo, quàm voluntatem baptiſmo renitentem, & contradicentem, cumq; hoc loco hominem nihil diſſentire, nihil reclamare ponamus, iterare poſtea baptiſmum, ſi ille ſaluus eſſe velit, difficilis exempli apparet. Quam quæſtionem ne quiſquam otioſam putet, ſciat apud nos eſſe frequentem in ijs præſertim Aethiopibus ſeruis, qui ex Cabouerde aſportantur. Hos enim ſi conuenias, an Chriſtiani iam ſint, audies non rarò, ſeſe cùm eſſent impuberes ſimul cum alijs plurimis in naui, aut littore deprehenſos baptizatos eſſe, cùm certè quid ſecũ ageretur, ignorarent, niſi quod multi ſimul à clerico, aut milite quopiã aqua aſpergebantur, & exinde Chriſtianos ſe fieri audiebant, cùm neque hoc etiam ipſum quid eſſet edocerẽtur, neque rem ipſam penitus intelligerent, & homines barbari, iumẽtis ſimiles, minimè quid illud eſſet ſcire curarent. Digladiantur quidam, vtrum ſi neutra voluntas detur, baptiſmus ſit ratus. Diuus quoque Auguſtinus non parum hæret in fine librorum de baptiſmo, vtrum baptiſmus per iocum & non ſeriò collatus habendus ſit certus ac conſtans. Vbi ita ſcribit, Solet quæri, vtrum nihil interſit quo animo accipiat ille cui datur, cum ſimulatione, an ſine ſimulatione: ſi cũ ſimu-

Caiet. 3. p. q 68 ar. 7.
Sot. in 4 d. 5. art 7.
D. Aug. lib. 7. de Baptiſmo cōt. Donatiſtas cap 53.

De Conſ. d. 4. c. ſolet. ſimulatione vtrum fallens an iocans ſicut in mimo. Et quibuſdam interpoſitis, quibus ſe Eccleſiæ iudicium expectare ea de re profitetur, adiungit: Nequaquam dubitarem habere eos baptiſmum, qui vbicumq; & à quibuſcumq; illud verbis Euangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide accepiſſent, quanquàm eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent, qua Catholicæ insererentur Eccleſiæ. Et mox, vbi autem, neque ſocietas eſſet vlla ita credentium, neq; ille, qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totũ ludicre & mimicè, & iculariter ageretur, vtrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum, cõcordi oratione, & impenſis ſupplici deuotione gemitibus implorandum eſſe cẽſerem. In hac ergo dubitatione cùm de voluntate Indi, aut Aethiopis temerè baptizati quæritur, illud mihi certum eſt, ſi ſatis me minit ſe ſine ſimulatione, & cum aliqua fide, vt Auguſtinus dixit, ſuſcepiſſe baptiſmum, hoc eſt, intellexiſſe illud eſſe ritum aliquem Chriſtianorum, atque ita in ſe fieri permiſiſſe, quamuis cætera Chriſtianæ religionis non ſit edoctus, approbandum eſſe baptiſmum, minimeque repetendum. Re enim vera conſenſiſſe putandus eſt, qui cũ videret in ſe fieri quod ad Chriſtianam religionem pertinere vtcumq; ſciebat, non contradixit. Quod ſi nullo modo quid eſſet baptiſmus, agnouit, neq; illum à profana & quacumq; alia aſperſione diſtinxit, penitus Chriſti, & Eccleſiæ Fidem ignorans, non magis voluiſſe intelligendus eſt, quàm ſi dormiens, aut amens baptizaretur, cùm nulla antea

eius

eius ſignificatio extitiſſet. Quem ſanè nullo modo baptizatum eſſe ego non dubito, quemadmodum ne illum quidem, de quo Auguſtinus valde dubitat, qui per iocum prorſus, ac nō ſeriò baptizaretur. Nam & diſſentire, atq; abnuere putādus eſt, qui cōtra vetus inſtitutum ſuum aliquid noui prorſus ignarus accipit: & ſatis eſt eū nullam baptiſmi voluntatem habere, neque expreſſam, neque interpretatiuam, quam in adultis ad ſubſtantiam ſacramenti requiri ſanior, & certior Doctorum ſententia habet. Ac ſatis id docuiſſe Innocentius III. videtur, cùm de baptiſmo dormientis aut inſani improbādo, ſi antecedentis voluntatis ſigna non extent, ſententiam tulit. At verò cùm neque barbarus ipſe ſatis exploratam habet præteritam voluntatem ſuam, neque notitiam illius temporis, neque verò indicijs manifeſtis percipi res poteſt, quod frequens eſt in hac ſuperiorum temporum perturbatione, & barbarie, ſalutare conſilium Alexandri III. ſequendum eſt, & conditione adhibita baptiſmus iterum conferendus. Porrò volūtatē parentum in baptiſmo paruulorum ſuorum ad ſubſtantiam ſacramenti neceſſariam eſſe, quamuis afferant quidam, rectè tamen aſſeri non poteſt. Sed tamen parentibus inuitis, ſi infideles ſint, eorum paruulos non eſſe baptizandos, quanquam non ſine patrocinio nobilium autorum vtrinq; in ſcholis res agitatur, tamen Thomę ſententia & Eccleſiæ conſuetudine & Concilij prouincialis autoritate longè præferenda eſt, dummodo in mortis periculo conſtitutum paruulū nulla expectata parentum voluntate baptizare licere & decere quoq; concedamus, quod autores qui-

De baptiſmo. c. Maior. §. item quæritur.

Ibidem.

De baptiſmo cap. De quibus.

Dur. in 4. diſt. 4. q. 6. Pal. c. 4. Contra ſentiunt Cai. 3. p. q. 68. ar. 10. & Sot. in 4. d. 5. ar. 10. D. Th. 2. 2. q. 10 ar. 12. Con. Lim. Conſt. 27. Sot. in 4 d. 5. ar. 10. in fine idem cōfirmat Conc. Lim. Conſt. 27.

Conc. Tol. 4. c. 61. 28. q. 1. Iudæi qui.

quidam pij & docti pro illorum ſalute defendunt, & à noſtris aliquando cum laude factum meminimus. Cùm verò ex duobus parentibus alter filium paruulum chriſtianum fieri vult alterо repugnante & contranitente, iuxta Concilij Toletani, & Limenſis decreta, baptiſmo faciendū eſt, & illius ius præferendum, qui de filij ſalute melius cogitat. Atq; hæc de voluntate baptiſmum ſuſcipientium obiter attigiſſe ſit ſatis.

De Fide & Pœnitentia ad baptiſmi gratiam neceſſaria.

CAPVT IIII.

Act 20. & 2.

Fidem verò in Dominum Ieſum Chriſtum, & Pœnitentiam in Deum, quam Paulus prædicabat in gentibus, Petrus ab Hebræis exigebat; neceſſariā eſſe, vt baptiſmus non ſolùm Chriſti militem faciat, ſed gratiæ etiam & ſalutis donatiuo afficiat, nemo eſt tam ineptus, qui dubitet. Verùm quæ Fidei menſura exigenda ſit in catechumeno, & quibus modis agendum, vt ſatis inſtructus, & firmus veniat ad lauacrum Chriſti; ſatis eſt in libro ſuperiore explicatum. Pœnitentiam autem, hoc eſt anteactæ vitæ veram deteſtationem, atque in poſterum firmum corrigendæ conſilium, rarus eſt certè in Parochis, qui pro dignitate requirat. Nam & priſtinæ ſuperſtitioni vulgo hærent, & cōcubitus nefarios retinent, & ebrioſitatē ſuam non deponunt: pleriq; honoris cauſa baptiſmum ambiunt, ne ab Eccleſia arceantur, nonnulli vt Hiſpanis Dominis ea in re gratificentur, atque eiuſmodi fictionibus apud barbaros plena ſunt omnia, noſtra certè maxima ignauia, qui ſupini, atq; oſcitātes ea de re cogitamus, digni certè, qui tanti ſacrilegij pœ-

gij pœnas luamus. De hac vitæ emendatione curanda & exploranda in competentibus multa antiqui Canones, multa noua ſynodalia decreta præclarè præcipiunt: ſed facilè omnia contemnuntur ab ijs, qui quæſtum amant, ſalutem hominum, & Chriſti dignitatem non amant. Itaq; ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine perquàm cõmodum mihi videretur, vt catechumeni aliquot dies, ſi menſes longum eſſet, ieiunijs & precibus alijſq; pijs operibus pro facultate ſua exercerẽtur ante baptiſmum, tum verò vt teſtimonium ferrent temperaſſe ſe à flagitioſo concubitu, ab omni ſuperſtitione gentilica, præcipueq́ue ab ebrietate, Eccleſiam quoq; frequentaſſe, & omni officio vitæ ſuperioris emendationem declaraſſe. Ita fieret, vt paratiores venirent, & quã tandiu probati gratiã adipiſcerentur, non ita facilè reuerſi ad vomitum corrupturi eſſent. De qua re legi Gratianus poteſt in quarta diſtinctione de conſecratione, & cæteri, qui de catecheſi, & præparatione baptiſmo neceſſaria copiosè ſcripſêre.

De ijs, qui ſe baptizatos vel negant vel mentiuntur.

C A P. V.

DE ijs verò, qui baptiſmum vel datum ſibi eſſe mentiuntur, vel acceptum iam à ſe negãt; cùm ſit vtrumq; paris ſacrilegij & periculi, meritò ſynodalia decreta cautos eſſe parochos iubent. Sunt enim qui reuera baptizati non ſunt, cùm tamen Chriſtianis nominibus appellentur, & Eccleſiaſtica myſteria conuentuſq́; frequentent. Hoc ex temporum ſuperiorum perturba-

tione

tione accidiſſe conſtat. Atque in horum aliquot nos incidimus, qui cùm diu Chriſtiani haberentur, & Ioannes, aut Franciſci, aut Petri vocarentur, tandem concionibus noſtrorum permoti ſimulatione depoſita baptizari ſe poſtularunt, & re diligenter diſcuſſa, inuentum eſt eos non fuiſſe re vera Chriſtianos, ſed à parentibus Indis ſubtractos per Hiſpanicos Dominos eiuſmodi nominibus fuiſſe donatos. Nonnulli quoque Aethiopes cũ ſæpe confeſſiones annuas peregiſſẽt, rogati aliquando ea de re ſe nunquã eſſe baptizatos apertè confeſſi ſunt. Erit igitur adhibenda non exigua diligentia præſertim erga aduenas & ignotæ regionis homines. Contra alij ea occaſione ſe baptizatos ſæpe diſſimulant, baptiſmumq́; ſupplices petunt, quem re vera iam acceperunt, eo ſanè conſilio, vt vxores nouas ducere liceat, cùm veteres diſplicent. Eum fucum prudentiores Parochi deprehendere ſolent. Ne igitur, vel grandi ſacrilegio iterato ſacramento contaminentur, vel à neceſſario excludantur, vigilare ſacerdotes oportet. Et cùm res liquidò conſtare non poteſt, atque is qui baptiſmum petit, alioqui teſtimonium habet integritatis ſuæ, probabiliq́ue vtrinque ratione dubia, prudenti viro cauſa ſit, Beati Leonis decretum ſalutare ſeruandum eſt de ijs, qui in captiuitate poſitis parentibus nati ſunt, & baptizati ne ſint, certum eſſe non poteſt, quorum potius ſaluti conſulendum docet lauacro regenerationis adhibito. Quia quod non oſtẽditur geſtũ, ratio non ſinit, vt videatur iteratum.

Leo epiſt. 34. c. l. De Conſ. d. 4. cùm itaque. Idem in epi. 90. ca 16. De Conſ d. 4. c. Si nulla.

De Sacramento Confirmationis & illius materia.

CAPVT VI.

HAec pauca de baptiſmo Indorum:neque verò plura de ſacri Chriſmatis ſacramento dicenda ſunt. Ac bene habet ſanè,quod Confirmationis ſacramento neophyti noſtri priuati non ſunt:tametſi partim penuria Epiſcoporum,partim fortaſſis negligentia, rarò eam gratiam Indi conſequantur. Illud hoc loco, pro inſtituto noſtro dicendum eſt, materiam huius ſacramenti à Doctoribus, & Florentino Concilio tradi, Chriſma ex oleo, & balſamo ab Epiſcopo conſecratum.Dubitant verò multi, an balſamum re vera ad eſſentiam ſacramenti pertineat: & pleriſque aſſentientibus,Sotus, & Caietanus graues authores negant, qui ſi de vero balſamo loquuntur, omnino tenendi ſunt, cùm eorum ſententiam ſatis Apoſtolica ſedes confirmaſſe videatur. Extat enim inductum à Pio Quinto Pontifice maximo Epiſcopo Tucumanenſi datum, quod nos ipſi in autographo vidimus,vt in hac Occidentali India, liceat in confectione Chriſmatis pro vero balſamo ſuccum quendam alium adhibere, natiuum his regionibus, qui balſami odorem, & ſuauitatem maximè refert. Non igitur verum balſamum de eſſentia eſt ſacramenti,niſi malis materiam ſacramentorum Eccleſiæ ſubdi,quod omnes viri docti repudiant.

Caiet.3 p. q. 72. ar. 2. Sotus in 4 d.7. ar. 2.

De Euchariſtia percipienda diuinum eſſe præceptum.

CAPVT VII.

SEquitur vt de Euchariſtiæ perceptione dicamus, à qua genus Indorum latiſſimè excluſum, adhuc homines docti, & pij fruſtrà conqueruntur. Quem totum locum vt commodius explicemus, dicendum erit de ipſo iure diuino, & Eccleſiaſtico percipiendi Euchariſtiam: tum quid de conſuetudine huc vſque ſeruata ſentiendum ſit, & de ſalute eorum, qui ſine viatico cœleſti de vita decedunt: poſtremò quid deinceps fieri expediat, admittendine ſint an excludendi à ſacris myſterijs Indi. Ac primùm non parua quæſtio eſt inter Theologos, Vtrum re ipſa ſumere Euchariſtiam iuris diuini præceptum ſit. Quidam enim non aliam, quam Eccleſiaſticæ conſtitutionis vim agnoſcunt, quorum poteſt videri non improbabilis ſententia, quod videamus Eccleſiam quibuſdam dare, quibuſdam negare Euchariſtiam, etiam cùm ſupremus agitur ſpiritus: de qua re & antiqui Canones complures ſunt, & quarundam hodie quoq; prouinciarum mos eſt, vt ij, qui per publicos magiſtratus ad ſupplicia ducuntur, non communicentur. Atqui ius diuinum Eccleſia tollere, aut immutare non poteſt. Non ergo iuris diuini eſt, vt homines etiam in vitæ fine Euchariſtiam accipiant. Adde quòd verba Chriſti, quibus maximè apud Ioannem neceſſaria ad vitam æternam carnis & ſanguinis Chriſti perceptio perhibetur, æquè de omnibus loquuntur, adultis, inquam, & paruulis, vt Auguſtinus ſæpiſſimè aduerſus Pelagianos contendit, præ-

Bona. in 4. d. 12. art. vlt. q. 1. Alexand. Hales 4. p. q 51. memb. 4. Caieta 3 p. q. 8 art. 11. & 12.

dit, præcipuè libro primo de peccatorum meritis, & remiſſione, quod etiam Innocentius primus in epiſtola ad Concilium Mileuitanum apertiſſimè docet. At verò paruulos ſacramento altaris imbui, quicquid Græci, & Boëmi Hæretici contradicant, vſque adeò non eſt neceſſe, vt contraria potius conſuetudo teneatur in Eccleſia Dei, & olim ſi qui Patres paruulos communicandos putarunt, nulla id ſalutis neceſſitate feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt, vt Synodus Tridentina commonuit. Hæc igitur cogitanti mihi, tum verò ad huius occidui orbis Eccleſias oculos conuertenti, nihil iuri diuino repugnare, ſi iam baptizati adulti Euchariſtiam nunquam percipiant, pene perſuaſum eſſet, niſi me inde reuocaret non modò D. Thomæ illiuſque ſectatorum authoritas, quę apud me valet plurimum, ſed etiam perſpicua atque efficax, quantum ego ſentio, ratio. Si enim ſacramenti cuiuſque neceſſitas ex ipſius ſignificatione intelligenda eſt, vt Eccleſiæ conſenſus docet, & baptiſmum idcirco ad vitam neceſſarium omnino fatemur, quod ſpiritualis generatio ſit, nemo autem viuere queat, niſi naſcatur: Pœnitentiæ quoque ſacramentum neceſſarium agnoſcimus lapſis poſt baptiſmum, quòd in eo per claues Eccleſiæ ianua aperitur regni cœleſtis, qua occluſa nemo introire poſſit in regnum: cùm Euchariſtia cibus ſit animæ, idque ex ipſa materia, & inſtitutione Domini apertiſſimè conſtet, qua obſecro ratione exiſtimare poſſumus, niſi inſanimus, tam pretioſum, tam ſalutarem cibum à Saluatore noſtro inſtitutum, & commendatum fidelibus, quibus tamen liberum ſit vel nunquam illum ore con-

Aug. lib. 1. de Peccat. meritis cap. 20. Inno. 1. epiſt. 26. in Reſcripto ad Conc. Mil.

Conc. Trid. ſeſ. 21. c. 4.

D. Tho. 3 p. q. 80. art. 11. Domin. Soto in 4. d. 12. q. 1. ar. 11. Petrus Sot. De Euchar. lect. 9. Pal. in 4. d. 9 q. 1.

tingere? An eſt minus neceſſarius vitæ tuendæ cibus, quàm medicina letali languori curando? Nam qui vt hinc euadant, Chriſtum manducari ſpiritualiter à fidelibus poſſe aiunt, etiamſi ſacramentaliter non manducent, atque eo cibo vitam animæ ali, vera illi quidem afferunt, ſed nihil de argumentationis robore imminuunt. Etenim ſpiritualis Chriſti manducatio etiam veteribus Patribus communis fuit, vt Apoſtolus ſanè confirmat, Omnes, inquit, in mari & in nube baptizati ſunt, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt. Attamen populus Chriſtianus in nouo teſtamento ſicut ad vitæ generationem accepit baptiſmum, ita etiam ad vitæ iam acceptæ alimentum accepit Euchariſtiam. Ipſum ergo Chriſtum ſacramentaliter ſumere debet ad vitam ſpiritualem conſeruandam, ſicut in ipſo Chriſto per baptiſmum neceſſariò naſcitur. Neque mihi placet, vt re ipſa atque actu accipere hunc panem ad vitam animæ ſuſtentandam opus ſit; ſatis eſſe non dubito, vt voto accipiatur ab eo, qui non eſt idoneus actu accipere, dummodo re ipſa, atque actu aliquando ſuſcipiat, quemadmodum de baptiſmo, & Confeſſione ſacramentali Fides catholica ſentit. Etenim ſicut de baptiſmo dictum eſt à Domino, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum cœlorum, ita etiam ab eodem de Euchariſtia dictum eſt, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Et ſicut illic legimus, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ſic etiam hîc, Hoc facite in meam commemorationem. Nam quòd illa

1 Cor. 10. — *Ioan. 3.* — *Io. 6.* — *Matth. 28.* — *Lu. 22.*

Domini

Domini verba, de Fidei manducatione tantummodo intelligenda quidam volunt, grauiter & periculosè labuntur. De vtraque enim manducatione & Fidei, & ſacramenti Chriſtum loqui tum ipſe contextus apertè docet, tum Eccleſiæ Catholicæ conſenſus conſtantiſſimè confirmat, quæ teſtimonijs illis ex ſancto Capite Ioannis ad doctrinam Euchariſtiæ confirmandam perpetuò in Concilijs & decretis vſa eſt. Verè ergo loquitur Chriſtus de ſacramentali manducatione, quæ tantùm Fidelibus baptizatis in hac vita poſitis conuenire poteſt: beatis & antiquæ legis patribus conuenire non poteſt, qui tamen Chriſtum ſpiritualiter manducauerunt. Quòd ſi hæc tã illuſtria ſcripturæ verba nulla eſſent, ſi nulla etiam cibi ſignificati ratio haberetur, illud tamẽ abundè eſſe deberet, quod Eccleſiæ præceptum de communicando ex Concilij Lateranenſis tẽpore legimus, vſum verò & perpetuum & vniuerſalem ex ipſo Spiritus Sancti aduentu cernimus, ſentire verò fidelibus liberum fuiſſe tunc penitus à communione abſtinere, vel ad id humano non diuino inſtituto vocatos eſſe, magnæ profectò imperitiæ eſt. Neque enim Eccleſia de ſacramentis percipiendis ſolet ferre leges, ſed quibus temporibus neceſſariò ſumantur, & qua ratione definire, id ad ſe pertinere propriè agnoſcit. Eſt ergo, eſt iuris diuini præceptum, vt omnes adulti iam baptizati aliquando communicent. Tempora autem percipiendæ Euchariſtiæ duo præcipuè ſancta mater Eccleſia definiuit: vnum cùm quis mortis anguſtijs, aut periculo premitur, tunc viatico neceſſario iuuandum ſacri Canones ſtatuunt: alterum quotannis in Domi- *Concil. Nic. can. 13. 26. q. 6. De his ver. & in Conc. Carthag. 4. c. 77.*

Conc. Late c. 21. nico Paſchate, de quo præceptum extat Lateranenſis Concilij, & Tridentinus Canon in hæc verba, Si quis negauerit omnes, & ſingulos Chriſti Fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.

Conc. Tri. ſeſ. 13. c. 9.

Quòd quamuis diuinum præceptum ſit de communicando, poßit tamen Eccleſia pro iudicio ſuo communionem negare.

CAP. VIII.

CVM igitur & diuinum ius ſecundùm ſaniorem & certiorem doctrinam, & Eccleſiaſticum præceptum ſecundùm Fidem Catholicam, habeat, vt omnes adulti iudicij compotes ſacramentum altaris accipiant, magna mihi quęſtio, & antehac, & modò maximè viſa eſt, quid de ſeruato huc vſque more in hac noua Occidentali Eccleſia ſentiendum ſit, vbi Indi adulti iam baptizati, ijdemque legitimè peccata confeſſi, neq; ſemel ſingulis annis, neque verò mortis vrgente diſcrimine communicantur, adeoq; id vſu receptum eſt, vt ſi contra fieri contingat, non leue ſcandalum homines putent. An debet conſuetudo hæc inter eas numerari, quas Auguſtinus ſapienter pro varietate locorum varias eſſe in Eccleſijs ſeruandas docet? At ille in ijs tantùm eam facultatem tribuit, quæ non ſunt contra Fidem Catholicam, & Conciliorum Generalium decreta, quale de communicandis adultis omnibus eſſe, dubitare non poſſumus. An verò harum regionum

Aug. ad Ianuarium epi. 118. & 119.

gionum

gionum homines tandiu abſurdè contra Eccleſiaſticam diſciplinam,& Euangelicam legem erraſſe arbitrabimur? At multi Præſules, & doctores ſapientia, & religione præſtantes eiuſmodi morem, vel probarunt, vel certè diſſimularunt. An potius quod hactenus factitatum eſt, ita non penitus improbare debemus, vt corrigi tamen & in meliorem vſum transferri oporteat. Mihi ſanè ita videtur: vt & modeſtè de hac Eccleſia noua ſentiamus, & tamen veritatem Euangelij, ſaluti præſertim Indorum tantopere neceſſariam aſſeramus. Quod vt facilius intelligatur, oportet illud diligenter aduertere, quòd quamuis diuini & Euangelici iuris ſit, vt Chriſtianus aliquando communicet, poteſt nihilominus illum Eccleſia à communione ſuſpendere non ſolùm ad definitum tempus, ſed etiam per totam vitam,& quod mirabile eſt, ipſo mortis vrgente periculo poteſt priuare viaticò, neq; tamen vlla ex parte ius diuinum violatur. Id ita eſſe complures antiquorum Conciliorum Canones apertiſſimè monſtrant, quibus propter varias cauſas etiam verè pœnitentibus cùm de vita exeunt, non eſſe concedendam Euchariſtiam legimus. In vno Elyberino Concilio omnium propemodum Prouincialium antiquiſſimo, pluſquam ſeptem aut octo canones ob varia commiſſa, neq; in fine communionem accipiendam eſſe decernunt. Ac nequis vel Prouincialis Concilij authoritatem, non magni faciat, vel peculiarem alicuius regionis & Eccleſiæ eam ſeueritatem putet, legat beati Innocentij Papæ epiſtolam ad ſanctum Exuperium Epiſcopum Toloſſanum, cuius verba recitare placet: Quæſitum eſt, inquit,

Conc. Elyberinum in 1. tomo.

Innocen. 1. epi. 3. ca. 2.

quit,quid de his obſeruari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti,in extremo fine vitæ ſuæ, pœnitentiam ſimul,& reconciliationem communionis expoſcunt. De his obſeruatio prior, durior: poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit,vt concederetur eis pœnitentia, ſedcommunio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur,& duriorem remiſſionem fecit temporis ratio.Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſijs ſuis reddidit, iam depulſo terrore, communionem dari abeuntibus placuit,& propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis.Quem morem pontifex ipſe Innocentius deinceps retinendum decernit,magnæ Nicenæ ſynodi authoritatem ſecutus, cuius decimus tertius canon habet. De ijs qui excedunt,antiqua & canonica lex nunc quoque ſeruabitur, vt ſi quis vita excedit,vltimo & maximè neceſſario viatico ne priuetur. Quamuis ergo hoc decretum Nicenum toto orbe terrarum perpetuò obtinuerit, tamen negare non poſſumus antiquiores patres etiam in extremo vitæ fine quibuſdam pœnitentibus viaticum detraxiſſe:neque ea in re ſanctiſſimos viros, atque doctiſſimos diuino præcepto reſtitiſſe ſentire ſine impudentia poſſumus,cùm præſertim Innocentius primus meritò id factum apertè fateatur. At, tu ipſe, dicet aliquis, diuinum & Euangelicum de Euchariſtia ſumenda

26.q.6.c.de his verò.

præcep-

præceptum ſtatuis: ſtatuo ſanè, ſed ita tamen vt Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ commiſerit, quando, & quomodo, & à quibus Euchariſtia ſumeretur. Itaque poteſt illa legitima ex cauſa, & tempus prorogare, & omnino ſuſpendere aliquem à communione: ſicut potuit eadẽ aliquando infantes communicare probabili ex cauſa, & mox id prohibere ex cauſa: potuit plebem vtraq; ſpecie communicare, & mox id ipſum lege vetare. Nam vbique quidem illa in diſpenſatione ſacramentorum poteſtatem maximam habet diuinitus datam, ſed nuſquam ita illuſtrem atque perſpicuam, atque in hoc omnium diuiniſſimo ſacramento, quod profectò præclarè docent Tridentini patres, illis verbis: Præterea declarat hanc poteſtatem, perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpenſatione ſalua illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Si quis ergo ex me preſsè, & ſcholaſticè quærat, qualenam ſit de Euchariſtia percipienda diuinum præceptum, illud ſine dubio reſponſurus ſum, vt omnes Chriſti corpus ab Eccleſia datum accipiant. Neque enim iubentur arripere ipſi, ſed de manu miniſtrorum ſumere: à quibus & petere debent, & cùm illi tribuunt, non poſſunt perpetuò renuere, niſi diuino iure violato. Neque verò, in quo quæſtionis eſt nodus, propterea miniſtri Eccleſiæ, & diſpenſatores ſacramentorum Dei coguntur, aut omnibus, aut omni tempore porrigere Euchariſtiam, ſed ſuo iudicio Eccleſia vti diuinitus ſinitur, vt det vel ſubtrahat in tempore

Seſſ. 21. c. 2.

tritici cœleſtis menſuram, prout in Spiritu ſancto expedire iudicauerit. Nam ad hunc ferè modum ſcholaſtici ſcriptores quidam diuinum de ſatisfactione præceptum interpretantur, vt ſatisfacere quiuis debeat pro modo ſibi ab eo qui habet Eccleſiæ claues impoſito. Itaq; potuit Eccleſia hęc Indicana neophytis ſuis Euchariſtiam ſubducere, nullo violato neque diuino, neque Eccleſiaſtico præcepto. Diuinum ſanè, vt dixi, nõ cogit miniſtros Eccleſiæ iudicio ſuo non vti, Eccleſiaſticum verò licet magis expreſſum definitumq́ue ſit, tamen cùm ſacerdoti audita pœnitentis confeſſione facultas tribuatur in magna Lateranenſi ſynodo, vt ſi ita expedire cenſuerit, differat à communione etiam in Paſchate pœnitentem, quod olim frequentiſſimum erat, facilè interpretari poſſumus, non eſſe ſublatam Epiſcopis, & maioribus Eccleſiæ poteſtatem differēdi per vitam totam hominem, aut hominum aliquod genus, cùm ita expedire magnis rationibus iudicauerint. Atque hæc eo à me dicta pertinent, quod huius Eccleſiæ præſulibus, & doctoribus eam notam inuri minimè velim, vt contra diuinum, & Eccleſiaſticum præceptum tamdiu, & egiſſe, & agere exiſtimentur. De qua tota re Concilij Limenſis ſententiam ſubijciam: Quamuis omnes Chriſtiani adulti vtriuſque ſexus præcepto teneantur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum accipere ſingulis annis ſaltem in Paſchate, tamen huius prouinciæ Antiſtites, cùm aduerterent gentem hanc Indorum, & recentem eſſe, & infantilem in fide, atque ita ipſorum ſaluti expedire iudicarent, ſtatuerunt, vt vſq; dum fidem perfectè tenerent, hoc diuino ſacramento, qui

Sot. in 4. d. 20. qu. 2. art. 2.

Conc. Lat. ca. 21.

Concil. Limen conſt. 18.

to,qui eſt perfectorum cibus, non communicarentur,excepto ſi quis ei percipiendo ſatis idoneus videretur.

Quod omnino expediat priori conſuetudine emendata, Indos fideles communicare.

CAPVT IX.

VErùm hæc hactenus diſputata ſunt, vt licere aliqua ratione neophytos à communione differre non improbemus: at hoc ita vniuersè & perpetuò fieri, vt in his regionibus ferè fit, nullo modo probare poſſumus. Itaque corrigenda eſt prorſus conſuetudo iſta, & tam antiſtitum authoritate, quàm virorum literatorum doctrinâ ab hoc nouo orbe exterminanda. Quamobrem in illo eodem Concilij Prouincialis decreto, poſtquam prior conſuetudo aliqua ex parte excuſatur, in poſterum tamen ita mutatur atque corrigitur: Quoniam verò complures iam Indorum fidei Chriſtianæ doctrinam melius percipiunt, atq; hoc diuinum ſacramentum non ſolùm deuotè cupiunt ſuſcipere, verùm etiam petunt, & vt fiat ſibi copia, importunè efflagitãt, placuit huic ſanctæ Synodo monere, prout ſeriò monet, omnes Indorum parochos, vt quos audita iam confeſſione perſpexerint hunc cœleſtem cibum à reliquo corporali diſcernere, atq; eundem deuotè cupere & poſcere, quoniam ſine cauſa neminem diuino alimẽto priuare poſſumus, quo tempore cæteris Chriſtianis ſolent, Indis etiam omnibus adminiſtrent. Quæ pia ſanè, & ſatis conſulta conſtitutio nihilo magis, ex quo edita eſt annos iam nouem obſeruatur, quã reliquo retro

Eadem conſtit. 58.

tem-

tempore: vt hinc ſatis appareat; non venerationi ſacramenti cœleſtis aut neophytorum ſaluti pleroſque ſacerdotes conſulere, ſed otio & ignauiæ indulgere, cùm religionem, & prudentiam in neganda Euchariſtia perquàm ambitiosè prætexant. Quàm ergo magnoperè expediat nouos Chriſti milites communicare illo pane, qui cor hominis verè confirmat, etiam ſi rudes illi ſint, & tyrones, oſtendit in primis totius Eccleſiæ Catholicæ ab ipſis primis exordijs conſuetudo, qua Spiritu ſancto duce omnes Chriſtiani ex ipſo fonte Baptiſmi ad ſacroſancta myſteria percipienda perducebantur. Adeò in Eccleſia Dei certum fuit, quibus eſſet lauacrum regenerationis legitimè datum, eis cœleſte alimentum concedi debere. Teſtes multi produci poſſent, ſed vnus nobis Dionyſius Apoſtolici, & temporis, & Spiritus ſatis erit, is ſacros ritus baptiſmi enarrans, ita ſcribit, ſacerdotes illum veſtem baptizati munditiæ congruam induunt, ſicque indutum rurſus ad Pontificem ducunt, ille diuino ac deifico prorſus vnguento virum ſignans ſacratiſſimæ communionis participem facit. Et mox tractata intelligentia baptiſmi myſtica, ita rem abſoluit: In fine autem omnium Pontifex ita perfectum ad ſacratiſſimam Euchariſtiam vocat, atque conſummantium illi ſacramentorum communionē deificam tradit. Hæc Dionyſius. Quod vſque adeò in Eccleſia ſeruatum eſt, vt eos etiam quos minus conſideratè baptiſmo ablutos eſſe conſtaret, tamen à communione non prohiberent, tanquam ſuo iure id exigentes. Conſtat hoc ex Concilio Toletano, vt alia omittamus. Qui autem iampridem ad Chriſtianitatem venire

Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 2. p. 1.

ead. 2. pa. 3.

Conc. Tol. 4. cap. 55.

coacti ſunt (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis Siſibuti) quia iam conſtat eos ſacramentis diuinis aſſociatos, & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & Chriſmate vnctos eſſe, & corporis Domini, & ſanguinis extitiſſe participes, & cætera. Hæc ſanè Eccleſiæ conſuetudo inuiolata fuit, quod nimirum ſancti Patres cenſerent ſine Euchariſtia neminem eſſe perfectum Chriſtianum atque conſtantem. Adeoque id verum eſt ſententia illorum, vt beatus Auguſtinus eos, qui non communicant non plenos Chriſtianos, ſed ſemichriſtianos, aut nondum chriſtianos definire videatur: Ita enim ſcribit in Ioannem: *Aug. tract. 11. in Ioan.* Si dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum, reſpondet, Credo, & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine eius interrogemus eum, manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? neſcit, quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei. Et poſt pauca: Acceſſit ad illos Ieſus, facit in illis ſalutem, quia ipſe dixit, Niſi quis manducauerit carnem meã, *Ioan. 6.* & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam. & mox, Quò traijcit per baptiſmum Ieſus, cuius figuram gerebat Moyſes, qui per mare traijciebat? quò traijciebat? ad Manna, quid eſt Manna? Ego ſum, inquit, panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Manna accipiunt fideles iam traiecti per mare rubrum. Significabat mare illud rubrum baptiſmum Chriſti, quò ergo perducit credentes & baptiſatos? Ad Manna. Et neſciunt Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani, erubeſcant ergo, quia neſciunt, tranſeant mare rubrum, manducent Manna, vt quomodo crediderunt

diderunt in nomine Ieſu, ſic ſe ipſis credat Ieſus. Hactenus Auguſtinus. In eorum ergo numero reponendi ſunt, qui non accipiunt cœleſte manna, quibus Ieſus ſe ipſum non credit, hoc eſt inter ſemichriſtianos, & qui Catechumenorum ordinem non exceſſere. Quantopere autem referat ad fidem confirmandam, ad ſpem augendam, ad charitatem dilatandam, ad omnem denique Chriſtianæ vitæ rationem promouendam, cœleſtis illius panis frequentatio, nemo eſt prorſus qui dicendo ſatis conſequi poſſit. Vnde obſecro tantus fidei ardor initio naſcentis Eccleſiæ, *Actor. 2.* Erant, inquit, perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & orationibus, & fractione panis. vnde ad calcandum mundi faſtum, vnde ad ſuſtinenda martyria inuicta virtus? vnde ad glorificandum Chriſtum inter gladios & ignes tanta illa alacritas animorum? *Chryſ. hom. 61. ad pop. Ant.* Ex illa, ait Chryſoſtomus, menſa tanquam Leones ignem ſpirantes ipſi diabolo formidabiles diſcedamus. Quid Cyprianus? *Cypr. libr. 1. epiſt. 2.* Idoneus eſſe non poteſt, inquit, ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit. Multum planè, & ſupra quàm dici poteſt baptiſmus homini confert, multum cætera ſacramenta: ſed ſine hoc omnium ſacramentorum ſummo, imperfecta cætera ſunt, neque vitam Chriſtianam, quam inchoant aut promouent, perficere poſſunt. An nō Dionyſius idoneus author eſt, cui fidem habeamus? At ille ſic ſcribit, *Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 3. p. 1.* Dicimus ergo cætera ſacrarum rerum ſigna, quorum nobis ſocietas indulgetur, huius diuinis profectò conſummantibuſq; muneribus perfici. Neq; enim fermè fas eſt ſacerdotalis muneris myſte-

myſterium aliquod peragi, niſi diuinum iſtud Euchariſtiæ auguſtiſſimumq; ſacramentum compleat. Vſq; adeò ſancti Patres noluer Chriſtianos ſacramentis cæteris eſſe contentos. Quid ergo nos tam ſtolidè, vel querimur, vel miramur Indorum gentem nondum firmas in fide, & religione Chriſtiana egiſſe radices? Baculum panis auferimus, vt propheta loquitur, & imbecillitatem miramur? Famelicis alimenta diuina ſubtrahimus, & maciem greſſuſque titubantes accuſamus? Propheta ſe percuſſum, vt fœnum & aruiſſe cor ſuum dolet, quod oblitus ſit comedere panem ſuum: quid agent, qui nunquam illum etiam deguſtarunt? Nos tamen nihil tot in Chriſto paruulorum ſeruitutem interitumq; dolemus. Cùm deficiat paruulus, & lactens in plateis oppidi, hoc eſt, cùm recens in Chriſto nati nobis ſpectantibus, & tacentibus in media Eccleſia intereant præ fame, & quidem cùm inſtent ipſi, atque auidè diuina ſacramenta poſcant, non eſt qui porrigat, omnes dedignantur, omnes auerſantur miſeros, vt verè videamus impleri, quod ſermo diuinus ſtatim adiungit, Matribus ſuis dixerunt. Vbi eſt triticum & vinum? cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum. Quod ſi panis hic cœleſtis propriè cor hominis confirmat, ſi ſenſum mentis illuſtrat, ſi aduerſus pericula & hoſtiles impetus munit, ſi denique vnus vitam ſpiritualem conſeruat & perficit, quid aliud quærimus, cur deficiente pane corruant iſti vnuſquiſq; ad proximum ſuum, & contabeſcant in iniquitatibus ſuis? Re vera deficiunt in via Domini, quia contra Domini

Ezech. 4.
Pſal. 101.
Thren. 2.
Pſal. 103.
Ezech. 4.
Marc. 7.

præce-

præceptum ſinuntur abire ieiuni. Contra quicunque hoc cibo reficiuntur, à facie frumenti multiplicantur, & vires quotidie nouas ſumunt. Docuit hoc vſus ipſe copioſè. Nam quotquot ex Indorum genere à noſtris (qui contradicentibus cæteris id auſi aggreſſique ſunt) communicantur hactenus ea puritate, eo animi robore, eo fidei ſenſu; ijs denique vitæ vniuerſæ ſtudijs, cæteris præſtant, vt meritò ſacerdotes ipſi mirentur, atque ingenuè confiteantur ampliores, & illuſtriores huius ſupercœleſtis panis fructus in neophytis cerni, quàm in cæteris, neque immeritò. Nam & fide & deuotione nos vincunt: quod nos ipſi abundè ſumus experti. Ferè commune prouerbium Indis eſt, eum, qui ſemel Euchariſtiam acceperit, nullum amplius crimen debere committere: quod ſi quando humana fragilitate admiſſum ſit, tanto animi dolore tanta in ſeipſum indignatione commotum ad pœnitentiam venire Indum conſpeximus, & tam duras de ſuo ſcelere pœnas exigere, vt ardorem fidei admirati ſimus. Neque enim tantam inuenimus in Iſrael. Scimus aliquot per ſimulationem diuino obrepſiſſe conuiuio non indutos veſte nuptiali, ſed abeant ſimulatores: nos de verè Abrahæ filijs loquimur, quos non dubitamus ab extremo hoc Occidente in menſa Domini cum Abraham, & Iſaac, & Iacob præclarè recumbere. Certè Euchariſtia ipſa pro ſua benignitate, & magnificentia nouos menſæ ſuæ conuiuas largius locupletiuſque videtur excipere. Quare cùm perpetua totius populi Chriſtiani conſuetudine, cùm maiorum noſtrorum ac ſanctorum Patrum authoritate, cùm ratione ipſa perſpi-

Pſal. 4.

Matth. 8.

perſpicua, cùm teſtatiſſima experientia doceamur nouis Indorum gentibus ſuperſubſtantialē panem communicare, quis deinceps tam erit cœleſti beneficio ingratus, tam negligens ſalutis fratrum, tam ipſius Chriſti Ieſu gloriæ inuidus, qui non inepto hoc more longiſſimè relegato, ſacram Euchariſtiam auidè præſertim petentibus fratribus arbitretur eſſe tribuendam?

Confutatio opinionis contrariæ.

CAP. X.

AT perfectorum, inquiunt, panis eſt ille cœleſtis, cibus grandium, vt Auguſtinus audiuit, creſcant, & manducabunt. Imò verò manducēt, vt creſcant. Neq; enim ego Angelorū panem, & ſuperſubſtantialem virorū atq; perfectorum cibum eſſe nego: verùm idem cibus eſt paruulorum, idem infirmorum alimentum. An non diuina ſapientia poſtquam ædificauit ſibi domum, & excidit columnas ſeptem, & immolauit victimas, & miſcuit vinum, & propoſuit denique menſam ſuam, ita alloquitur conuiuas ſuos. Si quis eſt paruulus veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt, Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis, relinquite infantiam, & viuite & ambulate per vias prudentiæ? Paruulos ergo alloquitur, paruulos inuitat ad cœleſtis menſæ conuiuium: Nam cùm diuites illi ac præpotentes varijs ex cauſis venire vocati recuſaſſent, Rex qui lautas & ſplendidas epulas appararat, ſeruos ſuos, vt debiles

Aug. lib. 7 Confeſ.

Prouer. 9.

Luc. 14.

Matt 22.

debiles & claudos, & pauperes accerſerent, miſit, vſque dum conuiuis domus regia impleretur: atque illud ſolum in conuiuis expoſtulauit, quod quidam veſtem nuptijs dignam non attuliſſet. An non verò quos Dominus libenter vocat, & gratos habet, hos miniſtri iure faſtidiant? Certè ſancti Patres, qui panem hunc perfectorum, & virorum in Chriſto cibum eſſe volunt, iidem debilium, & paruulorum viribus augendis, & confirmandis, & medicinam, & alimentum eſſe aptiſſimum copioſè teſtantur. Non ergo quoniam minus perfecti in fide, & charitate neophyti ſunt, repellendi ſunt, ſed multo magis inuitandi, & alliciendi, vt vſu ipſo panis huius, qui cor hominis confirmat, perfecti fiant. Alij ſtoliditatem & imperitiam barbarorum nobis obijciunt, indignum eſſe dicentes, ſi canibus & porcis margaritas proijciamus. Sed qui Chriſti lauacro purificati legitimè ſunt, canes certè, & ſues illi nō ſunt. Quod ſi ſenſus horum exiguus eſt, ne tales quidem à ſe repellit benigniſſimus Dominus. Diuus ſanè Thomas tantæ autoritatis viris, qui debilem habent vſum rationis, non eſſe denegandum hoc ſacramentum, apertè ſcribit. Vt enim ſenſu & ratione parum valeant, multum tamen præſtabunt amentibus, & phreneticis, quorum ſi anterior deuotio teſtata ſit, inſtillandam illis atq; infundendam Euchariſtiam, ſanctorum Patrum Canones iubent. Vſq; adeò pluris fuit fructus, quem ex hoc ſacramento homines percipiunt, quàm ſpecies quædam religionis, quam multi hoc tempore præ ſe ferunt. Ac re vera non eſt tam Indorum ſenſus exiguus ad percipiendam Euchariſtiam, quàm

Thom. 3 p. q. 80. a. 9.

Conc. Cartag. 4. c. 76. 26. q. 6. Is qui in infirmitate.

Paro-

Parochorum magna deſidia ad porrigendam. Nam vt curam laboremque docendi, & præparandi plebem à ſe reijciant, ruditatem & imperitiam iſtorum obtendunt. Non ſatis diſcernit Indus inter cibum ſacrum & profanum, inquis. At quî poteſt ille diſcernere, ſi tu nunquam hoc docuiſti? Non eam deuotionem affert, quam oportet. Quomodo verò afferet, ſi tu ad cœleſte ſacramentum nunquam inuitas? ſi neque dignitatem commendas, neque immenſam vtilitatem doces? Omnino experti ſumus ipſi, quàm vehementer excitentur Indi, cùm hæc illis commemorantur, quàm omnia & polliceantur, & præſtent, vt liceat eis de illo pane edere. Quanta verò inuidia, quo dolore pulſentur cùm intuentur Hiſpanos communicantes: quod ſi quem ſuorum hac menſa dignatum conſpiciunt, omnium ſtudia ardent, atq; ad ſeſe diffundi eam liberalitatem vehementer efflagitant. Itaq; ad docendam fidei catecheſin, & ad turpia quædam vitia profliganda, ebrietatem præſertim, nullum remedium præſentius experti ſumus, quàm vt ſacra communio præmium proponeretur ijs, qui & fidei dogmata optimè tenerent atque exponerent, & mores Chriſtianos atque honeſtiſſimos præ ſe ferrent. Certant inter ſe, cùm iſta audiunt, & gratiſſimum habent, cùm admittuntur, refectique ſemel cibo cœleſti puritatem mentis, & corporis multò ſtudioſius quàm Hiſpani conſeruant, vt redire liceat ad menſam illam, ardenter exoptant. Hoc parochi complures minus credunt. At nos non longè poſita loquimur, faciant ipſi periculum, ſi zelum Dei habent, ac non negligentiæ prætex

tum quærant. Sed qui grauius & probabilius videntur morem iſtum ſuum defendere, illud obijciunt, quòd non tutò præbeatur Euchariſtia neophytis, quippe qui veterem ſuperſtitionem non ſatis exuerint, fierique poſſit, vt indignum aliquid in Chriſti corpus deſignent, cũ nõ conſtet ſatis animo an ſint fideles. Iſtorum flagitia vſitata commemorant, ſordes præſertim carnis, & temulentiæ. Talibus porrigere ſacramentum nihil eſſe aliud quã in cloacam aut ſentinam proijcere. Quibus equidem reſpondebo non abſq; probatione, & examine panem illum præbendum eſſe neq; nouis, neq; veteribus Chri-
1. Cor. 5. ſtianis. Quod ſi quis eſt fornicator, aut ebrioſus, aut idolis ſeruiens, cũ eiuſmodi etiam communem cibum capere Apoſtolus vetat, nedũ cœleſti menſa communicare. Verùm hoc neq; omnium neophytorum eſt, neq; ſi illorũ tales ſunt aliquãdo morbi aliter in illis curandi ſunt, quã in cæteris fidelibus, quorum nouimus corruptos mores, & vitam admodũ flagitioſam legitima pœnitẽtia & confeſsione detergi, atque ita ſalubri ſatiſfactione purgatos, vt ait Leo Papa, ad communio-
Leo 1. De pœnit d. 1. c. multip. nem admitti. Cur igitur nõ idem apud Indos indulgentiæ erit, quibus eo magis cùm labũtur venia danda eſt, quod ignorãtia potius, & imbecillitate quadam, quàm animi peruerſitate laborãt. Itaq; vel ad ipſa iſtorum vitia amputanda & tollenda ſingularis remedij eſt, diuinã cõmunionẽ ijs qui ab ebrietate & cæteris ſordibus diligẽter cauent, præmium ponere. Neque enim vbi perſpecta eſt ſuperſtitionis antiquæ aut ebrioſitatis, aut fœdæ conſuetudinis macula, ad altare Indus debet

debet admitti, niſi contraria opera illam manifeſtè & diligenter eluerit. Nam etſi veniam Abſaloni filio, Ioabo interpellante ſapientiſsimus Dauid negare non potuit, ingreſſum tamen Hieruſalem à ſuo conſpectu per biennium abſtinere iuſsit. *2. Reg. 14.* Intelligant Indi quod communione priuantur non eſſe nationis, ſed criminis: & vniuerſum Chriſtianis concedatur, ſed non Chriſtiano dignis moribus ſubtrahatur. Neque ego nimiam modò frequentiam Euchariſtiæ in Indis probo, fortaſsis enim facilitas contemptum pariet. Sed illud cõtendo, vt quotãnis niſi ex certa cauſa communicentur, vt Eccleſia præcipit, tum præcipuè, vt cùm de vita exeunt, & ritè ſacerdoti confeſsi ſunt, viatico neceſſario ne priuentur, quemadmodum habet Nicenus Canon. Quinam autem indigni, ineptiue ſint, quibus Angelorum panis præbeatur, ſacerdotum ipſorum audita confeſsione cæteriſque perſpectis, iudicium eſto. Sacrilegiorum verò, quæ quidam aut metuunt, aut in ſimulãt, profectò periculum nullũ eſt, aut perquã rarum. Neq; enim Indi Iudæorum more auerſi ſunt à myſterio Chriſti, neque eſt timendum, ne contumelia afficiant ſumptam Euchariſtiam, quam reuera venerantur, neque eius generis exempla hactenus certa vidimus, quin potius quod ad externum cultum attinet, multò quã veteres Chriſtiani ad religionẽ propenſiores ſunt. Quod ſi pueris olim, & phreneticis Euchariſtia dabatur, vt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ copiosè teſtantur, neque id contra religionem cenſebant ſancti Patres, cur illi ſacramento fiat iniuria, ſi pauperes & egẽtes iuxta Pſalmum edant, & ſaturentur, qui ſi iudicio aut doctrina *Pſal. 21.*

minus interdum vigent, id ſatis animi pietate, & fidei neceſſitate compenſant? Paruuli ſanè panem petunt, & ad ſacramentum deſiderio, & Fide anhelant, ſed qui frangat docendo, & cōminuendo eorum captui conuenienter, rarus omnino eſt. Præparare ergo debemus Indorum mentem & Fidem, atque ita probatis, & præparatis panem cœleſtem dare: ſed (quod plerique facimus) quia præparare piget, ad accipiendum indignos accuſare magis placet.

De neceſſitate Confeſſionis.

CAP. XI.

AD Pœnitentiæ ſacramentum venio, quod à patribus quartum numeratur, quamuis vulgò Euchariſtiam præire ſoleat. Eſt autem Confeſſio peccatorum poſt baptiſmum lapſis non minus neceſſaria, vt eſt à Spiritu ſancto *Seſ. 14. c. 2.* in Concilio Tridentino definitum, quam nondum regeneratis ipſe baptiſmus. Quod ſi vbique gentium ſingularis hæc medicina imbecillitatis humanæ cognoſcenda prædicandaque eſt, nouis certè Indorum populis poſt fidem Chriſti, nihil eſt & crebrius & accuratius repetendum, quòd vna hæc ſalutis illorum ſpes ſu- *Act. 20.* perſit. Paulus prædicabat Fidem in Ieſum Chriſtum, & pœnitentiam in Deum. Chriſti ille quidem tantam volebat apud homines autoritatem exiſtere, vt non tam crebrò in Deum credere eos admoneret, quòd facilè ſenſus humanus admittit, quàm in Ieſum Chriſtum, vt eius diuinitas eſſet teſtata, eoque fides perfectior,

quo

quo ſenſu humano ſuperior. Contra, Pœnitentiam in Deum maluit dicere quàm in Chriſtum, vt cùm criminum quiſque ſuorum meminiſſet, Deum ipſum, non hominem ſolùm, ſibi offenſum, & iratum cogitans, vehementiùs doleret. Quoniam verò pœnitentiam etiam ante baptiſmum ita neceſſariam eſſe conſtat, vt tamen ſine baptiſmo vel re vel voto ſuſcepto non ſufficiat, conſequens eſt prorſus, vt qui primam regenerationis ſtolam maculauit, & pœnitentia indigeat, & per claues Eccleſiæ gratiæ reſtitui debeat, ſine quibus ſalutis aditus nemini poſt baptiſmum lapſo patere poteſt. Barbaris autẽ, quorum eſt ſenſus natura imbecillior, Fides verò non admodum excitata, rarum eſt valde, vt perfectus ille dolor, quem contritionem dicimus, de criminibus commiſſis hæreat, quo magis diuinæ medicinæ auxilio excipiendi adiuuandiq; ſunt, vt quod hominis operi deeſt, cœleſtis ſacramenti vis ſuppleat. Nam quod Abſolutionis beneficio dolor ille non vſquequaq; perfectus, qui à pleriſq; attritio, à nõnullis imperfecta cõtritio vocatur, valeat ad ſalutem & primam iuſtificationis gratiam conſequendam, tam mihi certũ eſt, vt inter catholica dogmata propemodum numerandum putẽ. Neq; obſcurè Tridentini Patres id docuiſſe videntur, cùm eam attritionem, quæ per ſe non iuſtificat, ad iuſtificationis gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam valere declararit. Mihi verò & ratio aperta perſuadet, cùm per claues Ecclesiæ detur vera abſolutio culpæ, idque per ſe & ex propria inſtitutione, cùm ſit etiam morbi letalis medicina præſens, ſit lepræ oſtẽſæ purificatio opera-

Conc. Tri. ſeſ. 14. c. 4.

toria, ſit deniq; mortuæ animæ à morte peccati excitatio, quemadmodum ſanctorum Patrum literæ produnt: tum maximè me confirmat quotidiana diuinæ operationis experientia, ſi tamen occultæ operationis experientia dici debet, fiducia quædam de multorum hominum ſalute certiſſima. Cernimus planè innumerabiles animas minus perfectò dolore pro ſcelerum magnitudine commotas ad hoc ſacramentum accedere, quibus poſtquam quod in nobis ſitum eſt, præſtamus, & de Dei immenſitate confiſi ſacramentum abſolutionis impendimus, adeò cœleſtium donorum, quantum homini conijcere datur, teſtimonia non obſcura ſuccedunt, vt nihil aliud cogitare poſſimus, quàm quod veriſſima bonitas dixit: Quæ ſolueritis in terris, in
Matt 18. *Ioan.* 20. cœlis ſoluta erunt. Qua mobrem non eſt cur quiſquam de Indorum ſalute deſperet, neque eorum tenues conatus, & examinationes conſcientiæ, & minus accuratas peccatorum enumerationes, & doloris non vſque adeò expreſſa ſigna, & cætera pro eorum captu non magna contemnat: ſed quantum poteſt, ipſe adiuuet fra-
Rom. 14. trem, & infirmum, vt ait Paulus, in fide aſſumat, agat denique quod poteſt, id verò omne, quod
Sap 6. reſtat, diuinæ clementiæ committat ſecurus, qui
Eſai 28. exiguo facilè concedit miſericordiam, & laborantem ac laſſum reficit, & hoc habet ipſe refri-
Eſai, 50. gerium, ſi reficiamus ægrotum, & ſciamus animam laſſam ſuſtentare ſermone, & de tenui offerentem Domino, quod habet, non aſpernemur. Equidem horum miſerorum confeſſiones imperitas ſecurius audio, quā hominum præpotentum expolitas, & magna doloris ſignificatione pro-

ne pro-

ne profuſas. Cùm ergo in hoc ſacramento vnica ſit ſpes ſalutis Indorum, præ omnibus & diligentius & crebrius meditandum prædicandúque erit.

Confeſſionis peccatorum vſum Indis in ſua ſuperſtitione fuiſſe.

CAPVT XII.

ILlud autem meritò mirari quiſpiam poſſit, Confeſſionem peccatorum etiam occultorum, & grauium celebri vſu apud hoſce barbaros longè ante Chriſti Euangelium auditum, frequentatam. Erant ſacerdotes non pauci huic ipſi muneri aſſignati, qui plebis audiendis confeſſionibus vacarent. Atque ad ſingula deprompta peccata ex manipulo quodam fœniculum frangens ſacerdos, ab eo videlicet crimine liberum pronunciabat. Vnde apud ſuperiores Prouincias Ychuſyres eiuſmodi ſacerdotes vocabantur. Ac vt mihi quidem narrabant Chucuiti Parochiarum præpoſiti, non omnes omnium criminum abſoluendorum parem poteſtatem habebant: ſed grauiora quædam facinora apud primarios veluti Pontifices deponere vſus erat. Hanc ergo conſuetudinem inter idololatras barbaros religioſè obſeruatam mirari, vt dixi, meritò poſſis. At illud non admirationem, ſed ſtuporem mihi propemodum affert, valuiſſe tantum Diaboli hominumque mendacium apud homines, vt non ſolùm occulta crimina proderent, ſed ſçuas etiam pœnas ſibi pro ijs iniungi æquo animo paterentur. Iubebantur ſæpe ex-

pe expiandi adulterij aut alterius ſceleris cauſa; duriſſimo ſaxo ad ſcapulas tundi fortiter, interdum à iuuenibus diu virgis cædi, non rarò ſi ſceleris magnitudo acerbius aliquid poſtulare videretur, in excelſam atque omni ſolatij genere deſtitutam rupem ſecedere, & longum ibi æuũ, ferarum more traducere. Complura iam eius generis narrant, quæ fabulis ſimilia videri poſſent, niſi nobis ſuperſtites adhuc ſenes, quoſdam decrepitos eo munere olim apud ſuos functos viri fide digni oſtendiſſent. Cauſam ego huius conſuetudinis barbarorum illam potiſſimum probo, ꝙ Diabolus per omnia in Dei ſimilitudinẽ etiam nunc inſaniens, ſicut ſe Deũ adorari & ſalutari mortalibus illuſis perſuaſit, ita Dei veri ſacramenta religioſaque inſtituta transferre ad ſe falſa quadam imitatione contendit. Nam quo alio ſpectat, quod in Cuzquenſi vrbe Ingarum imperio celebri, Euchariſtiæ noſtræ vmbram quandam & ſimulachrum adhibendum curauit? cùm ex maſſa ſacrificij neſcio cuius ſanguine aſperſa buccellas quaſdam ſolennes ſinguli acciperent, atque comederent, quibus Principis Ingæ fidem, & ſocietatem ſibi cordi eſſe vſque ad fundendum pro ipſo ſanguinem teſtarentur. Atque ad eum modum feſto quodam die peregrini præſertim atque aduenæ communicabant. Prætereo Trinitatis imaginem in Tangatanga apud Sacacas veteri more cultam, omitto alia complura, quæ curioſè huc accerſere poſſem: quibus cùm fidem olim barbari haberent, minus difficiles ad credendum, cũ noſtra narramus, ſeſe præbent. Sed diſſimulari profectò nõn poteſt, quàm nobis erubeſcendum ſit, quod à Sa-

tanæ miniſtris ſuperemur,cùm ad ſalutares & diuinitus inſtitutas confeſſiones perſuadendas pigriores ſimus, quàm illi ad ſæuas illas ſuas carnificinas.Gratulandum verò eſt in tanta mẽtis humanæ cæcitate, eſſe aliquem ſcelerum ſenſum,nonnullum conſcientiæ aculeum,quo tranquillitatem ſuam occulto veneno expoſito quęrere quodammodo cogitur. Et quia vera remedia minus occurrunt, falſis ſe ſaltem, vt poteſt, recreat,atque ſuſtentat.Tanta eſt culpæ intus latentis vis.Quò magis fidere debet Chriſti ſeruus,& veram peccatorum omnium medicinam pœnitentiam per ſalutarem confeſſionem oſtendere. Facilè ſibi perſuadent Indi Confeſſionis Sacramentalis vſum & vim,neque recuſant certè medicum (etſi pleriq; contra calumniantur) modò eum eſſe perſpiciant, qui verè medicus ſit, non infeſtus carnifex, aut auarus prædo animarum.

De peritia Indicæ linguæ Confeſſionibus audiendis neceſſaria.

CAPVT XIII.

QVALEM verò eſſe oporteat medicum, quo ſalutis animarum zelo feruere, qua peritia aperiendis curandiſque vulneribus prę-ditum,ſatis vt arbitror,ſupra dixi.Attamen ſermonis Indici peritia quantopere deſideretur, hoc maximè loco apparet. Cùm neque pœnitentiũ crimina agnoſcere neq; ſalutariter prouidere niſi linguæ miniſterio poſſit.Cuius qui expers ſit, turrim Babelicam,non Euangelicam is

ædifi-

S. Th. & reliqui in 4. d. 27.

ædificet, neceſſe eſt. Et quamuis inter viros Theologos ſatis conueniat, confeſsionē etiā per interpretē reddi, atq; accipi poſſe, ijdem tamen æquè conſentiunt, nulla aut diuina, aut Eccleſiaſtica lege homines ad eum confeſsionis modum compelli, quippe cùm lex Dei ſuauis & æquitatis plena nolit cum tanta ſua moleſtia ad confitendum peccatorem cogere, cùm præſertim pudore metuque humano, qui vbi tertius adeſt teſtis aut arbiter, maximè vrget, nè confeſsiones integræ ſyncerǽque fierent, meritò verendum eſſet. Quāobrem conſultè ſatis in Limenſi ſynodo Patres ne Indorum confeſsiones per interpretem Parochi exciperent, graui propoſita mulcta vetuerūt. Quod tamen decretum non eò pertinet, vt non liceat ſponte ſua volētes Indos per interpretem confiteri morbo præſertim periculoſo oppreſſos audire, vbi ſacerdotis Indicè docti copia deeſt, atque eo ſaltem modo horum ſaluti conſulere, quod à quibuſdam religiosè factum nouimus, & ratio ipſa monet, vbi pœnitens ipſe iacturam eam omnem præ ſalutis ſuæ deſiderio cōtemnit, non oportere ſpiritualem medicum labori, vel ſuo, vel illius parcere. Neque verò hoc Sancti Leonis antiquo Canoni contrarium eſt, qui ſolùm reprehēdit, & vetat. Ne populi auribus profeſſio publicè recitetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Nam & nonnullas confeſſiones cùm alij plures intereſſent ab antiquis Chriſtianis factas eſſe hiſtoriæ produnt, & hi ipſi barbari ſcelerum ſuorum notitiam falſis ſacerdotibus reddere frequente corona non verebantur. Verùm quia hoc & rarum eſt, vt pœnitens

Conc. Lim. Can. 9.

Leo ep. 78.

tens libenter accipiat, & quæ neceſſitate fiunt, præter legem ſunt, nullo modo poteſt ſalua conſcientia Parochi munus vſurpare, qui per ſe ipſum Confeſſiones populi ſibi commiſſi, hoc eſt ſine interprete audire non poſſit. Quod ſi bona fide præfecturam non tam à ſe quæſitam quàm ab Antiſtite ſuo ſibi impoſitam agat, & quamuis non omnia optimè intelligat quæ pœnitens loquitur, plurima tamen & communiora & grauiora non ignoret, atque ipſe viciſſim opportuna conſilia adhibere mediocriter poſſit, non erit deterrendus ab eo officio ſacerdos, cùm peritiores præſertim deſunt, & zelo ipſe ſpiritus ſermonis inopiam abundè compenſat. Tutiſſima res obedientia eſt, & ſola, vt Damaſcenus ait, citra periculum. *Damaſ in Hiſtor.*

De prudentia Sacerdotum & tolerantia.

CAP. XIIII.

SErmonis ergo Indici peritum oportet eſſe ſacerdotem: verùm non minus morum & ingenij Indici peritum. Idololatriæ genera & flagitiorum & cæterorum, in quibus frequentiores ſunt, vel experientia ipſa diſcet, vel aliorum commemoratione cognoſcet. Sunt etiam nonnulla commodè literis commendata. Ex quibus omnibus ipſe ſibi Indicem conficiet, ad quẽ confeſſiones examinet, quatenus opus eſſe prudentia perſuaſerit. Neque enim omnes eodem modo examinandi erunt. In eum vſum tum ab alijs, tum à noſtris nuper Confeſſionalia quædam perſcripta ſunt, vtraq; lingua his regionibus

bus communi Quichua, & Aymara, quæ rudibus, & tyronibus magno adiumento eſſe poſſunt. Quamuis autē & peritia ſermonis, & induſtria opus ſit, tamen ad confeſſiones audiendas neophytorum ſacerdos longè ſibi ampliorem patientiam, & animi tranquillitatem comparare debet Hæc enim præcipua ſupellex eſt, cuius maximè inopia fit, vt nihil propemodum in curandis conſcientijs Indorum plerique proficiant, plurimi etiam deteriores reddant. Atque in nostris ſanè ſacerdotibus illud miraculi loco inter ſeſe Indi vulgò & ſuſpiciunt & celebrant, quod Patres ij ſint, qui confitentem audiant libenter, quantumcunque ille in ſuis explicandis criminibus immoretur, & poſtquam quæ in mentem venerint, finem dicendi fecerit, tum præclaris quibuſdam interrogationibus, quæcumque memoriam effugerunt, meminiſſe cogant, atq; ipſas viſcerum fibras veluti aperiant. Cuius rei nouæ ſcilicet, atque inuſitatæ adeò celebris fama pleroſque commouit, vt longiſſimis itineribus ad noſtros venientes viderimus, nihil aliud præſeferentes, quàm vt contingeret peccata apud hoſce Dei miniſtros (ita enim illi loquuntur) deponere, qui libenter audiant, quæ quiſque confiteri cupiat, & ſeſe accuſantem peccatorem benigno ſermone recreent, atque erigant, & quod omnium maximum prodigium putant, audita confeſſione nihil ſibi neque pretij, neque eleemoſynæ loco dari patiantur, quin potius ſi qua re Indus indigeat, opem ipſi libenter ferant. Qua opinione incredibile eſt quantum Indi profecerint, vt nullo modo dubitare poſſimus pœnitentiam his gentibus à Domino

Deo

Deo datam, miniſtrorum culpa fuiſſe minus hactenus fructuoſam, eandem futuram fructuoſiſſimam, ſi vel mediocrem animi alacritatem in excipiendis infirmis medici ſpirituales præſeferant. Sunt ergo Indi audiendi toleranter, ſunt inuitandi benignè, erigendi ſapienter, ſunt denique in omnibus æquo animo ferendi. Charitas enim omnia ſuſtinet, omnia ſuffert, & in ſpiritu lenitatis præoccupatum aliquo delicto inſtruere docet. 1. Cor 13. Gal 6.

Quod confeßiones non ſynceræ fiant, potius ſacerdotum, quàm Indorum fieri culpâ.

CAPVT XV.

QVibus ex rebus facilè intelligere poſſumus, quod plurimi Indorum malignè ſacramento pœnitentiæ abutantur, non ſynceras, neq; integras peccatorum confeſſiones facientes, ſed fucatas ad ſpeciem, & mutilas, non tam ad ipſorum referendum eſſe malitiam, quàm ad Parochorum ſæuos mores, & imperioſam quandam auſteritatem, qua infirmum & ſcabioſum pecus faſtidiũt, & calce abijciũt, qui errãtes oues funda potius & baculo terrẽt, quã ſibylo leni colligũt, immemores prorſus illius magni paſtoris, qui dixit: Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos. Profectò ſi fideles Hiſpani cõfeſſariũ nacti eſsẽt talẽ, ſæuientẽ, & magis finire properantem, quã audire omnia curantẽ, rarus eſſet omnino, qui integras cõfeſſiones faceret. Metus ergo Parochorũ, & quod ex metu oritur odium, cogit Indos nihil veri & ſynceri apud illos dicere. Ezech. 34. Zach. 10.

re. Cuius rei nullo alio teſtimonio opus eſt, quàm quod ſacerdotem nacti benignum patienter audientem,& commiſerantem potius,quàm ſuperbè indignantem certatim ad Confeſſiones faciendas nullo vrgente accurrunt illi ipſi Indi, qui Parochis ſuis vix vi poſt annum, vt confiteantur, adduci poſſunt. Incredibile eſt quot millia confeſſiones generales fecerint apud eos religioſos, quos ſibi verè patres arbitrantur,quàm ſponte,quàm apertè, quo animi dolore,qua ſui deteſtatione infandiſſima etiam ſcelera totius anteactæ vitæ detegant, quibus lachrymis, quo gemitu, & ſingultu corpus ſuum acerbè tundentes ac vellicantes, & ſeſe totos intimo mœrore conficientes, quod iam tandem Parochi nõ pauci,& agnoſcere,& admirari cœperunt. Quid oro eſt, Cur Indus cùm ita ægrotat, vt mortem ſibi impendere exiſtimet, vltro accerſit Parochum, & intimas conſcientiæ plagas exponat? Profectò Fidem ſuam ſatis Indus, cùm fingere nihil eſt opus,oſtendit. Itaque moriturus libenter crimina omnia etiam immania prodit,quod tamen ſoſpes ſæpe facere recuſat. Hîc quis non videat metum hominis metu mortis ſuperari?quod ſi ſanus, & ſaluus hominis aſperitatem & minus ſibi æquum animum minimè offenderet, facilius ac libentius res ipſas vt ſunt,proditurus eſſet.

Contra errorem illius, qui ſcripſit Confeßiones ab Indis eſſe tollendas.

CAP. XVI.

QVo magis ridenda eſt (ſi modò riſu ac non potius acri dolore tam abſurda blaſphemia exci-

excipi debet) Theologi illius ſententia, qui optimè conſultũ iri Indis & dixit, & ſcripſit, ſi confeſſionum obligatio tolleretur: Ne tot, inquit, & tam grauia ſacrilegia perpetrare cogantur, ô ſtultam hominis vocem, qui cùm ſibi ſapienter Indorum ſaluti conſulere videatur, nihil aliud agat, quàm vt illos interire vnico ſublato remedio cogat. Si peruerſis remedio quouis abutentibus iſta eſt ratio medendi, tolle matrimonia, ne adulteria fiant, aufer Eccleſias & ſacra omnia, ne ſacrilegi ſint, denique nullum ſit humanæ imbecillitatis remedium, ne malitia cõuertat in virus. Quin potius apud rectè ac ſapienter æſtimantem omnia, pluris eſt quod pauci electi per medicinam ſanantur, quàm quod plurimi reprobi per illius abuſum deteriores fiunt. Atque hæc quidem ita dicuntur, quaſi conſultationis humanæ eſſet de Pœnitentiæ Sacramento cenſere: cùm verò, vt ſacroſancta Concilia tradunt, totiuſque conſenſus Eccleſiæ, diuini iuris illud ſit, diuinæ autoritatis, neq; aliud poſt baptiſmum lapſis remedium ſupereſſe Chriſtus Dominus ſanxerit, quàm inſanè, imò verò quàm hæreticè prorſus dicitur, vt confeſſionis faciendæ obligatio abrogetur ijs, quibus nulla eſt alia ſalutis relicta ſpes? Quin nos ipſos potius accuſamus, atq; emendamus, & animarum medici efficimur, & patres nos, non ſatellites eſſe meminimus? Hæc enim expedita, & certa ratio eſt ad euitanda ſacrilegia, quæ in confeſſionibus Indorum perpetrantur.

Conc. Tri. ſeſ. 14. can 6.

Quas ſatisfactiones Indis iniungere oporteat.

CAPVT XVII.

QVas autem ſatisfactiones iniungere conueniat, prudentia docebit. Cùm intimo ipſi ſcelerum ſuorum dolore pulſantur, vltro pergraues ſibi imponi flagitant: & ſi ſacerdos indulgentius fortè ſe geſſerit, ipſi eas arripiunt. Adeò feruor ſpiritus, vbi ſemel accenſus eſt, magnos conatus excitat. At plerique imbecilliores ſunt, neque ea animi firmitudine, vt tam graues pœnas de ſe exigant. Quid ergo? abijciendine erũt? an expectandum vſque dum ſpiritus ita incaleſcat, vt pares delictis pœnas exoluere velint? id quidem eſt, & Dei potius dono, quam hominis induſtria ſperandum. Ergo quod Chriſtus oui erranti præſtitit, vt vix dum ab errore conuerſam, vt Dionyſius dixit, in humeros ſacros attolleret, id ipſum Chriſti imitatori faciendũ eſt, ſi ſalutem hominum amat, vt non plus imponat oneris, quàm ferre illum poſſe viderit, atque in ſe, quod fratri deeſt, ſuppleat & peragat, adimplens ea, quæ deſunt paſſionnm Chriſti pro membro ipſius. Nam ſicut alienorum peccatorum participes efficiuntur, qui leuiſſimas ſatisfactiones pro grauiſſimis delictis iniungunt, vt ſancti Patres tradiderunt: ita Phariſæorum eſt, alligare onera grauia, & importabilia. Chriſti ſanguinem non infideliter diſpenſare is credendus eſt, qui ſeſe viribus pœnitentium accommodat, cùm præſertim non tam animi prauitate quàm infirmitate quadam maiora non [illegible]dent, mitiora libenter ſubeunt. Salutares igitur

Dion. ep. 8.

Conc. Tri. ſeſ. 14. c. 8.

Matt. 23.

igitur ſatisfactiones Indis iniungere oportebit, ex ijs præſertim, quæ aut conſuetudine, aut commoditate freti non mendaciter ſeſe peracturos polliceri videantur: ita prorſus vt excitentur potius quàm terreantur, ne odio in ſacramentum concepto, cùm opus deinceps fuerit, redirè ad medicum perhorreſcant.

De Extrema vnctione.

CAP. XVIII.

INfirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Hoc ſacramentum Extremæ vnctionis à Patribus Sacramentum exeuntium vocatum eſt, & totius vitæ Chriſtianæ conſummatiuum exiſtimatum, quo Dominus clementiſſimus finem vitæ tanquam firmiſſimo præſidio muniuit. Nam etſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, vt deuorare animas noſtras, quoquomodo poſſit, nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes verſutiæ ſuæ neruos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiã, ſi poſſit, diuinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit. Vnctio ergo hæc ſacra delicta, ſi qua ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublenatus, & mali incommoda, ac labores leuius fert, & tenta-

Iac.5. Ex Conci. Tri ſeſ.14. c.1. & c.2. de Extre. vnct.

tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur. Hæc ſunt quæ Fidelibus omnibus ex tam ſalutari ſacramento pie ſuſcepto bona conferri ſancta Synodus Tridentina docet: à quorum conſortio & fructu cur obſecro excludantur nouæ ſtirpes Indorum, cùm baptizati ſint ſicut & nos, & Fidem eandem profiteantur, & in mortis diſcrimine ſibi ab Eccleſia auxilium præberi vehementer cupiant? Magnæ hoc inhumanitatis in fratres genus eſt, cùm præſertim ſi qui omnium mortalium, hi maximè cùm extremi temporis tenentur anguſtijs, præſidio Eccleſiaſtico indigeant.

Ex concil. Lim. conſt. 75. Etenim idolorum pontifices & venefici, quorum hodie quoque magna copia ſupereſt, qui ſummopere Chriſtianæ religioni obſiſtunt, cæteroſque decipiunt, ij omni opera & ratione ægrotis periclitantibus perſuadent, vt iuxta priſcam ſuam ſuperſtitionem apud ipſoſmet confiteantur, atque idolis ſibi placandis & conciliandis ſacrificia offerant: multaque alia impie & ſacrilegè præcipiunt miſeris, qui vt ſunt natura timidi, minuſq; ad Diaboli fraudes cognoſcendas inſtructi, tum antiqua conſuetudine alliciente, & mortis periculo territi facilè eiuſmodi fallacibus promiſſis animum adhibent. Quamobrem aduerſus hos filios Belial, veritatis inimicos, qui vias Domini rectas non ceſſant peruertere, & alliciunt animas inſtabiles in æternam damnationem, opus eſt Chriſti tyronibus firmiſſimo aliquo præſidio: nullum verò excogitari poteſt diuino Extremæ vnctionis Sacramento præſtantius. Quibus rebus adducta Synodus

Act 13. 2. Pet. 2.

dus Prouincialis decernit, & præcipit, vt ſacerdotes nullo modo Indos fideles iam ritè confeſſos, aut ſi minus id licuit, contritionis ſigna præ ſe ferentes ſine hoc tam ſalutari remedio de vita exire patiantur. Et decretum quidem totius Eccleſiæ ad omnes fideles in generali Concilio legimus, peculiare verò ad Indos fideles in Prouinciali ſynodo repetitum, & magnopere commendatum cernimus: vtrumq; verò re ipſa vſque adeò neglectum, vt pene ſacrilegij loco ſit, ſi quis de Indo infirmo vngendo cogitet. Neque ego ſanè intelligo quouſque tam ſtolida noſtrorum conſuetudo ferenda ſit. *Conſt. 75.*

De ſacerdotio. CAP. XIX.

DE Sacerdotio inter Indos pauca ſanè præcipienda ſunt. Nam quod ad ipſos attinet, ſat ſciunt ordinem eſſe miniſtrorum à Domino inſtitutum, vt & Deo ſeruiant, & populo præſint, illi ad altaris ſacroſancta myſteria, huic ad remittenda peccata, & verbum Dei proponendũ, autoritate diuinitus data. Atque vtinam vt hi ſacerdotium venerantur, & tanquam munus cœleſte ſuſpiciunt, ita nos vitæ ſanctitate tanto muneri pares eſſemus. Illud autem prudenter eſt à maioribus conſtitutum, vt nemo ex Indorum genere, ſacerdotio aut gradu aliquo Eccleſiaſtico donetur, neque ſacras veſtes in miniſterio induat: tantùm vt liceat Indis fidelibus inſeruire altaribus acolythorum more in choro pſallere, ædituorum officio fungi, ſuperpelliceis inter hæc tantummodo indui. Nam inferiora hæc ad eos cohortandos, & in religione *Conc. Lim. conſt. 74.*

Chriſtiana confirmandos plurimum valent. Mirificè his delectātur, & primores ipſi libentiſſimè filios ſuos Eccleſiaſticis miniſterijs, & literis imbuendos tradunt, idque pro gloria non parua ducunt. Quod verò ad ſuperiores gradus ſacros præſertim Indos euehere minimè oporteat hac ætate Eccleſiæ antiquiſſima inſtituta ſatis docent. Paulus Apoſtolus vetat neophytum Eccleſiæ præfici, ne in ſuperbiam elatus, inſtar Diaboli corruat ex alto. Sacra Concilia vehementer deteſtantur ordinationes eorum, qui in fide tyrones ſunt. Nam cùm ipſis tum populo damnum fit, tum verò miniſterio ipſi non leuis iniuria. Quocirca admirabile eſt, quàm ſeuerè ſacræ literæ reprehendant ſacerdotes factos de fæce populi, idque cùm agatur non de ſacerdotibus veri & ſummi Dei, ſed falſorum potius: quia tamen Deorum nomen etſi non numen habebant, ijs attributos eſſe miniſtros plebeios, & viles, pro magno ſcelere ponunt, quemadmodum iuriſiurandi religionem etiam dijs mendacibus non ſeruatam eædem diuinæ literæ damnant. Sic enim ſcriptum in libro Regum legimus: Non eſt reuerſus Hieroboam de via ſua peſſima, ſed è contrario fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum, quicunque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. In quarto quoque libro de Samaritanis loquens Scriptura, Fecerunt autem ſibi de nouiſſimis ſacerdotes excelſorũ, & ponebant eos in fanis ſublimibus, & cùm Dominum colerent, Dijs quoq; ſeruiebant iuxta conſuetudinem Gentium, de quibus tranſlati erant Samariam. Quod planè documentum non ad hoc ſolum valet, vt Indi non

1. Tim. 3.

Adrian. 2. in epiſt. ad Taraſſ in 2 Nicæna ſyn.

Cap. 14. 3. Reg. 13.

R 4. cg. 17.

initientur, cùm ſint & in fide noui, & generi obſcuri, verùm etiam qui ex harum fœminis & Hiſpanis viris concubitu præſertim flagitioſo gignuntur, quoad fieri poteſt à ſacris myſterijs contrectandis abſtineant, ne ſacerdotium vile habeatur, niſi cùm vitæ diu probatæ grauitate, & morum ſplendore natalium obſcuritatem ſuperant. Tales eſſe nonnullos negare non poſſumus, qui & vitæ honeſtate, noſtris pares sũt, & ſermonis Indici cõmoditate ſuperiores. Verũ rari hoc exempli eſt. Quamobrem antiqui Canones & Prouincialia decreta ſeruanda ſunt, vt ſacerdos omni ex parte populo ſpectabilis & honore dignus exiſtat.

De ritibus Matrimoniorum apud Indos.

CAP. XX.

IN matrimonio tractando latior campus occurrit, in quo parocho multa neceſſariò cognoſcenda erunt, non ſolùm quod ſit Eccleſiæ ſacramentum excipiendæ, & ſanandæ multorum infirmitati neceſſarium, ſed quod infideles quoque ſua coniugia habeant, quorum vſum & ritum, abuſum quoque & errores cognoſcere oporteat, ne quod non raro contingit, aut vera matrimonia dirimantur, aut pro matrimonijs flagitia teneantur. In omnibus docendi ſunt, vt cuſtodiant immaculatum torum & honorabiles nuptias. Vſum autem & vim connubiorum apud infideles, ſi omnia dicenda ſunt, oratione complecti, moleſtiſſimi negotij eſt, cùm in tanta barbarorum illuuie non poſſint non infiniti eſſe *Heb.* 13.

& ritus,& leges matrimoniorum valde inter ſe diſcrepantes. Sed tamen illa ego pręcipuè attingam pauca de multis, quæ huic Peruenſi regno ex Ingarum diſciplina communiora sũt. Alij de ſuis regionibus & barbaris, aut etjam de alijs latius pro eruditione ſua dicere poterunt. Igitur vera coniugia apud barbaros noſtros erant, tametſi, quod ſæpe miratus ſum, nomen non eſſet adeo, vt Hiſpanico & noſtri, & ipſi vtantur. Erat tamen ſua cuique vxor, & Socraticam rempublicam barbari naturali ductu oderant, & damnabant. Sicut vxori fas non erat alteri nubere, ita neque viro vxorem ſemel ductam repudiare. Adulteria ſi qua deprehẽderentur, acerbiſſimo ſupplicio vindicabantur. Nam quanquam cœlibum apud iſtos maior licentia eſt, fornicationiſque labes impune habetur, tamẽ coniugatorum adulteria ſeuerius quàm apud nos vindicantur. Stuprum quoque virginibus vel Soli, vel Pachayachachi, vel Ingæ ipſi conſecratis, quas Mamaconas vulgò vocant, veſtalibus profeſſione perſimiles, ſi quando conſtaret illatum, tam immane ſacrilegium habebatur, vt viui vterque defoderentur in terram. Et vulgo ſanè vnam vni tantùm habere licebat vxorem, cum qua vitam omnem degeret. Atq; hæc quidem naturali legi cõuenienter barbari hi tenebant. Sed his paucis plurima iam miſcebantur abſurda, & à naturali lege valde abhorrentia. In primis ſummus ipſe princeps Ingarum, plurimis ſtipabatur vxoribus, quamuis vna eſſet pręcipua, quam ipſi Coyam vocant, reginam nos dicere poſſumus. At hæc ipſa Coya ijſdem erat parentibus genita, vt

inſtar

inſtar Iouis Iunoni, regis eadem eſſet, & ſoror, & coniux. Adeò ſanctum erat, vt præcipua vxor, eadem eſſet ſanguine coniunctiſſima. Cęteri verò proceres, & ipſi plures ſibi coniugio copulabant, præcipuamque eandem, ſi non ſororem, at conſanguinitate maximè propinquam habebāt. Erat enim id regium. Vulgus reliquum vnam, vt dixi, niſi priuilegio Ingę ob aliquid fortiter, aut ſtrenuè geſtum, plures liceret accipere, vxorem habebat. At illam non pro ſuo quiſque arbitratu eligebat: ſed aut Principis, aut Ducum illius, aut populi ipſius volũtate capiebat ſibi aſſignatam. Idq; intra ſuam ſemper tribum & familiã, quod Ayllo vulgo dicitur. Ex qua priſtina conſuetudine infidelium, duo apud fideles abſurda manarunt: vnum vt Curacæ ſiue primores Indorum, pro arbitratu ſuo ſuis vxores dent, neq; liberam illis eligendi facultatem permittant: alterum vt vix de alia tribu aut gente vxorem audeant Indi accipere, eamque ob cauſam ſæpe conſanguineas aut etiam ſorores, & nouercas violent pro vxoribus. Quæ ſanè incommoda diligentium parochorum ſtudio magna ex parte abolita ſunt: & Concilij animaduerſione plerique vigilare cœperunt. Fuit miſerrima ſeruitus Peruenſium ſub Ingarum tyrannide, vt neque vxorem ducere, neque ſiceram bibere, neque cocam mandere, neq; carnibus veſci ſine illius voluntate fas eſſet. Nunc verò qui in libertatem Euangelij vocati ſunt, gratias agunt, & duriſſimo iugo excuſſo, leuem Chriſti ſarcinam alacriter portant. Eſt etiam peſſimus quidam error, & ex errore maximus abuſus coniugiorum, (monſtrum dicere

Conc. Lim. Conſt. 64.

 poſſis)

poſſis)tam robuſtè in animis barbarorum inhærens, vt inter Chriſtianos etiam rarus ſit, quem non teneat. Virginitas, quæ apud omnes mortales in pretio & honore eſt, apud hos barbaros vilis, & indecora habetur. Exceptis enim ijs, quas vel ſoli, vel Ingæ conſecratas ſepta ſacra cuſtodiunt, cæteræ quandiu virgines ſunt, contemptas ſe arbitrantur, atque ita cùm primùm vacat, obuium quemq; corrumpendæ virginitati ſuæ vltrò accerſunt. Mariti quoque cùm violatas offendunt, adeò non moleſtè ferunt, vt virginibus, ſi quæ tales ad coniugia peruenerint, probro vertant, quod à nemine adamatæ ſint, quale
Baruch.6. in Baruch fœminarum opprobrium legimus. Itaque quæ vbique gentium maximo ac diuino propemodum honore afficitur, inter has belluas hominum, virginitas dedecori, & ignominiæ eſt. Quo ex errore abuſus quoque ille fœdiſſimus exortus eſt, vt nemo prorſus vxorem ſibi ducendam putet, cuius per complures dies aut menſes nō ante periculum fecerit. Ita, quod dicere quoque pudet, nulla eſt idonea vxor, quæ non prius fuerit concubina. Hæc tanta matrimoniorum labes adeò obtinuit, vt à noſtris patribus pro magno referatur, quod Indi iam vxores virgines ducunt. Et re vera diuini verbi falce vitioſa hæc omnia amputanda quotidiè ſunt. Et matrimoniorum iura dicenda, & virginitatis decus ornandum atque illuſtrandum, quod iam tum concionibus, tum exemplo Chriſtiani populi admonitæ barbaræ quoque fœminæ colere & ſeruare cœperunt. Illud poſtremò dicendum eſt, priuilegia ac facultates à ſede Apoſtolica conceſſas in neophytorum gratiam pecu-

peculiari ſtudio debere cognoſci, ne cùm aliâs ſępe, tum in matrimonijs iungendis Indorum labi contingat. Neue per imperitiam præpoſitorum imbecilles Indi ea cogantur ſeruare, quæ fortes & antiqui Chriſtiani vix ſeruant. Nam cùm multa ijs ſimilia quæ diximus, barbari in ſua ſuperſtitione ſeruarent, ne religionis noſtræ moribus contrarijs prorſus deterrerentur à fide, Romani Pontifices nonnihil de Eccleſiaſticarum legum rigore imminuendum exiſtimarunt, imitati profectò Gregorium illum magnum, cuius erga recens conuerſos Anglos paterna indulgentia literis ad Auguſtinum datis expreſſa tenetur. *Greg. lib. 12. Regiſt. epi. 31.*

Quid agendum ſit de coniugijs infidelium, cùm ad fidem catholicam conuertuntur.

CAPVT XXI.

SED habet frequentem apud nos, & dignam ſcitu quæſtionem, cùm infidelis coniugatus fide noſtra ſuſcepta baptizatur, quid de illius matrimonio ſentiendum ſit. Ac primùm, eum qui Chriſtianus effectus eſt, non poſſe vxorem denuò ducere infidelem, neq; fidelē infideli nubere, ſine vlla dubitatione ex Eccleſiæ vſu, & cōſenſu certiſſimum eſt. Nam & ſcelus ingens committitur, & matrimonium nullum eſt iuxta noſtrorum doctorum concordem ſententiam, tametſi, quæ illi recitant, Ambroſij & Auguſtini, cæteraq; decreta, non id ſatis efficiant. Sed conſenſus, vt dixi, Eccleſiæ ſatis eſt. De eo verò qui *Ambr. 28. q. 1. c. Cai. Aug. eadem qu. c. Sio enim Con. Chalc. c. 14.*

ante

ante baptiſmum vxorem habuit (ſunt enim inter infideles vera coniugia, ſi ſecundùm leges ſuas naturali legi non repugnantes peragantur, tametſi ſacramenti vim nullam habeant, niſi in Eccleſia Catholica rata fiant) quid acturus ſit, intelligendum eſt Pauli Apoſtoli præceptum. Primùm enim per baptiſmum non ſoluitur matrimonium cum infideli, quin potius, & poteſt, & debet cohabitare cum illo, ſi coniux infidelis vltro conſentiat, & ſpes ſit lucrandi illum Chriſto. Ita enim docet Apoſtolus, Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum, & mox. Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies? Hoc modò Monica Patricium Auguſtini patrem ſaluum fecit. Quamobrem ſynodus Limenſis iuxta eiuſdem Auguſtini contra Pollentium ſententiam, præcipit fidelem coniugatũ cum infideli legitima coniuge cohabitare, neq; alias nuptias inire permitti, quouſq; illa Chriſtianã religionẽ penitus repudiare intelligatur. Secũdũ documẽtũ ſit. Si coniux infidelis fidelem deſerat, aut ita cohabitare velit, vt illi vel fidem, vel charitatem rebus, aut verbis deſerere ſuadeat, tunc temporis non cogitur fidelis cum infideli vitã ducere, quin potius licebit, ſi ita placuerit, fidelem aliam coniugem ſibi copulare, dirempto iam priori coniugio. Ita ſtatuit Innocentius tertius, & ad hunc modum intelligendum dicit, & Pauli Apoſtoli verbum, & Gregorij decretum.

1. Cor. 7.

Aug. 9 lib. Conf. Con. Lim. conſt. 61. Auguſt. contra Pollentium, & de ſer. Domi ni in monte.

Innocen. c. Quanto, de Diuortijs. Gre 28. q. 2 c ſi infidelis.

Quod

Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, ait Paulus: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in eiuſmodi: in pace autem vocauit nos Dominus. Tertium quoque ſit. Cùm dubium eſt, an cõiux infidelis fideli impedimento futurus ſit, & an potius illũ peruerſurus à vera religione ſit, quàm ab ipſo lucrifaciendus, quidnam agendũ eſt? Nam neque contumelia creatoris manifeſtè apparet, neque ſpes etiam ſatis elucet illum ſaluum faciendi. Huic dubitationi occurrendum exiſtimarunt Patres hoc modo: vt coniux infidelis admoneatur, quantum ſatis eſt, vt religionem Chriſti ſuſcipiat, quod ſi conuenienter admonitus, omnino renuerit, intelligatur obſtinata eſſe voluntate, & fidelem conſortio ſuo potius lædere quàm ab illo adiuuari. Itaque ſeparandum eſſe. Ad hunc modum Toletanum Conciliũ decernit, Iudæi qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Epiſcopo ciuitatis illius, vt ſi cum eis permanere cupiant, Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur. Huius Concilij autoritatem ſecuti Patres in ſynodo Limenſi, ita præcipiunt, ſi alter coniugum baptizari renuerit, Sacerdos adhibito notario, & teſtibus illum admoneat, vt intra ſex menſes Chriſtianus fiat, & baptizetur, atque eandem admonitionem repetat ſæpe intra illud temporis ſpatium ſaltem ſemel ſingulis menſibus. Quod ſi tranſacto iam ſemeſtri tempore, adhuc baptizari renuerit, exinde iam in ſua ſecta obſtinatus reputandus eſt. Quamobrem Antiſtitem ſuũ Parochus certiorem faciet, vt ipſe ſtatuat, quid facto opus ſit. Separationem autem illam Concilij Toletani ego non ſolùm

Conc. Tol. 4. c. 61. 28. q. 1. ca. Iudæi qui.

Conc. Lim. conſt. 36.

Scotus in 4. d.39.q ar. 2.& 4. Aug.28.q. 1 c.vxor. Inno.c.gaudemus de diuortijs.

ſolùm quoad torum intelligo, ſed etiam quoad vinculum. Itaque licebit, vt graues quoque autores confirmant, fideli iam tunc alias nuptias conciliare ſibi. Contumelia enim creatoris, & periculum fidei intelligitur, cùm animus coniugis infidelis adeò eſt in ſua ſuperſtitione obſtinatus. Præterea illud ex eodem Innocentio animaduertendum eſt, nuptias infidelium non teneri Canonicis legibus, quare illa ſolùm matrimonia irrita erunt, quæ cum lege naturali pugnant, quemadmodum apertè repugnat pluralitas vxorum, atque etiam repudium primæ, vt Euangelium & Prophetæ docent. Quamuis ineptus quidam Theologus, vt multa alia, etiam hoc hæreticè & ſtultè aſſeruerit, Indis plura litem vxorum eſſe concedendam in Eccleſia. Repugnat etiam naturaliter matrimonio primus gradus originis, vt cum ſorore, cum nouerca, ac multo magis cum matre, aut filia, nepte, aut auia. Quamobrem in Concilio Prouinciali ex ſententia Pauli quarti Pontificis omnia iſthæc matrimonia infidelium, cùm Chriſtiani fiunt, irrita fieri decretum eſt. At verò quæ lege ſolùm Eccleſiaſtica prohibita ſunt, vt ſecundo aut tertio gradu contracta, ea rata fieri, cùm vterque baptizatur, Canones ſacri iubent. Cùm verò plures habuit vxores, ſi verè vt vxores habuit, adhibitis cæremonijs, & ritu patrio nuptijs adhiberi ſolito, illam tantummodo retinebit, quam primam eſſe meminerit, aut ſi ignorat, quænam fuerit prima, accipiet ex Indulto Pauli tertij quam ex omnibus ipſe delegerit. Quod ſi etiam prima illa abeſt, & baptizari differt, licebit ex alijs, quã velit, ſumere, ita cõcedente Pio quinto Ponti-

Mat.19. Luc.16. Malach.2.

Conc.Lim. conſt.38.

C.Gaudemus de diuortijs.

Conſt.37. Conc.Lim.

Pontifice Maximo, qui nullo modo Innocentio tertio contrarius eſt. Quandocunq; autem vxor infidelis ad fidem conuertitur, ſi nondum aliam Chriſtianam accepit, tenetur illam fidelis accipere. Hæc pro regionum harum difficultatibus ex ſanctorum Patrum decretis perſtrinxiſſe ſufficiat: plura & clariora autores tradent. *Eodem cã. Gaudemus.*

De impedimentis Matrimonij explicandis, & iuuenibus collocandis.

CAP. XXII.

IAM verò in matrimonijs celebrandis ſummo pere Parochi curare debent, vt impedimenta Eccleſiaſtica ſæpe & proponantur, & explicẽtur ne quod crebrò fit, per ignorantiam illegitimas Indi nuptias iungant. Quod ſi quando de induſtria & malitioſè impedimentum diſſimulatũ, aut tectum eſſe deprehenderint, vt Prouincialia decreta habẽt, grauiter in reos animaduertant, præſertim Curàcas cæteroſque primores, quorum nequitia ſolent inceſtuoſæ nuptiæ frequenter conciliàri: vt reliqui exemplo aſperiore docti diſcant in ſolennibus monitionibus aut Bannis explorata impedimẽta manifeſta facere. Sũt autem monitiones in ſacro Concilio Tridentino præceptæ, inter Indos potiſſimum obſeruandæ, vt nuptiæ publicẽtur eorũ qui coniugari volũt, inter eos, quibus maximè noti ſunt. Impedimẽta verò apud hos ſigillatim exponẽda ſunt, quibus & ignotũ eſt ius, & pro vetuſta cõſuetudine frequens eſt prohibita coniugia appetere. Itaq; explicabit Parochus, quod faciũt peritiores, quibus gradibus conſanguinitatis, quibus etiã affinitatis, *Conc. Lim. conſt. 66.*

nitatis, quibus ſpiritualis cognationis nefas ſit coniugia inire. Maximè verò inſiſtet in declarã-do, impedimento ex fornicatione primo, aut ſecundo gradu admiſſa. Vulgare quippe eſt Indis earũ ſorores, aut neptes, aut materteras, aut con ſobrinas dùcere, quas flagitiosè polluerũt. Atq; equidem perquàm optarem, vt in ijs gradibus, ſicut duo reliqui, à Tridentino Concilio ſublati ſunt, eſſet penes Epiſcopos Indicanos diſpenſandi facultas cum neophytis, præſertim cũ eſſent iã matrimonia cõtracta, & aut vterq; cõiux impedimentum neſciuit, quod fieri poteſt, aut ſaltem vnus eorum. Hos enim iubere prorſus ſe cõ tinere, aut Romam vſq; petendæ diſpenſationis cauſa proficiſci nimium profectò eſt. Atq; in ſecundo ſaltem gradu ex fornicatione occulta Epiſcopos noſtros diſpenſare, quia ſedes Apoſtolica commodè adiri non poteſt, & periculum eſt in mora, autores non ignobiles ſentiunt, quorum nos iudicium ſecuti Archiepiſcopo Limẽſi, vt nonnunquam diſpenſaret, perſuaſimus. Illud quoq; experientia docet Indos à prima adoleſcentiæ ætate collocare percõmodum eſſe, ac multò magis adoleſcentulas Indas, quod re ipſa compertum ſit, maritatas fœminas omnium eſſe caſtiſſimas, quæ ſi cœperint ante nuptias libidini fræna laxare, per reliquam ætatẽ precipites ferantur neceſſe eſt. Erit ergo non mediocris officij, vt Parochus honeſtas nuptias ſuadeat atq; conciliet, parentes de liberis collocandis admoneat, metum omnem Curacarum adimat: iuuenes ipſos conueniat, & Chriſtiani coniugij ſanctitatem doceat, fidei & catecheſis Chriſtianæ rationẽ expoſcat, peccata ritè cõfiteri moneat:

Seſſ. 24. cap. 4.

S. Angelus Syluest. diſpenſ q 9. Nauarr. c. 22. n. 86.

ſtatim

ſtatim vt mutuo conſenſu contraxerint matrimonium, in Eccleſia ſolennes benedictiones impendat, vt ſimul, quemadmodum eſt à noſtris Præſulibus ordinatum, & nuptiæ fiant, & ab Eccleſia benedicantur. Mox vt nuptialia omnia legitimè peracta fuerint, omni illa ſuperſtitioſa temulentia & compotatione amputata, in qua diabolo per ſuos Areitos, aut Taquies initiantur, honeſta tantùm religioſi conuiuij lætitia conceſſa paternè grauiterque monere, quæ ſint Chriſtiani matrimonij leges, quæ diſciplina domeſtica, quomodo Eccleſia frequentanda, manè & veſperi quotidie orandum, filij educandi in fide, & timore Domini, vt quamuis pauperem vitam degant, multa bona habeant, ſi timuerint Deum, & illius mandata ſeruauerint. Hoc eſt enim omnis homo, reliqua omnia vanitas vanitatum. Hactenus de ſacramentis Indis adminiſtrandis, pro inſtituto noſtro pauca de multis: quæ certè pro explorata harum regionum conditione magis opportuna exiſtimauimus. *Conſt. 68.* *Tob. 4.* *Eccli. 12.*

Quibus ex rebus Indorum ſalus maximè pendeat, peroratio.

CAPVT XXIII.

CVM de procuranda Indorum ſalute ſatis multa, vt potui, dixerim, tamen illa omnia non magni ponderis futura ſcio, niſi tria quædam veluti capita vniuerſi huius inſtituti, pro rei dignitate ſeruentur. Primùm, vt Chriſtiani Principes & Præfecti, & Magiſtratus Chriſti iugum ſuaue, & onus leue Indis ad fidem ſe reci-

pientibus, vt eſt, eſſe permittant, id eſt, vt tributorum, exactionum, laborumque onera valdè moderentur, ſciantque Barbari ſe ipſos potius quàm ſua quæri, & quod habent Caroli Cæſaris regia edicta, rebus ipſis intelligant, Chriſtiano dominatu ſe potius leuari, quàm premi. Leges quoque non prorſus duras, & inſuetas barbaris ferant: ſed quoad per Chriſtianam, & naturalem legem liceat, ſinantur inſtitutis ſuis viuere, atque in ijs ipſis, & dirigantur, & perficiantur. Etenim perdifficile eſt omnes leges, & conſuetudines patrias, & gentilitias mutare: & ſatis profectò eſt, vt illa abrogare cogantur, quæ ſunt Euangelio & Eccleſiæ Chriſtianæ contraria, quæ in tam corruptis moribus, in tantis ignorantiæ tenebris ſatis multa ſunt. Cætera ſi protinus auferre contendas, ac non tempori ipſi optimo magiſtro vt emendet committas, reddes Chriſtianiſmum odioſum & grauem. Omitto quod prudentiſſimus quiſque & rerum Indicarum peritiſſimus eiuſmodi nouas leges, & mutationes cenſet ipſi Reipub. temporali, & Indorum, & Hiſpanorum admodum pernicioſas, quòd barbari neque noſtra tenent, neque ſua ſinuntur agere: ex quo rerum omnium perturbatio conſequatur neceſſe eſt. Sed vt hoc omittam, certè fides, & amor Chriſti cum dura tributorum, & operarum, & legum ſeruitute Chriſtianitatis prætextu non bene conſtat. Migrauit Iudas, id eſt, fidei confeſſio, vt ſancti patres interpretantur, propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis. Seſaci Aegyptio regi traditi ſunt diuinitus Iudæi, vt ſciant, ait Deus, diſtantiam ſerui-

Thren.1.

2. Par. 12.

ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum. Niſi ergo Chriſtianis principibus & magiſtratibus prima cura ſit ſalutis Indorum, ac non prouentuum cenſuſque regalis (nam honeſtè iſta quoque quæri poſſunt, ſed ſecundo loco) parum admodum apud Indos religio Chriſtiana proficiet. Hoc igitur primum eſt. Deinde illud, vt præſules Eccleſiæ Indicanæ ij præficiantur, qui zelum Dei habeant, & filijs potius theſaurizent, *2. Cor. 12.* ac non ſolùm ſua libenter impendant, ſed ſe ipſos etiam ſuperimpendant pro animabus ſuorum, licet plus diligentes minus diligantur à ſuis. Deniq; quorum eſſet inſigne verbis rebuſque expreſſum, Non veſtra, ſed vos. Quod ſi Deus, vt apud Prophetam loquitur, daret paſtores iuxta cor ſuum: *Hierem. 3.* Epiſcopos inquam & Parochos, *1. Tim. 3.* quales deſcribit Apoſtolus, *Tit. 1.* plurimos ac lætiſſimos greges ex hoc agro Indicano paſcua cœleſtia quotidie exciperent. Vt eſſent autem paſtores eiuſmodi, (nuſquam enim tantopere oportet eſſe lectiſſimos) examinanda eſſet doctrina, explorandi mores ſine auaritia, perſpiciendus animarum zelus, & laborum pro Chriſto tolerantia. Verè enim in his nouis Eccleſiæ populis antiqui temporis & Apoſtolici paſtores eſſe deberent. Poſtremò, religioſi qui ad has regiones pro regia liberalitate & fide, copiosè tranſmittimus, non fortuitò, aut pro libidine, aut etiam auaritia cuiuſq;, ſed cœleſti vocatione ducti veniamus, quantum referat, vix dici poteſt. Nihil perinde nocet huic Eccleſiæ atque mercenariorum, & ſua quærentium turba. Quid verò in cauſa Dei agant homines animales, ſpiritum vix ha- *Iud. 1.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bentes? Pauci numero, virtute præſtantes opus Domini potius promouent. Quamdiu ergo religioſi, auxiliares his regionibus dati, non mittentur diuinitus, neque prædicare, neque audiri fructuosè ſatis poterunt, ſi Paulo Apoſtolo credimus. Qui verò in primis humiles, animarum amantes, Chriſtum ſibi imitandum exiſtimantes, illius crucem & mortificationem in corpore ſuo circunferentes huc venerint, cœleſtes theſauros delitiaſque omni opinione maiores certiſſimè inuenturi ſunt. Sed quando hoc fiet? Quando homines eſſe homines deſinent, & humana ſapere, humana quærere, humanis inhiare? Apud homines planè hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia. Nunquid quia hoc difficile eſt in oculis populi huius, ideo difficile erit in oculis meis? dicit Dominus. Indorum certè copioſiſſimam & paratiſſimam ſegetem cernimus, neque aliud quàm falcem Euangelicam expectantem, & ſi hactenus fortaſſe quibuſdam minus Dominico horreo idoneam exiſtimatam, ſed iam rebus ipſis, fide, conſtantia, ardore animi, alacritate admirabili ſeſe cœlorum Regno aptiſſimam proclamantem, inuidorum & ſegnium calumnias facilè propulſantem, operarios ipſos lætiſſimè allicientem, & multitudine & vbertate oculos omnium ad ſeſe atque animos conuertentem. Quid ergo ſupereſt? niſi vt impenſiſſimè oremus Dominum meſſis, vt mittat ipſe diuinitus operarios in meſſem ſuam. Plus preces lachrymaſque noſtrorum, vbicumque illi ſunt, apud Deum efficere, quàm noſtros omnes conatus & operas, certum eſt. Ferant

Rom 10. *Matt. 19.* *Zach. 10.* *Matth 9.*

rant

rant igitur opem quicumque Dei amantes, & ſalutis hominum ſtudioſi apud benignum Redemptorem haberi volunt,& quibus poſſint modis,ſacrificijs,precibus,lachrymis;tum conſilio, opera,ſudoribus, & ſanguine ipſo,ſi opus ſit, chariſſimam Chriſto Ieſu, tot gentium ſalutem proſequantur.

FINIS.